




PARAPHRASIS
IN PSALMOS
DAVIDICOS,

ADDITIS BREVIBVS ARGVMENTIS ET EXPLANATIONIBVS, IN QVINQVE LIBROS CONGESTA:

Auctore

IOACHIMO HOPPERO FRISIO, I. V. C. Equestris ordinis viro, quondam rerum Status Germaniæ inferioris apud Philippum Hispaniarum Regem Consiliario, & magni eius sigilli Præfecto.

Cum libello De usu & diuisione Psalmorum, & Indicibus.





ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam.
ANNO M. D. XC.

Svmma privilegii.

Regiæ Catholicæ Maieſtatis auctoritate cautum eſt, ne quis intra ſex annos proximos, citra Chriſtophori Plantini eiuſdem Maieſtatis Architypographi voluntatem, *Paraphraſim in Pſalmos Dauidicos, additis breuibus argumentis & explanationibus, in quinque libros congeſtam; & Libellum de vſu Pſalmorum, ac diuiſione ſecundùm eorum qualitates, auctore Ioachimo Hoppero Friſio, I. V. C.* imprimat, vel alibi impreſſa in has regiones importet, vel vllo modo diſtrahat: qui ſecus faxit, præter librorum omnium, aliter quàm ex dicti Plantini voluntate impreſſorum, confiſcationem, pœna ſex florenorum pro quolibet libro, quotieſcumque id fecerit, multabitur. Vt latiùs patet in ipſo diplomate dato Bruxellis, 26. Ianuarij, 1588.

Subſig.

J. de Witte.

AMPLISSIMO

CONSVLTISSIMOQ. VIRO DOMINO GVILIELMO A PAMELE,

Equiti aurato, Domino de Gotthem, secreti Consilij Regiæ Maiestatis Præsidi, Gregorius & Gaius Antonius Hopperi.



PATERNAM hanc Paraphrasim, quæ nunc primũ se manibus hominum iudicioq; committit, tibi, Præses amplissime, de more dono en damus, dedicamus. Quippe fuimus arbitrati, nihil nos nec voluntati patris nostri, si superstes esset, nec nostro officio facturos conuenientius. Nam intercessit tibi cum illo ius veteris amicitię, voluntates vestras vtrimque copulante

virtute, ſola verarum firmarumque amicitiarum conciliatrice. Præterea vel opinione aliqua boni, quam de nobis ex paterna virtute fortè concepiſti, vel in defuncti memoriam amorem hunc tuũ ad nos vltrò producis. Quod vt tuæ naturæ eſt, tuæque, quam omnes amant, & in ore habent, ſingularis humanitatis; ita noſtri eſt officij (prẹter dignitatis tuẹ rationem) & hac ipſa de cauſa, ne homines ingrati; & ex patris voluntate iudicioque, ne inobſequẽtes filij habeamur, te obſeruare, colere, amare. Viſum itaque fuit, opus hoc ſub ampliſſimo nomine tuo in lucem dare, quo & obſeruantiæ noſtræ iudicium prẹ ſe ferret, atque eadẽ opera aliàs gratum tibi faceremus. Cùm enim ſciamus, te nullis rebus æquè ac iis quæ ad pietatem, omnemque virtu-

virtutem faciunt, delectari; ecquod munus acceptius adferre potuimus, quàm diuinos Dauidis hymnos, atque eos quidẽ explicatos Paraphraſi optimi parentis noſtri, viri tui in vita amantiſſimi, vt illa velut ſpectanda ac fruenda tibi offeramus, propter quæ eum viciſſim dilexiſti, & feciſti maximi? Elucet namq; in omnibus quæ literis cõſignauit, viua quędam & expreſſa effigies animi eius ingeniique. Cuius hoc vberiorẽ & optatiorem fructum retulerit, quo ad plures illius pertigerit vtilitas: ad plurimos autem peruenturam, ſpem facit, quòd ſolo pietatis ſtudio & amore, nullo verò oſtentationis, vt meditata hæc, ita etiam ab optimo viro ſcriptis mandata ſint; quodque inter tam multos, quorum egregiæ cõmentationes in Pſalmos exſtant,

huic auctori inter primos eruditione locum fore confido. Sed quantum præstiterit, quídue de republica Christiana hac in parte sit meritus, tu potiùs pro tua eximia prudentia existimabis: nobis vt facultas tantæ rei suppeteret, obstaret tamen affectio, auferretque opinio pręiudicata iudicandi potestatem. Opus etiam non fuerit hîc referre quam viam in hac Paraphrasi scribenda secutus fuerit, quantáque dexteritate, quo & Ecclesiæ vetus constaret auctoritas, & veritatis Hebraicæ (quam vocant) ratio haberetur, vtriusque interpretationem in vnam sententiam coniecerit: id enim planum fit in ea præfatione quam huic epistolæ subiunximus. Nam cùm animaduerteremus operæpretium fore; à paterno quodam amico, viro doctissimo,

mo, & linguarum admodum perito, postulauimus, &, quamuis erat occupatior, & valetudinis parum firmæ, impetrauimus, vt ipse quædam de ea quæ in Psalmis hoc modo explanandis versatur difficultate conscriberet, quæ huic operi præposuimus. Etsi enim illi non omnino placebant, quòd ad accuratum suum iudicium exacta atque elaborata non essent: nobis tamen vehementer placuerunt, & Lectoribus similiter probatum iri censuimus. Reliquum est, vt hanc significationem nostræ tibi deditæ voluntatis æqui boníque cõsulas. Quam si exploratam tibi & certam facere occasione aliqua oblata possemus, optatò id nobis eueniret: nunc hoc in tua potiùs est manu. Ad nos quod attinet, hanc erga te obseruantiam,
 ani-

animumque paratum vsque tibi seruabimus, & vetusta illa quæ tibi cum patre nostro fuit amicitia, & tuo fauore, beneuolentiaque, quam ex factis ipsis iam pridem cognouimus, deuincti.

Deus te, amplissime Domine Pręses, omnibus bonis semper ornet, augeatque. Bruxellis.

AD LECTOREM PRÆFATIO.


Peræpretium fuerit, pie Lector, quę peculiaris difficultas in scribēda huius generis Paraphrasi occurrat, quidque Paraphrasten nostrum præstare oportuerit, & felicissimè pręstiterit, hîc præmonere. Sciendum igitur est, de hoc opere ipsi cogitanti, certissimò ab initio fuisse decretū, veterē, & hactenus semper in Ecclesia receptam ác lectam Psalmorū, iuxta septuaginta ex Græca lingua interpretes, retinere, & Lectoribus proponere translationē. Quamuis enim nemini Ecclesia interdixerit, vel proprio eos iudicio ex Hebræo conuertere atque explicare, vel ab aliis ex eadem lingua conuersos Commentariis illustrare; ipse tamen ne in dubitationē quidem vmquam vocādum sibi censuit, receptam ne potiùs, an ex recentioribus aliquam explicandam sibi sumere deberet. Primùm enim lōgè gratius Ecclesię futurum intelligebat, vt eam ipse quoq; præferret, quam omnibus aliis illa

prætuliſſet,quamq; in publicis & priuatis Eccleſiaſticorum precibus vbique retineri voluit,cuiuſq. vnius in ſcholaſticis diſputationibus verba,ad quęcumque dogmata cōfirmanda,neceſſariam iuſſit habere auctoritatem. Deinde omnē quoque operæ ſuæ fructū, quacūque alia verſione propoſita,iudicio ſuo auctor perdidiſſet,quando per quamuis aliā, vbicūque ea à noſtra diſcreparet, Sacerdotes, neq; quos quotidie domi Pſalmos recitāt,neque quos in templis canunt, intelligere potuiſſent;cùm tamen in illorū præcipuè gratiā ad laborem hunc ſuſcipiendum,animum primùm adieciſſet. Cùm his igitur de cauſis ne cogitare quidem, ſicuti dixi,de exhibenda alia tranſlatione ſibi permitteret ; alia tamen ex parte à ſe impetrare non potuit,vt in ea ipſa, quā moliebatur, Paraphraſi, aliorum omniū ex Hebræo interpretationes contemneret. Cur autem earum quoque rationem habendam crederet, ſatis graues, ni fallor, & iuſtas habuit cauſas. Neque enim Diui Hieronymi ſolùm , cuius propriam poſt ſeptuaginta habemus Pſalmorum interpretationem;vel doctiſſimorum quorundam virorum,qui noſtra ætate in

Psalmis potissimùm de Hebræo conuertendis & explanandis, à vulgata editione frequentissimè recedunt; verũ ipsius quoque Ecclesiæ manifestam secutus est auctoritatem. Nisi enim illorum etiam labores vtiles fidelibus existimasset, ne tolerata quidem fuisset, aliam vspiam, præter vsitatam, legi, vel etiam exstare translationem. Vtrùm autem Ecclesia, alias quoque legi permittens, idem sentiat quod Augustinus, qui aliud in Hebraica veritate, aliud apud Septuaginta haberi non negans, & propterea nouam Hieronymi versionem probans, Spiritum sanctum tamẽ, quo alia atque alia mysteria ex iisdem libris colligi possent, Græcæ quoq. editionis auctorem fuisse affirmare nõ dubitat; an potiùs quia idẽ Spiritus vel talia verba sacris scriptoribus dictauerit, vel talem esse voluerit quorundã Hebraicorũ verborũ in significando proprietatem, ac characterũ præterea talem in scribẽdo similitudinem, vt mirum videri non debeat, non eundem ex iisdem libris interpretes eruisse sensum: cùm tãtę quæstionis difficultas nimis longè vires meas exsuperet, in pręsentia nõ disputabo. Hoc ergo tãtùm dicam, cùm auctori satis esse

esse debuerit Ecclesię quoque iudicio has interpretationes non improbari; in illam dumtaxat curam ipsi fuisse incũbendum, nè vllam præter vsitatam translationem Paraphrasi sua illustrandã suscipere auderet, neúe in ea verbũ vllũ veteris editionis prætermitteret, vel verborũ eius ordinem vlla ex parte mutaret; & tamen ex ipsa elucidatione appareret, aliorũ etiam ab ea dissidentium interpretationem ipsi fuisse probatam, ac non obstante vtriusque conuersionis diuersitate, in eandem tamẽ sententiã in Paraphrasi eius vtrãque potuisse cõiungi, ac nõ infeliciter fuisse coniunctã. Quo pacto verò pulcherrimi huius voti compos per Dei gratiã fuisse iudicãdus sit, hoc est, qua ingenij dexteritate Paraphraseos suæ verba, quamuis recentiorũ interpretum in ea sequeretur mentem, ita præponere, interserere, ac postponere veteris interpretis verbis potuerit, vt omnibus illius verbis ordine positis, vel idẽ appareat vtriusque interpretationis sensus; vel nihil saltẽ prohibeat, quo minùs idem esse possit; in vno dumtaxat Psalmo, Deo duce, ostendere conabor. Delegi autẽ ex omnibus Psalmum sexagesimum septimum,
cuius

cuius initium est: Exsurgat Deus. Nullus enim inter omnes est, in quo frequentius vulgata editio à nouis istis translationibus dissidet. Quamobrem in hoc quoque præcipuè Psalmo omnes diuersæ interpretationis causas animaduerti atque intelligi posse apparet. Sunt autē hæ causæ vel solæ, vel præcipuæ, quòd eadē scriptoris verba vel in eadem significatione non accipiantur; vel eiusdem numeri, vel casus, vel personæ, vel eodem modo distinguenda ab interpretibus non iudicentur. Siue autem id fiat quia diuersam singuli secuti sint lectionem, siue verba iisdem scripta litteris, ex linguę illius natura, varias illas interpretationes admittant, siue quia ipsi etiam interpretes aliquando errauerint; ad rem in præsentia non pertinet. Vndecumque diuersitas illa proficiscatur, satis constat, eas, quas dixi, proximas esse diuersæ interpretationis causas. Notandum autē est, quanto vnius interpretationis sensus, ob aliquam ex his causis, longiùs ab alterius mente decesserit, tāto maiore difficultate vnam ex vtriusq; mente cōflari posse sententiam. Quamuis autem propter hæc, & plures & grauiores quàm quisquam facilę

arbi-

arbitretur, ſuperare auctorem oportuerit in hac Paraphraſi difficultates: iudicaturos tamen Lectores non dubitamus, feliciſſimè eum Dei beneficio ex omnibus euaſiſſe. Id ſi in vno hoc Pſalmo demonſtrare poterimus, ſimul etiam vniuerſum Pſalterium eadem felicitate explanaſſe proculdubio conuincemus.

Oſtendatur ergo in maxima parte verſiculorum illius Pſalmi tùm quæ ſit veteris & noui interpretis (nam ita eos appellabimus) diuerſitas: tum quænam vtriuſq; interpretationis in Paraphraſi ſit coniunctio ſiue conciliatio: deinde breuiter etiam indicetur conciliationis ſiue coniunctionis illius cauſa.

In tertio verſiculo vetus interpres habet: Et iuſti epulentur in conſpectu Dei. Nouus: Et iuſti lætentur. Paraphraſis: Et iuſti lætantes epulentur. Coniunctio vtriuſque verbi denotat explicari vel locupletari veterem editionem per nouam, in qua lætitiæ quoque mentio fiat, tamquam ſequentium epularum cauſæ.

In principio quarti verſiculi, vetus interpres habet: Iter facite ei. Nouus: Exaltate eum. Paraphraſis: Exaltate eum, & iter præ-

præparate ac facite ei. Præponitur hîc verbum nouæ interpretationis, & subiicitur quod habetur in veteri, tamquam species quædam & modus exaltationis, cuius noua editio meminit. In posteriore parte eiusdem versiculi, vetus interpres habet: Qui adscēdit super occasum. Nouus: Qui supremo cęlo insidet. Paraphrasis: Qui orbibus cælorum, tāquam vehiculo, insidēs, ab oriente adscendit, & defertur super occasum. Eandē hîc vocem vetus interpres accepit pro occasu, nouus pro supremo cælo. Vt igitur vtrumque verbum locum habere posset, Paraphrastes Deum insedisse quidem cælo dicit, sed ab Oriente adscendere, & deferri super occasum.

In quinto versiculo vetus interpres sic habet: Exsultate in conspectu eius: turbabuntur à facie eius patris orphanorum, & iudicis viduarum. Nouus hæc solùm habet: Exsultate in conspectu eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum. Paraphrasis: Exsultate in conspectu eius (nam id dum facietis, turbabuntur impij à facie eius) patris, dico, orphanorum, &c. Per verba illa parenthesi inclusa, indicauit Paraphrastes quid boni sequeretur ex iustorum

ſtorum exſultatione,quòd impij nimirum turbandi ſint, quamuis id verbum neque apud nouos interpretes,neque in Hebraico textu nunc exſtet.

In ſexto verſiculo vetus interpres habet: Qui inhabitare facit vnius moris in domo. Nouus: Qui habitare facit ſolitarios in familia. Paraphraſis: Qui inhabitare facit vnius moris & inſtituti homines in vna eademque domo: ſic vt qui priùs ſolitarij vixerant,dulci propagatione ſobolis in familiam excreſcát. Propter duas eiuſdẽ vocis ſignificationes,duos quoq; pios ſenſus Paraphraſtes piè coniunxit,ac ſimul veteri editioni elegáter addidit,qua benedictione Deus proſequatur cócordes coniuges.

In ſeptimo verſiculo vetus interpres habet: Qui educit vinctos in fortitudine. Nouus: Qui educit vinctos in compedibus. Paraphraſis: Qui educit compedibus vinctos, in fortitudine brachij ſui. Hîc quoque propter eandẽ cauſam vtramque interpretationẽ videmus eſſe cóiunctam, & ſimul adiectam cauſam, cur mirandum non ſit,in compedibus vinctos è carcere liberari: quia nimirum Deo id facile ſit,propter fortitudinem brachij ſui.

Secun-

Secundam versiculi partem sic reddidit vetus interpres: Similiter eos qui exaspe-rant, qui habitāt in sepulchris. Nouus sic: Rebelles autem habitabunt terrā vastam. Paraphrasis: Rebelles & exasperātes Deus habitare facit in desertis locis, ita vt viuentes sint quasi mortui, qui habitāt in sepulchris. Coactus fuit Paraphrastes hac vti circuitione: quia quam vocem septuaginta acceperunt pro sepulchris, recentiores terram vastam significare credunt.

Decimum versiculum sic vertit vetus: Pluuiam voluntariā segregabis Deus hæreditati tuæ. Nouus sic: Pluuiam voluntariam eleuasti Deus super hęreditatē tuam. Paraphrasis sic: Ac quemadmodum tunc faciebas, ita & nunc pluuiam volūtariam segregabis, & speciatim excitabis Deus hæreditati tuæ. Animaduertēs enim non idem seruari in vtraq; interpretatione verbi tempus, priùs quidem iuxta nouum interpretem ostēdit quid Deus olim fecerit; deinde verò veterem secutus, eadem verba ita exponit, quasi prophetiā contineant rerum futurarū. Eleganter etiam duas illas voces, Segregabis, & Eleuabis, in eundem sensum hoc modo cōiunxit, Speciatim ex-

citabis. In ſecunda parte eiuſdem verſiculi Paraphraſis ſic habet: Tu verò ſemper recreaſti & perfeciſti eam. Quorũ verborum quod prius eſt, in nouo habetur interprete; poſterius in vetere. Meritò autẽ præpoſuit vocem quę legitur apud nouum, quia amplificat & quodãmodo exponit veterem.

In duodecimo verſiculo, vetus interpres habet: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Nouus: Dominus dedit ſermonem laudatricibus exercitus magni. Paraphraſis docet, euangelizantes cum gaudio & laude denunciaſſe quid in exercitu factum ſit fortiter & virtute multa. Satis apparet in ea contineri, quod in vtraque legitur. Cauſa autem diuerſarum interpretationum fuit, quòd eandem vocem illo loco alij pro exercitu, alij pro virtute acceperunt.

In decimo tertio verſiculo omnia penè ſunt diuerſa. Vetus ſic habet: Rex virtutũ dilecti, dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpolia. Nouus ſic: Reges exercituũ fugerunt, fugerunt, & habitatrix domus diuiſit ſpolia. Primò enim quod in altera interpretatione dicitur ſingulari numero de vno Rege, in altera dicitur de pluribus.

Secundò

Secundò,idem rursus verbum alteri interpreti virtutes significat, alteri exercitus. Tertiò,quod magis mirandum est, sequēs geminatum verbum in altera accipitur pro nomine singularis numeri, in altera pro præterito perfecto verbi pluralis numeri, & quidem in diuersissima significatione. Postremò idem quoq. verbum vetus interpres speciem significare credit, nouus habitatricem. satis igitur apparet, quanti negocij fuerit,vnam ex his omnibus contexi sententiam. Videamus ergo nunc quo artificio id Paraphrastes noster cōsecutus sit. Cùm propter veterem interpretationem initio & ipse cogeretur singulari numero Regem transferre,Regem illum hostem fuisse ponit alterius cuiusdā Regis Deo dilecti;à quo turpiter victus, in fugā se coniecerit. Has quippe duas voces,Dilecti,&,Fugit,ponere eum in Paraphrasi oportuit, cùm tandem Hebraicam vocem vetus interpres illud, nouus hoc significare senserit. Rationē autē per hæc acutissimè inuenit,per quam tam longè à se distantes interpretationes in vnam periodum connecterentur. Nam quia in veteri interpretatione non dicitur quid ille

Rex virtutum atq; exercituum fecerit,id fugisse illum dicens,eleganter suppleuit ex noua.Et quia duæ illæ veteris interpretationis voces,Dilecti,Dilecti, ad laudem omnino pertinere vidētur eius de quo dicuntur, dilectum illum à Deo dilectum esse significat. Præterea cùm genitiuus ille Dilecti, regi nō posset à voce exercituum, quia Rex ille exercituum fugisse ponendus erat;hostis nomen interposuit,atq; ita tum nullam prætermisit vtriusque interpretationis vocē; tum plures Reges inuenire potuit,quamuis vnius tantùm in veteri interpretatione mentio fieret; tum piam quandam,ac præcedentibus & sequentibus versiculis optimè cōgruentem concinnauit sententiam, quòd ille nimirum Regis Deo charissimi hostis,quamtumuis magna virtute ac potentia, ac magnis exercitibus instructus,ex acie victus fugerit, quódque hoc ipsum euangelizantes illæ feminæ nunciarint. Iam verò cùm posterioris quoque versiculi partis mutilus esset sensus, neq, appareret quid sibi illæ voces vellent, Speciei domus diuidere spolia; vel quo pacto cum superiore versiculi parte cohærerent: meritò
carum

earum quoque interpretationem Paraphrasis petiuit ex noua translatione, quæ has quoque difficultates non incommodè tollere videbatur. Cùm enim eadem vox alteri significaret speciem, alteri habitatricem; Paraphrasis vtramque significationem retinés, tantam indicat Regem illum fugientem accepisse cladem, vt in eo postea victores occuparentur, quo pacto vnusquisqne eorum vxori suæ, quę est habitatrix domus, & decor mariti, diuidere posset spolia. Apponemus hîc integrã versiculi paraphrasim, vt hæc rectiùs intelligantur. Dicent enim hæ ipse mulieres: *Rex* ille *virtutum*, & tot exercituum, hostis *dilecti* Dei, *dilecti* Regis nostri victus prelio fugit, fugit, & direptis bonis eius iam nostri occupati sunt, quonam modo vnusquisque eorum vxori suæ, nempe habitatrici, *&* decori ac *speciei domus* suę, *diuidere* possit *spolia* quæ accepit.

In decimo quarto versiculo, vetus interpres habet: Si dormiatis inter medios cleros. Nouus: Si dormiatis inter ollas. Hîc tantum discriminis est inter vtramque interpretationē, vt altera alteri planè sit contraria. Vtramq; tamē Paraphrasis retinés,

 ita

ita cõciliauit, vt prius nouam poneret interpretationem; quo commodè in hunc modum locus esse posset veteri: Ac si hactenus ob paupertatem dormiuistis inter ollas fuligine obductas, post hac eritis, sicut si securi & nitidi dormiatis inter medios cleros, ac sortes quæ vobis obtigerint. Posteriorem versiculi partem sic vetus interpretatus est: Posteriora dorsi eius in pallore auri. Nouus sic: Alæ eius in pallore auri. Paraphrasis: Posteriora dorsi & alæ eius. Satis quidem apparet, hîc quoq; eandem vocem in eadē significatione nō esse acceptam: sed videtur tamen altera interpretatio per alteram exponi, cùm alæ auium dorsum earum tegant.

In decimo quinto versiculo vetus sic habet: Dum discernit cælestis Reges super eam. Nouus sic: Cùm despergeret omnipotens Reges propter eam. Paraphrasis hîc quoque prępo sita noua interpretatione, hoc modo locum dedit veteri: Etenim dum, profligatis hostibus, discernit ac constituit Dominus cælestis proprios Reges suos, quos regionibus inter se diuisos extendit super eam: tum sordibus, &c. Quam enim vocē nouus interpres signifi-

care

care credidit, profligare ac despergere; vetus accepit pro eo quod est, discernit. Atq; ideo Paraphrasis intelligit, Dominũ, post hostes suos profligatos, proprios hæreditatis suæ principes variis locis discreuisse ac veluti extendisse in hæreditate sua. In posteriore versiculi parte hoc tãtùm notandum videtur, quòd vbi in veteri translatione est, Mõs pinguis, in noua legitur, Mons Basan. Paraphrasis igitur significare volẽs, quẽ pinguẽ mõtem vetus interpres vocauit, fertilem quandam esse in locis illis regionem, sic habet: Erit mons Dei mons pinguis, tamquam Basan, quæ regio fertilissima est, & omnibus rebus abundans.

In decimo sexto versiculo vetus interpretatio sic habet: Mons coagulatus, mons pinguis. Noua: Mons excelsus, mõs Basan. Paraphrasis coagulati atq; excelsi significationes ea ratione cõiunxit, quia pinguis ille mõs tãquam caseus ex multis collibus coadunatus, in altũ excreuisset. Pinguem autem iterum & Basan montem illum appellat, propter eandẽ, cuius paulo antè memini, causam. In postrema parte huius versiculi, magna est vtriusq; versionis differẽtia. Vetus sic habet: Vt quid suspicamini

montes coagulatos. Nouus sic: Vt quid exsilitis montes excelsi. Duplex autem videtur in hoc loco interpretationis esse differentia. Altera, quòd eandem, sicuti videmus, vocē in eadē significatione interpretes non acceperunt. Altera, quòd in veteri trāslatione, Montes coagulati & excelsi, leguntur in casu accusatiuo, in altera verò in nominatiuo. Vtrāque igitur in vtraque parte interpretationem hoc modo Paraphrasis conmiscuit, vt priùs appellentur vicini Israëlitis principes, tamquam & ipsi sint montes excelsi: deinde interrogentur, cur suspectos habeant, ac bellum mouentes exsiliant aduersus coagulatos illos & excelsos populi Dei montes.

In decimo octauo versiculo, eandem vocē vetus interpres reddit: Decem millibus multiplex. Nouus: Viginti millia. Paraphrasis ita interpretatur, quasi idem sit viginti millia, quod multiplex esse ad decem millia. Atque ideo sic habet: Vnus currus Dei, decem millibus curruum vestrorum, & eo amplius vsque ad duas myriades & in infinitum, quantumcumque multiplex sit. Sequitur in eodē versiculo verbum, quod vetus interpres vertit, Lætantium.

tantium. Nouus: Angelorum. Paraphrasis reddit: Lætantium Angelorum.

In vicesimo versiculo, quos nō credentes vocat vetus interpres, Nouus rebelles appellat. Paraphrasis priùs vocat penitus rebelles, postea adiicit non credētes; quasi potissima contra Deum rebellio sit incredulitas.

Idem ferè accidit in versiculo vicesimo primo, quamuis eius vocis significatio, quæ veteri interpreti placuit, paulo magis differat ab ea quā Nouus probauit. Vetus editio habet: Prosperum iter faciet nobis. Noua: Onerabit nos. Paraphrasis nouam veteri adiiciens, ea ratione prosperum nobis à Domino iter fieri docet, quòd onerare nos dignatur ingētibus beneficiis.

Vicesimo sexto versiculo, quam vocem vetus interpres reddidit, Principes, Nouus vertit, Cātores. Paraphrastes elegāter posuit, Principes cātorum: quia ex fine versiculi intelligi potest, non de principibus & cantoribus, sed tantùm de cātoribus egisse Prophetam. In posteriore parte versiculi vetus interpres habet: Coniuncti psallentibus. Nouus: Sequuntur psallentes. Paraphrasis vtrumque retinēs, coniunctionem

illam in ordine ipſius pompæ ſitam fuiſſe indicat, atque id conuenit cum prima parte verſiculi, in qua principes cantorum præcedere dicuntur.

In viceſimi octaui verſiculi poſtrema parte magnum eſt vtriuſque verſionis in eadem voce diſcrimen. Vetus ſic vertit: Beniamin adoleſcétulus in mẽtis exceſſu. Nouus: Beniamin dominás eis. Paraphraſis duas illas tam diuerſas voces in vnã ſententiam ita redegit: Minima tribus Beniamin præſidés cantoribus, in ſumma hilaritate & quaſi mentis exceſſu verſabatur.

Viceſimo nono verſiculo vetus interpres habet: Principes Iuda duces eorum. Nouus: Principes Iuda in veſtibus acu pictis. Hîc quoque diuerſiſſima apparet eiuſdem vocis interpretatio. Paraphraſis eleganter, poſtquam poſuiſſet quod in veteri editione habetur, addidit id quod legitur in noua. Vtrumq; autem meritò dici à Propheta potuit. Principes enim Iuda verè aliorum duces appellari poterant. & hos potiſſimùm in veſtibus acu pictis prodire decebat.

Triceſimi verſiculi initio vetus interpres habet verbũ imperatiui modi, Manda.

da. Nouus pręteriti perfecti indicatiui modi, Mandauit. Quoniam autem neque facile fuisset, neque magni intererat, vtriusque seorsum fieri mentionem, rectè Paraphrastes secutus est potiùs veterē translationem, quæ magis cōgruebat cum posteriore versiculi parte.

In priore parte versiculi trigesimi secundi, vetus interpres habet: Increpa feras arundinis. Nouus: Increpa turbam lanceis armatam. Causa diuersæ interpretationis est, quòd eadem vox & feras significare potuerit, & cœtum; quodque veteri interpreti placuit lanceas arundinis vocabulo appellare, quia arundinum speciem præ se ferāt. vtrumq; igitur facilè intelligi potest ex Paraphrasi, quæ sic habet: Increpa feras illas bestias, hostes tuos, qui magno numero congregati, & lanceis armati, arundinis speciem præ se ferūt. Longè difficilius fuit coniungere vtramque versionē posterioris partis. Vetus sic habet: Congregatio taurorum in vaccis populorum; vt excludant eos qui probati sunt argento. Nouus sic: Congregationem taurorum inter vitulos populorum, vt supplex veniat cum fragmentis argenti. Duæ voces in diuersa signi-

ſignificatione acceptæ ſunt. Altera veteri interpreti ſignificauit excluſionem, altera probationem: Nouo verò prior ſignificat proſtratum & ſupplicem, poſterior fragmentum. Quod ad Paraphraſtẽ verò attinet, cùm videret vocem, quæ congregationem ſignificat, veterem interpretem in nominatiuo, nouum verò in accuſatiuo caſu poſuiſſe: veterẽ ea in parte editionem ſecutus, vtramque vtriuſque vocis ſignificationem, ad vnã ex vtriſq; ſententiam efficiendam, quibuſdam ab ipſo verbis præpoſitis, aliis interſertis, hoc modo copulauit: Diſturbetur abs te, & tributaria facta, cum fruſtis argenti ſupplex obuiã tibi venire cõpellatur cõgregatio illa taurorum, qui populos cõcitant aduerſum te ac tuos, vt perdãt & excludãt tributiſq; exhauriãt eos viros pios ac bonos, qui per multa experimẽta probati ſunt eſſe tales, haud aliter atque in argento fieri ſolet. Cur hoc modo propoſitam ſententiam explicaret, hæc videtur fuiſſe cauſa. Cùm non eſſet in veteri tranſlatione verbũ, cui iungeretur vox congregatio, præponi à Paraphraſte oportuit hæc verba: Diſturbetur, dico, abs te, &c. Illam autem diſturbationem, iuxta

nouum interpretē, in eo ſitam eſſe oſtēdit, vt tributaria facta illa cōgregatio, cum fruſtis argenti ſupplex Domino obuiam venire compellatur. Iuxta veterem deinde tranſlationem, quidnam congregatio illa vitulorum & vaccarum contra pios moliatur, indicat. Conari enim eam docet, vt perdant, excludant, & tributis exhauriant pios & bonos, qui per multa experimenta probati ſunt, ſicut in argento fieri ſolet.

Verſiculo triceſimo quarto, verbum quoddam à veteri interprete pro Oriente accipitur; à nouo, pro eo quod eſt, ab initio. Paraphraſis ergo ſic, Qui cælo tāquam vehiculo, inſidet ad Orientem, iam inde à primo rerum omnium initio.

Verſiculo triceſimo ſexto, vbi vetus editio habet, Date gloriam Deo: in noua legitur, Date fortitudinem Deo. Paraphraſis vtrumque habet in hunc modum: Date gloriam Deo, agnoſcentes fortitudinem eius.

Hic igitur eſt Pſalmus, in quo quia omnes ferè inueniūtur diuerſarum interpretationum cauſæ, ipſi etiam recentiores interpretes ſæpius quàm in vllo alio, à veteri tranſlatione recedunt. Operęprecium

ergo fuisse videtur, in hoc potissimùm à nobis ostendi, propositam auctori Paraphrasticæ explicationis rationem vbique esse seruatam: hoc est, veterem & nouam translationem summo ingenio atque artificio ita fuisse coniunctas, vt vetus à noua in eodem contextu elegantissimè explicaretur. Sed dicet forsan aliquis, illas recentiorum interpretationes, à veteris translationis verbis, quibus accommodantur, & proinde à prioris quoque interpretis mente omnino videri alienas, atq; ideo Ecclesiasticos quoque scriptores nullam earum in Psalmorum cõmentariis facere mentionem. Ingenuè quidem confitemur, id aliquando, sed rarò tamẽ accidere. In aliis autem, in quibus id non accidit, innumerabilibus locis iure & meritò cõtendimus tam commodè, tam propriè, tam aptè per nouas translationes explanari veterem, vt, ipso disponente Domino, labor hic nouas cudendi ex Hebræo conuersiones, nostro potissimùm sæculo à tam multis susceptus esse videatur. Etsi enim interpretes ipsi propter Hebrȩæ linguæ cognitionem crederent, id quod à veteri interprete iudicio ipsorum esset erratum, in sua translatione
emen-

emendari; ignari tamen & imprudentes, non errorum eius correctores, ſed obſcuriorum ſententiarum enarratores mirabili Dei conſilio fuiſſe deprehenduntur. Cùm autem primus omnium hic auctor hoc deprehenderit, & incredibili labore per omnes Pſalmos ita ſeſe habere oſtenderit; digniſſimus, ni fallor, haberi debet, qui nouo hoc inuento vtilem admodũ Eccleſiæ operam ſuſcepiſſe iudicetur. Quod ad alia tamen loca attinet, in quibus vel alienior, vel paulo longiùs petita videtur ex recentioribus ſcriptoribus interpretatio; ea quoque per eaſdem ex Hebræo tranſlationes explanari, æquo animo æqui iudices ferre debét. Certum quippe eſt, & illas ipſas explicationes per ſe eſſe pias & orthodoxas; & quantumuis cum veteris editionis verbis ad amuſſim non conueniant, cum ea tamen, de qua in Pſalmis illis agitur, hiſtoria rectiùs proculdubio cõgruere. Quamobrem meritò quoque Auctoris nomine ab eiſdem poſtulamus, vt æquo animo patiãtur, ipſum propter pauca illa loca, atque ea in pium explicata ſenſum, à pulcherrimo ſuo inſtituto non diſcedere. Propoſitum ipſi fuit, Eccleſiæ iudicium per omnia

ſequenti,

ſequenti, veterem editionẽ tanto honore afficere, vt nô modò vniuerſam, nullo verbo prætermiſſo, nullius etiam ordine mutato, lectoribus in Paraphraſi ſua legẽdam exhiberet, verùm etiam vt eandem veluti Prophetici ſcripti loco haberet; & quæ ex aliis verſionibus adiungebat, nullam aliam præterquã famulantium illi cõmentariorum, poſtularet habere auctoritatem. Alia deinde ex parte de recentium quoque interpretum doctrina honorificè admodum ſentire cupiens, ac nullã eorum interpretationem, ſi Eccleſiæ non improbaretur, erroris alicuius arguere audens, quæcũque apud eos legebat, ad lucem veteri interpretationi afferendam ſeruire ſibi voluit. Quòd ſi id plurimis in locis, Deo iuuante, feliciſſimè præſtitit: meritò poſtulat, vt huius quoq; modeſtiæ integra laus illi per vniuerſam Paraphraſim ſeruetur, hoc eſt, vt illa quoque loca ad veterẽ trãſlationem explicandã, cum bona cunctorum venia, accommodare illi liceat, quæ propter maiorem vtriuſq; tranſlationis diuerſitatem, paulo quoque maiori vi ad eum, quem vetus tranſlatio requirit, ſenſum recipiendum ſe pertrahi patiuntur.

LIBER

PSALMORVM, siue LAVDVM ET PRECATIONVM.

Psalmvs primvs.

Argumentum.

1. DEscribit hoc Psalmo Dauid, primùm virum bonum ac iustum: 2. Deinde summam eius felicitatem ac beatitudinem: 3. Tum iniusti & impij cum eo comparationem.

1. BEatus *ille* vir, *& multæ eius sunt felicitates*, qui *à malo abstinens*, non abiit in consilio *ac congregatione*, *nec fecit secundùm suasionem* impiorum, *qui sine intermissione erga Deum delinquunt, aurem praua suggestioni eorum præbēs*; & in via peccatorum, *qui nullum amplius pudorem habent apud homines*, non stetit, *factis eorum delectatus*; & in cathedra pestilentiæ *illorum, qui, quod vltimum in malis est, diuina pariter & humana omnia derident, idq́; publicè profitentur ac docent*, non sedit, *consensum ei rei præstans.*

Sed *contrà, bonum appetens (nam non satis est recedere à malo, nisi & fiat bonum) ita se comparat,*

vt in lege *ac doctrina voluntatéque* Domini *sit tota* voluntas *ac desiderium* eius: & in lege *ac doctrina* eius meditabitur *cum omni mente ac intelligentia sua* die ac nocte; *sic vt in ea sola omnem voluntatem, intelligentiam ac memoriam suam, perpetuò habeat collocatam.*

2. *Beatus, inquam, ille vir, quoniam flores & rebus omnibus abundans*, erit tanquam *arbor palma siue* lignum quod plantatum est secus decursus *& riuulos* aquarum, *à quibus humectatur*, quod fructum suum dabit *non antè quidem quàm oportet aut pòst, sed* in tempore suo.

Et folium eius *perpetuò virens* non defluet *vnquam, nec arescet; sic vt nullis rebus aduersis concutiatur*, & omnia (quæcunque) faciet *producendo fructus suos* prosperabuntur, *& feliciter eius opera cedent.*

3. *Cæterùm*, non sic *autem se habebunt* impij, (non sic:) sed *contrà* tanquam *leuis festuca siue gluma &* puluis *aridus* quem proiicit *ac dissipat* ventus (à facie *ac superficie* terræ.)

Et ideo non resurgent *in futura vita* impij *ad salutem, nec consistere poterunt* in iudicio, *cùm eorũ ibi causa tractabitur:* neque *stabunt* peccatores in concilio *& congregatione* iustorum *à dextris, sed seorsum à sinistris.*

Quoniam nouit *& gratam habet dirigitq;* Dominus viam iustorum *ad æternam in cælo beatitudinem, vbi vera vita est;* iter autem impiorum, *vti*

Deo ingratum, vel ſua ſponte intermorietur & peribit *in inferno, vbi mors eſt & infelicitas.*

EXPLANATIO.

Beatus) Admirabilis gradatio, qua per ter tres quaſi gradus à malo receditur: nēpe nō abeundo, quod ſuggeſtionis eſt; nō ſtando, quod delectationis; & nō ſedendo, quod conſenſus; in conſilio, quod principij eſt; in via, quod progreſſionis; & cathedra, quòd perfectionis; impiorum, qui malè de Deo ſentiunt; peccatorum, qui malè erga ſe agunt; & deriſorum qui proximum lædunt. Omnia in prima parente Eua cùm ab ſerpente deciperetur, ſi diligenter animum aduertas, reperiuntur.

Sed in lege Domini) Quæ via eſt hominis ad iuſtitiam Dei. nam quemadmodum terra, quæ infrà eſt, Solis, qui ſuprà, per radios eius medios interiectos fit particeps: ita homo, qui infrà eſt, iuſtitiæ Dei, quæ ſuprà, per legem eius mediam interiectam particeps efficitur.

Et in lege eius) Vim habet hæc repetitio, vt intelligatur non ſufficere ſolam bonam voluntatem circa legem Domini, quanquam princeps eſt & caput iuſtitiæ, & ob id primo loco ponitur, niſi ſit cum cognitione eius & exercitatione, quòd verbū *Meditabitur* ſignificat, cōiuncta, ſic vt omnes animi rationalis potentiæ, voluntas, intelligentia, & memoria concurrant. ita vt quemadmodum per tres gradus à malo recedi diximus: ita per tres quoque gradus ad bonū accedatur. Cur autem Lex doctrina dicatur, idoneo loco explicabitur.

Et erit tanquam lignum) Vitæ, quod in noua ciuitate Hieruſalem, quæ ciuitas beatitudinis eſt, in Apocalypſi deſcribitur. Quia enim iuſtitia in voluntate conſiſtit, voluntas autem principium eſt actionis & vitæ: ſequitur, effectum iuſtitiæ eſſe vitam beatam ac florentem circa fontes & flumina legis Dei, in qua verba vitæ æternæ inſunt.

Prosperabuntur] Iustus enim vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Sed tanquam puluis] Aridus; qui arbori ad fluminis ripam florenti, ex aduerso ponitur, vt quid inter iusti & iniusti exitum intersit, magis elucescat. Et quidem cùm ille placidè crescat & floreat: hic contrà motuum animi tanquam ventorum turbine dissipatur, & ad nihilum vt quisquiliæ redigitur.

Peccatorum] Sæpe inuenies in Psalmis iustos & peccatores inter se opponi; vt intelligatur, quemadmodum peccati nomine omne vitium comprehenditur, ita iustitiæ nomine omnem virtutem contineri.

Impiorum] Opponuntur quoque non infrequenter inter se in Psalmis iusti & impij; vt intelligatur quemadmodum omnis mali caput est impietas, ita omnis iustitiç caput esse pietatem erga Deum; & qui impium aliquem dicit, omnia dicere, quoniam omnis mali labes inde procedit.

PSALMVS II.

Titulus.

Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. CONqueritur Propheta de fremitu impiorũ contra Christum. 2. Sed mox animum sumens, irritos omnes conatus eorum fore ait, ipsumque Christum loquentem & iis respondentem inducit. 3. Subiecta exhortatione de Christo recipiendo.

1. QVare fremuerunt *& turmatim cũ tumultu concurrunt* gentes *paganorum*, & populi potẽtes *regni Israëlitici*, meditati sunt *ac moliuntur* inania; *iactantes vano sermone ea quæ nunquam poterunt perficere?*

Consurgẽtes enim astiterunt *& concursant* reges terræ,

terræ,& principes *qui illis sunt à consiliis*,conuenerunt in vnum,aduersus Dominum *Deum patrem*, & aduersus Christum *filium & vnctum* eius.

Dirumpamus, *inquiunt, ac dissoluamus* vincula *& leges* eorum;& proiiciamus à nobis iugum *& funes iudiciorum* ipsorum, *quibus tanquam cathenis captiuos nos detinent.*

2. *Sed vt videas quàm inanes hi sint conatus, ecce* qui habitat in cælis *Deus pater*,irridebit(eos,) & Dominus *meus Christus* subsannabit eos.

Quin & cùm tempus erit,tunc *affabitur &* loquetur ad eos *Christus* in ira *& indignatione* sua, *secundũ seueritatem iustitiæ*;& in *ira ac* furore suo, *secundùm rigorem iudicij*, conturbabit *& terrebit* eos, *irrita faciens omnia consilia eorum.*

Ego autem, *non vos, inquiet*, constitutus sum Rex;*non quidem ab hominibus sed* ab eo *qui cuncta regit & gubernat,qui & ipse se me Regem cõstituisse ait* super Sion montem sanctum eius, *qui speciatim illi dedicatus est*; prædicans *& annuncians mundo* præceptum *ac legem, decretumq́; & statutum* eius.

Quod quidẽ est,vt sciatis quòd Dominus *Deus pater* dixit ad me: Filius meus es tu,ego *tum quidem ab æterno, tum autem* hodie *nouo modo* genui te *à mortuis resurgentem.*

Postula à me *quodcunque volueris*,& dabo (tibi) *omnes vbique homines ac* gentes, *tanquam in* hæreditatem tuam, & *in* possessionem tuam

ipsos terminos *vniuersæ* terræ.

Ac si qui erunt qui parere recusabunt, reges *&* *conteres* eos, *in sceptro &* virga ferrea *ostendens summam vim ac potentiam tuam*: & tanquam vas figuli *ac testam* confringes *ac comminues* eos, *demonstrans quàm ipsi contrà fragiles sunt ac debiles.*

3. *Hæc igitur cùm ita se habeant, quæso attendite*, & *iam* nunc ô Reges, *qui primi summiq; estis, sapite per vos, &* intelligite, *nec non alios intelligere facite ea quæ dico*; erudimini, *inquam*, *per verã hanc doctrinam, & corrigimini vos secundi à regibus*, qui iudicatis terram.

Atque id quidem facientes, seruite Domino *Deo, & colite eum* cum timore *reuerenter*, & exultate ei *lætantes* cum tremore; *sic vt amor & reuerentia, lætitiaq; & timor semper sint coniuncti.*

Apprehendite *dico* disciplinam *puram & sincerã Filij eius Christi, adorantes eum, tãquam subditi illi & subiecti, cum osculo obediẽtiæ & amoris*, ne quãdo, *si id non feceritis*, irascatur *fortè* (Dominus) *ostendens vim iustitiæ suæ*; & pereatis *aberrantes* de via iusta, *quæ ad vitam ducit, & in solo Filio eius cõsistit, qui via est, veritas, & vita.*

Quod certè vobis mox continget, cùm exarserit in breui *post paululum* ira & fur[illegible] eius; *& vel minimam partem seueritatis iustitiæ suæ, etiam vno puncto temporis, quod quasi pro nihilo est, vt fieri solet, ostenderit. Contrà autem* beati omnes, *& multæ eorum sunt felicitates*, qui confidunt in eo, *& spem suam in illo reponunt.*

EXPLANATIO.

ADuerſus Chriſtum eius] Quoniam Dominus noſter ter maximus eſt, ſummus Rex, ſummus Sacerdos, & ſummus Propheta, qui omnes in veteri lege vngi ſolent: merito per excellentiam Vnctus Latinè dicitur, quod Græcè eſt Chriſtus, Hebraicè Meſſias. Ideò autem vngebantur, vt à Deo munus ſuum accipientes, Spiritu eius ſancto, qui per oleum ſignificatur, implerentur. vnde infrà in Pſalmis, Spiritu ſancto meo vnxi eum. Ideo denique per oleum Spiritus ſanctus ſignificatur, quoniam verus cuiuſque rei vegetatiuę ſpiritus, nihil eſt aliud (prout Chymiſtę tradunt) quàm oleum.

Vincula eorum] Vti bonis iugum Domini ſuaue eſt, & onus eius leue; ita improbis contrà, omnia grauia ſunt & difficilia.

Irridebit ſubſannabit. in ira ſua, in furore ſuo] Hæ paſſiones animi apud homines, Deo, non ſolùm per ſimilitudinem tribuuntur, ſed & reuera (non humana quidem, ſed penitus diuina ratione) ei inſunt. Nam cùm in Deo non ſolùm affirmationes inſint, vt memoria eius quod eſt, ſcientia veri, voluntas boni; ſed & negationes, vt non memoria eius quod non eſt, non ſcientia non veri, non amor non boni, (nàm vtique id quod eſt, non eſt ipſum verum, & verum non eſt ipſum bonum, & bonum non eſt ipſum quod eſt, & ſic porrò de aliis): fit vt latiùs progrediendo, non memoria, obliuio in diuinis dicatur, nō ſcientia, ignorantia, non amor, odium, ira, furor, cum ſimilibus. Quæ & ipſa viris bonis ad Dei imitationem tribuuntur, cùm iniuriarum obliuiſci, malum ignorare, peccatū odiſſe dicūtur.

Cum timore] Cùm tres ſint gradus bonæ voluntatis, metus offendendi Deum, ſpes placendi ei, & amor amplectendi ipſum: monet Vates, omnia miſcenda, aliaque cum aliis coniungenda eſſe; ne ſolus metus illiberalem ſeruitutem, ſolus amor nimiam libertatem inducat; ſola autem ſpes mercenarium pro filio, & homine libero faciat.

Apprehendite disciplinam] Puram disciplinam apprehendendam esse ait; quoniam omnis disciplina (quo nomine lex significatur) vel plus mali habet, minus boni, vt lex naturæ corruptæ; vel æquas quodammodo vtriusque partes, vt Mosaica secundùm literam; vel plus boni quàm mali, vt Christi, quæ tota pura puta est, & ob id sola apprehendenda.

PSALMVS III.

Titulus.

Psalmus Dauid cùm fugeret à facie Absalon filij sui.

Argumentum.

1. COnqueritur Dauid de multitudine deficientium ad Absalonem, qui eum persequebatur. 2. Cæterùm mox resumens animum, confidit in Deo, à quo semper se dicit adiutum, 3. Rogans vt idem nunc quoque fiat sibi & vniuerso populo; pro quo boni Regis est non minus quàm pro se orare, vt sæpe facit.

1. DOmine, quid *tantopere* multiplicati sunt qui tribulant *& in summas istas angustias redigunt* me? multi insurgunt aduersum *& super* me Multi dicunt animæ meę, *& cogitant apud seipsos de me dicentes:* Non est *profectò* salus ipsi in Deo (eius.) *Sed, eia eia* Sela, *simus bono animo, efferamusq́, vocem altiùs,*

2. *Etenim* tū autem Domine susceptor meus es, *& scutum ante & super me*, gloria mea, *in quo solo me effero, & à quo vno accipio omnia*, & exaltans caput meum, *dum per te cuncta aduersa supero, & ex humili & abiecto magnus fio.*

Nam

Nam quotiescunque voce mea ad Dominũ clamaui, *semper iuuit* & exaudiuit me, *votis meis respondens*, de *Sion* monte sancto suo, *vbi sanctuarium & arca est fœderis ipsius. Quin eia* Sela *dicam vobis amplius.*

Ego *olim, vel in grauissimis periculis constitutus præ summa fiducia & securitate in Deum accubui ac* dormiui *otiosus*, &, *quod magis est*, soporatus sum, *altum dormiens*; & *tamē experrectus* exsurrexi *saluus & sanus. Quod non alia re mihi contigit, quàm* quia Dominus *semper* suscepit *& sustentauit* me.

3. Quare & nunc non timebo, *ne decem quidem* millia populi circumdantis, *& vndequaque obsidentis* me: *tu modò* exsurge, Domine, *& erige te in pedes, nam ad te reuertor, &* saluum me fac Deus meus.

Quoniam tu *sæpe aliàs atque adeò semper* percussisti *in maxillam* omnes *inimicos meos* aduersantes mihi sine causa; *& colaphum ipsis grauiter ac ignominiosè impingens*, dentes peccatorum *& impiorum* contriuisti, *ne mordere me amplius, aut cibum conterere, & viuere possent.*

Quippe vnius Domini, *& in eo*, *& ab eo solo omnis* est salus; & super populũ tuum, *ô Deus, qui quemadmodum ego, in te sperat & confidit, ostendat se* benedictio *& beneficentia* tua: *sic vt quemadmodum nunc à me deficit, mox ad me sit reuersurus! eia eia triumphe* Sela.

EXPLANATIO.

Sela] Hæc interiectio ter hîc repetita, propriè est animum resumentis, & vocem intendentis, seque ipsum aut alium adhortantis, vt, eia, euge, & similes Interiectiones apud Latinos. accommodaturque etiam asseuerationi, lætitiæ, ac similibus.

PSALMVS IIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici* in *instrumentis pulsandis & carminibus decantandis, vt ad instrumentum quod vocatur Neginoth cantetur hic* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. DAuid initio regni sui inuocat Dominum contra inimicos & inuidos. 2. Quos alloquitur, & vt odia deponant, hortatur. quoniam à Deo, qui omnia bene fortunabit, constitutus est Rex. 3. Vnde rursum ad Dominum se conuertit hilaris, & bona spe plenus.

1. QVoniam *semper* cùm inuocarem *eum*, exaudiuit me Deus, *qui author & testis ac vindex est* iustitiæ *& innocentia* meæ: *& quia*, ô *Domine*, in tribulatione *& angustia semper* dilatasti, *& aperiri* mihi *fecisti viam salutis.*

Etiam nunc quæso miserere mei; & *audi*, *imò* exaudi orationem meam, *contra eos qui me odio & inuidia persequuntur.*

2. Nam vos filij hominum *& principes viri*, vsquequo graui *& offenso eritis* corde *contrà me, ac glo-*

ac gloriam & dignitatem meam regiam, quam in ignominiam deducere ſtudetis? (vt quid) multa machinantes aduerſum me, diligitis vanitatem, & res futiles ac inanes ſtruitis, & quæritis mendacium, molientes ea quæ nunquam ad exitum deduci poterunt? Certè ita res eſt Sela.

Etenim hoc vobis perſuadete & ſcitote certò, quòd ego ad hanc dignitatem vnctus ſum, non humanum eſſe opus, ſed diuinum, quoniam mirificauit Dominus, & admirabili ratione ſeparauit me ab alijs, & ſelegit ſibi in regem ſanctum ſuum: cui ob vitæ morumq; placabilitatem, bonitatem & miſericordiam ſuam oſtendit. Qui quidem ipſe Dominus, ſiquidem moleſti eſſe pergitis, ſine dubio audiet atque adeò exaudiet me cùm clamauero ad eum: ne plus vos quàm ille poſſe videamini.

Iraſcimini quidem: nam primus ille motus in poteſtate hominis non eſt; nec mirum eſt quoque, tanta & tam ſubita infimi & viliſſimi hominis ad ſumma euectione, initiò vos offendi. Sed tamen trementes, Deumq; metuētes, nolite peccare, conſentiendo primo illi motui & offenſioni: cui vtiq; reſiſtetis, ſi (quę) irati dicitis in cordibus veſtris, nō ſtatim in publicum & apertum proferatis; ſed potiùs in cubilibus veſtris tacitè & ſecretò apud vos ſolos ſuper iis cogitetis, ac compungimini pœnitentes ea de re, & adnitentes iram veſtram compeſcere, ne foras prorumpat. Ita profectò res eſt Sela.

Et ideo ſic facientes, & in voluntate Dei voluntatem

tem vestram ponentes, sacrificate *magnum illud* sacrificium iustitiæ, *parendo mihi Regi vestro à Deo constituto*, & sperate *ac confidite* in Domino, *quòd condonatis peccatis præteritis, reliqua in futurum bene diriget, & me Rege, res omnes ex voto succedēt.*

3. *Nam quod* multi, *quasi de republica desperantes*, dicunt: Quis ostendet nobis bona? *vt quidquam huiusmodi vnquam videamus?*

Equidem signatum *& tanquam vexillum, & sol ipse leuatū* est super nos lumen *facierū tuarū, siue* vultus tui Domine, (*vt ad te reuertar:*) *quo cuncta illustrans, omniaq; bona nobis tribuēs, vti sole oriente fieri solet, iam nunc* dedisti lætitiā in corde meo.

Idque postquam vidi quòd populi isti, qui mihi subsunt, hoc tempore messis & vindemiæ, à fructu *& copia* frumenti, vini, *musti* (& olei) sui, multiplicati *& planè diuites facti* sunt.

Quare in te fidens vt semper feci, & securè degēs, tanquam in *altissima* pace *pariter* in id ipsum *&* dormiam & requiescam, *accubans tanquam in mollissimo strato, & ad quietem me componens.*

Quoniam *vtique* tu, Domine, singulariter *& speciali quadam ratione* in *indubitata* spe *& confidentia, tanquam in tutissimo quodam habitaculo*, constituisti, *& securè degere facies* me.

EXPLA-

EXPLANATIO.

In finem] Difficilis eſt titulorum expoſitio. nos id quod maximè veriſimile videbitur, ſequemur

Deus iuſtitiæ meæ] Plus eſt quàm quod auctorem teſtem & vindicem eum dicas, quod animo comprehendi quoquo modo poteſt, exprimi non poteſt, vt ſæpe in ſacris literis contingit.

Iraſcimini & nolite peccare] Hinc vides iram & reliquas animi paſſiones per ſe non eſſe malas, ſed indifferentes; fieri autem bonas vel malas pro re ſubiecta, vt & ſuprà tactum eſt. quo quidem modo & diligere vanitatem, & quærere mendacium, malum eſt.

Sacrificium iuſtitiæ] Iſtud eſt ſacrificium illud ſacrificiorum (vt ſic dixerim) cuius infrà quoque Vates meminit, cùm ait: Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ. Et eſt cùm non oues, aut boues, ſed ſeipſum, & quidem optimam ſui partem, voluntatem, Deo quis offert, eamque in voluntate Dei collocat, quæ eſt vera hominis iuſtitia. Non ignoro & alias hîc eſſe interpretationes; ſed hæc rei propoſitæ maximè conuenire videtur, vbi de obedientia, Deo, & eius vicario Regi, præſtanda, agitur, quæ ſumma eſt totius iuſtitię.

Lumen vultus tui] Cùm ad Solem iuſtitiæ nos conuerterimus, & ipſe nos illuſtrat, rerumque omnium copiam & tranquillum vitæ ſtatum inducit. Quæ quidem iuſtitiæ præmia eſſe, & cùm iuſtitiæ ciuitas particeps eſt, illa tanquam adiectitia ſequi, partim ex iis quę ſuprà dicta ſunt intelligi poteſt, partim infrà latiùs tangetur.

PSALMVS V.

Titulus.

In finem, *ſiue ad ſummum præfectum chori muſici, vt* pro ea quæ hæreditatem cõſequitur, *ad inſtrumentum quod vocatur Hannehiloth, à bombo apum, decantetur hic* Pſalmus Dauid.

Argumentum.

1. DAuid à Saule, cui hæres ſiue ſucceſſor deſignatus erat, vehementer exagitatus, orat Dominum; 2. Compellans eum primùm, vt oſorem impiorum; 3. Deinde vt amicum bonorum, qui ab impiis calumnias patiuntur. 4. Precaturque ad extremum, vt cuique pio meritis fiat. quæ ſunt duæ contrariæ malorum & bonorum hæreditates; ad quas pertinet titulus Pſalmi ſiue inſcriptio.

1. VErba mea *dilecta* auribus *foris* percipe
Dñe, intellige *intus* clamorem *cordis mei,*
& tacitam meditationẽ, & quaſi murmur meum.
Intende *foris & intus* voci *clamoris &* orationis
meæ, ô Rex meus *potentia,* & Deus meus *bonitate.*
Quoniam ad te orabo, *vti & reipſa oro,* Domine: manè, *quod tempus aptiſſimũ, & à Lege orationi deſtinatum eſt, non ſolum audies, ſed &* exaudies vocem meam.
Manè adſtabo *& totum me accommodabo* tibi, *præparans & inſtituens orationem meam,* & *obſeruans oculis* videbo, *& exſpectabo miſericordiam tuam,* quoniam non Deus volens *& approbãs* iniquitatem *eorum qui me impiè perſequuntur,* tu es.
2. Neque habitabit iuxta te malignus *verbo,*
neque

neque permanebunt iniusti *& furibundè violenti facto* ante oculos tuos.

Odisti *in vniuersum* omnes qui *manu* operantur iniquitatem, perdes omnes qui *ore* loquuntur mendacium.

Virum sanguinum, *qui opere tyrannus est & homicida*, & dolosum, *qui corde hypocrita fraudulentus*, abominabitur Dominus.

3. Ego autem, *qui nihil horum mihi sum conscius, confidens* in multitudine misericordiæ tuę, *contrà* introibo in domum tuam, adorabo, *& me incuruabo*, ad templum sanctum tuum, *vbi tuæ sanctitatis est sedes*, in timore tuo.

Tu modò Domine *secundùm benignitatem & iustitiam tuam* deduc me *quæso vt ambulem* in iustitia *& lege* tua, *ac vel* propter inimicos meos, *qui omnia dicta & ac facta mea inspicientes, & curiosè obseruantes, quotidie tanquam iniustum & impium me calumniantur*, dirige *obsecro* in conspectu tuo viam meam: *sic vt iter quod ad te ducit, & à te paratum est, semper ob oculos habeam, vultumq́; meum ad faciem tuam dirigam.*

Nam quantum ad calumnias inimicorum meorum attinet, non sunt ipsi vlla fide digni: quoniam nō est in ore eorum veritas, *aut rectum quicquam, &* cor *intimum* eorum vanum *& futile* est, *meraq́; prauitas & corruptio.*

Vnde & tanquam sepulchrum patens, *quod grauissimum ac pestiferum fœtorem cadauerū eructat,*

est

eſt guttur eorum, *medium inter cor & os interpoſitum, quantumuis* linguis ſuis *lenificatis blandè ac* dolosè agebant.

4. *Itaque* iudica *& culpa reos perage ac declara, diſſipáq; eos, mi* Deus. Decidant *fruſtrati* à cogitationibus *& conſiliis* ſuis, ſecúdùm multitudinem impietatum *& ſcelerum præuaricationumque* eorum expelle *& elimina* eos *abs te, & hæreditate tua*; quoniam *peccato adhærentes, eiuſq; hæreditatem affectantes*, irritauerunt *& rebelles fuerunt erga* te Domine.

Et è contrà lætentur (omnes) qui *te partem hæreditatis nacti*, ſperant *& fidunt* in te: *qui certè* in æternum exultabunt, *vocem iubilationis edentes, & ad protegendum & cooperiendum eos tu* habitabis in eis.

Et gloriabuntur *lætantes* in te omnes qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices, *& benignitatem tuam exhibebis* iuſto.

Tu, inquam, Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis *ac gratiæ* tuæ *ſplendore* coronabis *ac circumdabis, protegeſq; eum, & vnà etiam* nos, *ne à quoquam lædi & ſancta illa hæreditate tua ſpoliari poſſimus.*

EXPLANATIO.

Auribus] Tribuuntur Deo aures, oculi & ſimilia, non humana ſed diuina ratione, quoniam ad ideæ illius exemplar, noſtra omnia ſunt expreſſa. vnde Dauid. Qui fecit aurem, non audiet? qui finxit oculum non conſiderat?

Neque

Neque habitabit] Quemadmodũ ſummum præmiũ iuſtitię eſt habitare cũ Deo, vt pòſt dicit Vates, ſe intraturum in domũ Dei; & alibi, Et habitabunt recti cum vultu tuo: ita præmium iniuſtitiæ eſt, de ciuitate Dei expelli, in qua nihil inquinatum eſſe poſſe, in Apocalypſi ſcribitur.

Templum ſanctum tuum] Sanctum id propriè dicitur, quod ab omnibus rebus profanis ſeparatum, vni Deo dedicatum eſt, & in eo acquieſcit.

Deduc me in iuſtitia tua] Princeps cauſa iuſtitiæ noſtrę, Deus eſt: concauſa, liberum arbitrium, abſque quo nemo fit iuſtus. Dicitur autem deduci in iuſtitia Domini, qui in lege Dei ambulat, per quã iuſtitiæ Dei homo fit particeps, haud aliter atque res inferiores ſplendoris ſolis participes fiunt per radios ab eo erumpentes, vt modò dictum eſt.

Iudica eos] Mihi vindictam, inquit Dominus, & ego retribuam. Vos autem nolite condemnare, & non cõdemnabimini: quia iudicium hominis fallax eſt, & periculi plenum.

Irritauerunt] Nam quemadmodum boni, legi Dei inhærentes, voluntati Dei obtemperant; ita mali, eam contemnentes, contra eius nituntur voluntatem.

Lætentur, exultabunt, gloriabuntur.] Hæc iuſtitiæ præmia eſſe, ſuo loco latiùs dicetur.

PSALMVS VI.

Titulus.

In finem in carminibus, *siue ad summum præfectum chori musici; vt ad instrumentum quod dicitur Neginoth, decantetur hic* Psalmus Dauid, *secundum harmoniam siue concentum qui vocatur* Pro octaua, *siue Per omnia.*

Argumentum.

1, DElapsus Dauid in morbum, & alias grauissimas calamitates ob peccatum circa Bersabeam & maritum eius commissum, impetum iræ Dei deprecatur: 2. Et mortem: 3. Et tandem per apostrophen, vel inuitis hostibus se iam exauditum ait.

1. Domine ne in furore tuo, *secundùm primum illum ac vehementem impetum zeli tui aduersum peccata mea,* arguas *ac reprehēdas* me; neque in ira tua, *secundùm summum æstum iustæ indignationis tuæ,* corripias *& castiges* me.

Sed contra bonitatē tuā potiùs quàm seueritatem respiciēs, quæso, miserere mei, quoniam *vides quàm* infirmus sum, *non solùm corpore, sed & animo.* sana me *quæso* Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, *sic vt ægritudo corporis, & terror iræ tuæ, ad intima vsque ossa penetrarit, & ad desperationem propè me adegerit.*

Quin præter carnem & ossa corporis, & anima *ipsa* mea, *quæ interior pars est,* turbata est *& exterrita* valde, *tam mortis, quàm iræ tuæ metu*: sed tu

Domine

Domine vſquequo *auerſus à me, differes curationem meam.*

2. Conuertere *amabo, & redi ad me* Domine, & eripe animam meam *à morte:* ſaluum me fac, *non dico ob merita mea, ſed* propter *immenſam illam bonitatem ac* miſericordiam tuam, *qua cuncta creas ac conſeruas, & à qua tantopere à mortalibus laudari optas.*

Quoniam, *quòd me occidas*, non eſt in morte *apud vita defunctos in peccatis, vlla tui memoria; aut quiſquam etiam alius* qui memor ſit tui, *ſic vt hîc percipiatur:* In inferno autem *& ſepulchro* quis confitebitur tibi, *celebrãdo laudes illas tuas, & bonitatem tuam inter homines, quemadmodum nos facimus?*

Enimuero Domine, vide obſecro quantopere laboraui, *ita vt prorſus defatigatus ſim*, in gemitu meo, *præ corporis & animi dolore: &, ſi id nondũ ſufficit, inſuper* lauabo *& madefaciam, ſic vt natare videatur*, per ſingulas noctes lectum meum, *ad maculam adulterij eluẽdam: & quod amplius eſt*, lachrymis meis *etiam totum* ſtratum *& cubile* meum rigabo, *ſic vt præ humore quaſi diſſoluatur.*

Quinimo iam nunc corroſus & turbatus eſt *& caliginoſus factus* à furore *ac vehementia triſtitiæ & amaritudinis meæ, propter indignitates quas patior*, oculus meus. Inueteraui, *& emarcuit præ dolore facies mea, dum ſum* inter inimicos meos, *qui de morbo & aliis miſeriis & calamitatibus meis lætantur,*

tantur, & in varias angustias me coniiciunt.

3. *Sed quid ego me excrucio propter vos hostes meos?* discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ, *& mihi malè vultis & machinamini*, quoniam *iam* exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus, *inquam*, orationem meam suscepit. *Quare* erubescant & conturbẽtur *exterriti* vehementer omnes inimici mei: *qui iam propè mortuo insultabant; & ad sua reuertentes* conuertãtur *in fugam*, & erubescant valde velociter, *dum subitò & vno quasi puncto temporis seruatum me à Deo & pristinæ sanitati restitutum vident.*

Explanatio.

Pro octaua] Hic numerus est Iustitiæ, quæ non aliud est quàm trium partium animi, rationalis, irascibilis, & cõcupiscibilis consensio per harmoniam, quæ Per omnia vocatur. Hinc octo sunt beatitudines, quæ à iustitia procedũt. Et Psalmus centesimus decimus octauus qui totus de lege & iustitia tractat, octonariis constat, & resurrectioni Domini, quæ plenitudo iustitiæ est, octonarius quoque tribuitur. Conuenit autem huic Psalmo, qui pœnitentialis est; quoniam pœnitentia, prima pars siue principium est iustitiæ.

Psal-

Psalmvs VII.

Titulus.

Psalmus Dauid *compositus ad modulos cantilenæ quæ incipit Siggaim siue arcanum, aut indignatio vel ignorantia,* quem cecinit Domino pro verbis *& factis minacibus Chusi æthiopis, siue prognati Cis* filij Iemini *Beniamitæ tritaui Saulis.*


Argumentum.

1. ADuersum Saulem & eius minas orat Dauid: 2. Sibi ipsi malum imprecans, si vera sunt quæ imponuntur: 3. Sin autem falsa, rogat vt iusto Dei iudicio liberari possit, & perire nequitia aduersarij; 4. Inde ad aduersarios se conuertit, ostendens se rectè auxilium hoc à Domino petere, qui, nisi ad sanam mentem redeant, iam paratus est, eos perdere: 5. Ac speciatim ipsum Saulem: 6. De quo ad extremum gratias Deo agit.

1. DOmine Deus meus, in te speraui *ac confido semper:* saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Nequando *prognatus ille Iemini, vita ac moribus niger vt æthiops,* rapiat vt leo animam meam, *& dilaceret eam:* dum non est qui *eripiat me, vel* redimat, neque qui saluum faciat.

2. Domine Deus meus, si feci istud *quod ille mihi imponit:* si *vlla* est iniquitas in manibus *siue palmis & factis* meis: Si reddidi *pacificis &* retribuentibus *ac benefacientibus* mihi mala *pro bonis: vel si etiam, quod amplius est, eum qui me in angu-*



ſtias redigere conatur,etiam vltro non iuuem & eripiam à malo gratis:decidam meritò *& recedam* ab inimicis meis inanis *ac vacuus,ſic vt nullam victoriam,nulláque ſpolia ab iis reportem.*

Imò contrà perſequatur *omnibus modis* inimicus *me &* animã meam, &, *quòd amplius eſt,aſſequatur ac* comprehendat: *& vbi comprehenderit proſternat* & conculcet *pedibus* in terra *me ac* vitam meam:&,*quod omnium vltimum eſt*,gloriam *& honorem, omnemq́ memoriam* meam in puluerem *& nihilum* deducat,*& tanquam in luto habitare me faciat.Sed eia eia* Sela *non ita fiet,non ita.*

3. *Nam cùm tu rem longè aliter ſe habere ſcias*, exſurge *obſecro* Domine in ira tua,*& furore zeli iuſtitiæ tuæ*, & exaltare *eleuans te* in finibus *contra furores & commotiones* inimicorum meorum, *qui in has anguſtias me redigunt.*

Expergiſcere,inquam, & exſurge *ad me iuuandum*,Domine Deus meus,*perſiſtens* in præcepto *ac iudicio*,quod *ſemel* mandaſti *ac conſtituiſti,cùm reiecto Saule,me in Regem inungeres*:& *id cùm fiet, mox omnis cœtus* & ſynagoga populorũ,*ac regnorum potentum*,circundabit,*& accurret ad* te,*& ad nomen tuum ſe conuertet.*

Et *quidem vel* propter hanc *ipſam ſynagogam & ſalutem populi tui,quaſo*,in altum *ſolium tuum, tanquam ſummus Iudex*, regredere : *vt omnes videant quòd* Dominus iudicat populos,*iuſtoſq́ & iniuſtos diſcernit.*

Atque

Atque hoc faciens, iudica me Dñe ſecundùm iuſtitiam meã *in faciendo bonum*;& ſecundũ innocentiam *integritatemq́;* meam *in abſtinendo à malo: quæ res vtraque tuo maximo beneficio in me eſt*, *&* ſuper me,*quantum ad ea quæ mihi imponuntur.*

Et contrà conſumatur *ac ceſſet tandem* nequitia peccatorum,*& conſumat malitia ipſa impios*,& dirige *ac confirma* iuſtum,*ô tu* ſcrutans *& pernoſcens* corda,*& cogitationes*, & renes *affectionesq́; vniuſcuiuſque* Deus.

4. *Et verò ne admiremini mortales quòd tam liberè Deum hoc modo compellem: quoniam* iuſtum *& quaſi debitum eſt* adiutorium meum,*quod tanquam clypeũ protectionis meæ peto à* Domino: *nam ille ex profeſſo ſe illum eſſe ait*,qui ſaluos facit rectos corde,*qualem ego me agnoſco.*

Deus *enim* iudex iuſtus,*tribuens ius ſuum cuique quemadmodum oportet*,*&* fortis,*exſequens id nonnunquam ſtatim cum ſeueritate,ſi quãdo ſic eſt opus*, &patiens,*diſſimulans ſubinde cum longanimitate, & differens executionem.nam* nunquid *autem putatis quod* iraſcitur *& comminatur indignabundus* per ſingulos dies; *ſic vt ſimulatq́; quis peccat puniatur;&, ſi non puniatur, nihil videatur peccaſſe, pro vt vos aſſeclæ filij hominum vobis perſuadetis.*

Non ſanè,non ſic ſeſe res habet, ſed accumulatis tandem peccatis veſtris, & ad ſummum adductis, niſi *ſtatim ad meliorem mentem* conuerſi fueritis, *iam Dominus* gladium ſuum vibrauit,*& acuit*,ar-

cum suum tetēdit, & parauit, *ac rebus omnibus instruxit* illum, *& in vos direxit.*

Et in eo parauit *ac posuit* vasa mortis, *& iacula letifera, &* sagittas suas ardentibus *flammis & persecutoribus similes* effecit, *quas veneno tinctas in inimicos suos immittet.*

5. *Nam quod ad filium illum siue prognatum Iemini attinet,* ecce parturit *& enititur in lucem proferre* iniustitiam, *qua me perdat, dum tanquam mulier in vtero* concepit *in animo suo* dolorem *& inuidiam ex prospero rerum mearum successu: & si quaeras quidnam tandem prolis ediderit,* peperit iniquitatem *& mendacium, quo non solùm me falsò accusat, sed & seipsum vanè eludit, dum frustra me conatur perdere.*

Nam lacum aperuit, & *altè omnino* effodit eum, *vt me caperet.* & *ecce* incidit *ipse* in foueam quam fecit.

Et sic conuertetur dolor *& inuidia* eius, *quem in me cōcepit,* in *totum* caput eius: *nam inuidus ipse suis se conficit improbus armis,* & in *supremum* verticem ipsius, iniquitas *& iniuria* eius, *quā aduersum me parturijt & peperit,* descendet.

6. *Quae quidem cùm ita se habeant,* Confitebor Domino, *agénsque gratias celebrabo eum* secūdùm iustitiam eius, *quam in rebus hisce meis exercuit,* & psallam, *ac laudes canam immortales,* nomini Domini altissimi.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Chusi] Aduersum Saulem, Deum Dauid orans, nomen eius subticet, quia rex erat, & socer, cui maledicere Lex vetet. AEthiopem autem vocat: quia vti à iustitia clari homines dicuntur & illustres, ob Solem iustitiæ; ita è contrà ab iniustitia obscuri & turpes, ob tenebras iniustitiæ.

Iustitiam & innocentiam] Iustitiæ duas partes esse; vnã recedendi à malo, vnde innocentes & immaculati dicũtur; alterã faciendi bonum, vnde iusti, recti; iam antè tactũ est.

Iustus. fortis, patiens] Tres sunt formæ iustitiæ: rectitudo, vnde iustus iudex dicitur: seueritas, vnde fortis: & æquitas, vnde patiens.

Parturit iniustitiam] Vide peccatorum aliorum ex aliis propagationẽ; nam peruersa hominis voluntas iniustitiam parit, iniustitia inuidiam, inuidia iniquitatem, hoc est iniustam machinationem in dictis & factis; & iniqua machinatio, ruinam & interitum ipsius machinantis: nam vt habet vetus apud Græcos carmen: Inuidia ipsa suis se conficit improba telis.

Dolorem] Sic vocatur inuidia, quoniam cùm omnes labes animi ex voluptate ac dolore, tanquam duobus fontibus, procedant; in alijs plus prauæ voluptatis ineſt, quàm doloris, vt in luxuria, acedia, gula: in alijs plus doloris quàm voluptatis, vt in ira, superbia, inuidia: auaritia autem æquas vtriusque partes continet.

PSALMVS VIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici,* pro torcularibus *& felici vindemia,* Psalmus Dauid, *cantandus ad modulos carminis siue instrumenti Githit, quod à Gad ciuitate Palæsthinæ primùm aduectum est.*

Argumentum.

1. CElebrat Propheta admirabilitatem nominis Dei, & Filij eius Christi, nõ ex maioris mũdi contẽplatione modo, sed & minoris, hoc est hominis. 2. Qui licet prima specie exiguus videatur, reuera tamen imago Dei est, & omnibus eius operibus præpositus.

1. DOmine Dominus noster, *qui trinus es & vnus,* quàm admirabile *& potens* est nomen tuum, *& Filij tui Christi,* in vniuersa terra.

Quoniam eleuata, *& posita, exaltáque* est magnificentia tua, *& confessio decoris, laudis, ac gloriæ tuæ, non solùm super omnem terram, sed &* super *omnes* cælos, *qui nunquam desinunt tuam nobis maiestatem sua conuersione demonstrare.*

Quin quod magis admirabile est, ex *voce quoque & ore, ipsóq; adeò adspectu vultus vel minimorum* infantium & *adhuc* lactentium perfecisti, *ac stabiliuisti, & penitus manifestasti* laudem *potentiæ ac gloriæ tuæ, & Christi Filij tui*: vt destruas, *ac confundas, & cessare facias à maledictis suis* inimicũ, *qui te negat rerum omnium parentem ac conditorem esse,*

esse, per Filium tuum vnigenitum hominem factum, & vltorem, *qui non tuis, sed suis viribus confidens, tibi quasi bellum infert.*

2. Quoniam *tametsi quidem initio cùm ab vna parte* videbo cælos tuos, *qui sunt maxima & admirabilia illa* opera digitorum tuorũ, *item* lunam & stellas, quæ tu *praparasti ac* fundasti:

Et ab altera minimum illum puerulũ lactentem, ac vagiẽtem; dicam: Quid est homo quod memor es eius, aut *puer iste* filius *primi* hominis *Adami*, quoniam visitas eum? *& illius causa Filius tuus carnem assumit?*

Attamen post deinde cùm propiùs eum intuebor, animaduertens quo pacto ad imaginem tuam ac Filij tui factum minuisti eum paulo minùs ab angelis, *nec multum Deo ipso trino & vno inferiorem fecisti, cuius similitudinem gerit*, *quodq́;* gloria & honore, *qui fructus virtutis est*, coronasti *& circundedisti* eum, & constituisti eum *dominum* super opera manuum tuarum.

Quòd omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper & pecora *ferásque* campi.

Item volucres cæli, & pisces maris, *& omnes* qui perambulant semitas maris, *quæ omnia haud paulo diuiniora sunt, quàm quæ mundi naturalis constitutio demonstrat.*

Tum nõ minùs hominis quantumcumq; exiguus sit, quàm totius mundi contemplatione cõmotus, dico attoni-

attonitus, & quasi nouo vino nuper torculari expresso ebrius, Domine Dominus noster, *qui trinus es & vnus*, quàm admirabile *& potens* est nomen tuum in vniuersa terra, *dum non solùm in spiritu te colimus, sed & oculis Filium tuum hominem factum contuemur!*

EXPLANATIO.

Pro torcularibus] Quidam hæc verba ad vindemiam referunt, quidam ad instrumentum musicum : nos vtrumq; posuimus, vt & literali sensui (quem vocant) & mystico satis fiat; idque non modò secundùm Hebraicæ linguæ veritatem, sed & septuaginta Interpretum versionem: quam & ipsam non sine Dei numine factam inde inter cætera constare potest, quòd Christus ipse & eius Apostoli ea sunt vsi. Litteralem sensum hîc accipimus, qui de instrumento loquitur : mysticum, qui de torcularibus vindemialibus. Nam cùm sit Psalmus admiratiuus, vt primus & vltimus versus ostendunt; res perinde accipienda est, atque si ab eo decantetur, qui potu noui vini nuper torcularibus expressi sit ebrius, ea ebrietate, (diuina non humana) de qua dicitur in Psalmis: Inebriabimur in bonis domus tuæ. Nā vinum non solùm ad corpus reficiendum, sed & ad animum diuino quodam caloreaccendēdum prodesse, veteres sapientes tradunt: vnde inter quatuor diuinos liquores id numerant, qui sunt, oleum, vinū, mel, & thus. Et in Psalmis, vinum ob id datum dicitur, vt lætificet cor hominis.

Admirabile] Admirationem principium esse omnis scientiæ, veteres sapientes tradunt.

Nomen] Per nomen Dei, ipse Deus in sacris literis significatur, de quo inter homines non nisi prolatione nominis agi potest. Nam cùm tria sint, & non plura, quibus res inter homines exprimuntur; figura, veluti cùm circulus pingitur;

tur; nomē, cùm nominatur; & ratio, cùm definitur; & constet neque figura depingi Deum posse, quia corpore carēs in sensum oculorum non cadit; neq; definitione per genus ac differentiam describi, quoniam supra omnia est genera ac differentias: non restat aliud quàm nomen, quod à substantia illius erumpens, se ore efferendum præbet ac pronunciandum.

Ab Angelis] Hebræi habēt, Diis: quod tum quidem de Angelis accipi potest; tum autem, & quidem veriùs, de Deo ipso; qui plurali numero hîc & aliis locis ponitur, vt trinus & vnus esse intelligatur.

PSALMVS IX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, pro occultis *incrementis* filij *Iessæ*, *& morte insipientis Goliath, cantandus missus hic* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. AGit Dauid gratias Deo de victoria contra Philisthæos & Goliath parta: 2. Inuitans ad id etiam alios sanctos. 3. Tum ad Dominum se conuertens precatur, vt & in futurum populum suum conseruare, & hostes perdere velit. 4. Et quasi conquerens de tarditate Domini in vindicando, vitam & mores describit impiorum, & auarorum hominum: 5. Concludens tandem, vt illos dignis suppliciis afficere, & pios tueri velit.

1. COnfitebor tibi Domine, *& cum gratiarum actione, accepta tibi ferens cuncta, laudibus te celebrabo intus* in toto corde meo: *&* narrabo *verbis foris* omnia mirabilia tua, *quæ à communi hominũ captu longè remota sunt, & separata.*

Læta-

Lætabor & exultabo in te, psallam *ac canam* nomini tuo *excelso*, altissime.

Dum in conuertendo *ego* inimicum meum retrorsum, *& in fugam eos conijciendo*, *ipsi* infirmabuntur *ac corruent*, & *penitus* peribunt *& abscedent* à facie *& præsentia* tua.

Quoniam *hoc non alia re fit, quàm quòd tu* fecisti *ac suscepisti* iudicium meum, & *indicasti* causam meam, *&* sedisti super thronum *tribunalis & solij tui, tu, inquam*, qui iudicas iustitiam.

Atque hoc quidem faciens, increpasti *& compescuisti* gentes *Philistæorum*, & periit *per te* impius *Goliath*: nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi.

Eia iam dico tibi, ô inimice, inimici *huius nostri* defecerunt, frameę, *quibus deuastare nos solet* in finem *& in perpetuum*, & ciuitates (eorum) *Domine* destruxisti.

Periit memoria eorum *cum ipsis &* (cum sonitu) *ac transitu eorum*; & *contrà* Dominus in æternum permanet *ac regnat*.

Parauit in iudicio *& ad iudicandum adscendet* thronum suum, & *pro tribunali sedens*, ipse iudicabit orbem (terræ) in æquitate, iudicabit *potentes* populos in iustitia *& rectitudine*.

Et *hac quidẽ re* factus est Dominus refugium *& tanquã asylum* pauperi *& ærumnis attrito, refugiũ dico &* adiutor in oportunitatibus, *& ipso quasi puncto necessitatis & articulo, cùm maximè versatur*

satur in tribulatione *& angustia.*

Et *hinc fit vt* sperent *ac confidant* in te qui nouerunt *admirabile* nomen tuum, *infinitis epithetis bonitatis, clementiæ, misericordiæ, & similibus exornatum*: quoniam non dereliquisti *vnquam* quærentes te Domine.

2. *Cuius quidem rei causa, vos autem sancti qui hæc non ignoratis*, psallite *& hymnos canite* Domino qui habitat in *arce* Sion, annũciate inter gentes *ac populos* studia *& beneficia, summaq́ consilia, & opera* eius.

Quoniam requirens, *& quasi inquisitionem instituens, ad vlciscendum* sanguinem eorum *qui iniustè oppressi sunt, semper suo tempore ipsorum* recordatus est. Non est *vnquam* oblitus, *quanquam subinde tardus videatur*, clamorem pauperum *ac humilium.*

3. *Quòd cùm ita sit, & nunc* miserere mei Domine, vide *quæso ac respice* humilitatem *& afflictionem* meam; *quæ procedit* de inimicis meis, *qui me odio persequuntur.*

Tu, inquam, me respice qui exaltas, *vindicas, ac retrahis* me de portis *ac faucibus* mortis, vt annuntiem *ac narrem* omnes laudationes tuas in portis *& publicis conuentibus Hierusalẽ* filiæ Sion.

Quod quidem faciens, exultabo in salutari tuo, *quod abs te accepi, enarrans quo pacto per te* infixæ *ac demersæ* sunt gentes in *fouea &* interitu quem *ipsi* fecerunt.

Et

Et quomodo in *reti &* laqueo, quem *ad nos capiendos* abſconderunt, *captus &* comprehenſus eſt *proprius* pes eorum.

Quibus rebus enarrandis cognoſcetur Dominus *ab omnibus qui me audient, tanquam* iudicia faciens, & *iuſtitiam exercēs*, & *intelligetur quo pacto* in *propriis* operibus manuum ſuarum cōprehenſus *& illaqueatus* eſt *impius* peccator. *O rem perpetua memoria celebrandam! Higaion Sela.*

Itaq; conuertantur *ac deſcendant* peccatores in infernum *ac foueam*, omnes *dico* gentes, qui obliuiſcuntur Deum, *trinum & vnum.*

Quoniam non in finem *aut perpetuum* obliuio erit pauperis *apud Deum, ad vindicandum hoſtes eius*: patientia pauperis *ac miſeri exſpectantis Deum* non peribit, *nec fruſtrabitur eum*, in finem *ſempiternum.*

Ad quam quidem rem exſurge Domine, *erigeq; te in pedes, &* non cōfortetur *ac praeualeat* homo, *qui tanquam futile quid & inane ante te eſt* : iudicentur *impiae illae* gētes *Philiſthaeorū, & dent poenas ſcelerum ſuorum ante facies tuas*, in conſpectu tuo.

Conſtitue Domine legiſlatorem, *& pone iugum domini ac magiſtri* ſuper eos ; vt *terrore affecti* (*nam neminem nunc metuunt*) ſciant gentes, quoniam *omnes ſimul* homines *mortales* ſunt, *& perire poſſunt. Ita ſanè res eſt*, Sela.

4. Sed quamobrem tam diu quaeſo me pateris orare ? vt quid Domine receſſiſti, *& ſtas tanquam*

otioſus

ociosus à longè, *&* despicis *nos, abscondēs te atque conniuens* in *ipsis* opportunitatibus, *& quasi punctis temporis, quibus maximè versamur* in tribulatione *& angustia?*

Quia dum *ab vna parte* superbit *& fastu insolenter se effert* impius, *ab altera præ grauissimis persecutionibus, quæ ab illo & in ipsa superbia eius patitur*, incenditur, *& ardet*, *& miserè perit* pauper; *atque id quidem, dum* comprehenduntur *iam peccatores*, in *ipsis* consiliis *& congregationibus ac machinationibus suis manifestis, tanquam in præsenti & flagranti crimine*, quibus *bonos ac pios* cogitant *pessundare.*

Quoniam *nō solùm non turpe apud eos ampliùs habetur peccatum, sed, quod magis est*, laudatur *impius* peccator in *turpibus* desideriis animæ suæ, & iniquus *ac auarus, raptorq́, & fraudator laudatur ac* benedicitur, *& mirificè beatus prædicatur in iniquitatibus suis.*

Quin & *apertè* exacerbauit *& spreuit ac blasphemauit* Dominū peccator, & secundùm multitudinem *altitudinemq́,* iræ *& furibundæ arrogantiæ* suæ, *quam nasi elatione, & reliquo vultu præ se fert*, non quæret, *nec quidquam pensi habet diuini aut humani.*

Denique non est Deus in conspectu *& cogitationibus* eius, *quæ omnes ad hoc redeunt, vt semper secum dicat*: Non est *Deus, non est Deus, & ideo* inquinatæ, *& ad bonos captandos paratæ, planeque*

pestilentes & impura tanquam sanguis parturientis sunt viæ illius in omni tempore, *quantumcunque bella ac pulchra foris videantur.*

Auferuntur *longè latéque tanquam in summa altitudine* iudicia tua, *quibus in improbos animaduertere soles*, à facie eius, *nihil cogitans vnquam tale futurum, sed contrà sibi persuadens, quòd* omnium inimicorum suorum *vel solo flatu* dominabitur, *in eosq́ prae contemptu quasi sufflabit.*

Dixit enim in corde suo, *secum ipse loquẽs*, non mouebor, *nec decidam de felici statu meo, vllo vnquam tempore*, à generatione in generationem, *aut ætate in ætatem: quoniam semper ero* sine malo, *nec vlla mihi accidet calamitas.*

Quin homo est planè perditus, quippe cuius *sermo &* os maledictione *ac periurio exsecrationeque* plenum est & amaritudine, *ac fraude* & dolo, *quibus auaritiam suam exercens, bonos specie recti circumuenit* sub lingua eius, *in corde nihil est aliud quàm* labor *& afflictio*, & dolor, *ac iniquitas, quibus rectos conficere studet.*

Sedet *enim* in insidiis *versans* cum diuitibus, *quos fraudare vult in atriis eorum, & collocans se* in occultis, *quasi in angulis quibusdam, iuxta villas & vicos eorum quibus inhiat*, vt *vsura & dolo* interficiat *virum bonum &* innocentem.

Atque ita quidem dum sedet, oculi eius in *prætereuntem* pauperem *hunc & innocentem, quem in re bona esse nouit*, respiciũt, *&* insidiatur *ei* in *latibulo*

bulo & abſcondito *ſuo*, quaſi leo in ſpelunca ſua.

Inſidiatur, *inquàm*, vt rapiat *ac corripiat* pauperem *illum*: rapere *autem ſtudet hunc* pauperem, dum *blandè* attrahit eum.

Quinimo donec in laqueo *& reti* ſuo, *quod tanquam auceps tendit, rapiet &* humiliabit eum: *ſibiq́ ſubiiciet*; *ipſemet* inclinabit ſe, *quemadmodum aucupes ſolent, & animalia, quæ dum prædam exſpectant, cõtrahunt ſe, vt tanto magis lateant, & fortiùs prædam inuadant*; & *vbi tempus eſſe viderit*, *ſubitò irruet fortiter, &* cadet *ſuper eum omnibus ſuis viribus, nec priùs finem faciet, quàm* cùm dominatus fuerit *toti turbæ & facultatibus omnibus* pauperũ.

Dixit enim in corde ſuo, *tacitus apud animum ſuum*, oblitus eſt Deus, *nec quicquã nouit*, *aut curat rerum humanarum*; auertit *ab iis & abſcondit* faciem ſuam, ne *vnquam eos* videat in finem *perpetuum.*

5. *Hæc igitur cùm ita ſe habeant, & tam ingẽtia & manifeſta ſint eius ſcelera*, exſurge *quæſo* Domine Deus, *& opem nobis feras*, (&) exaltetur *in altum* manus tua *ad feriendum ac perdendũ eum*, ne obliuiſcaris *amabo* pauperum *& afflictorum.*

Nam propter quid *& quibus fretus putas* irritauit *& blaſphemare audet & contemnere* impius Deum, *an alia de re, quàm ſpe impunitatis*? dixit enim in corde ſuo, non requiret *Deus, quidnam ego faciam.*

Tu ergo contrarium oſtende, *quòd* vides *omnia*,

nihilq́; te latet, quoniam *reuera ita res est: nam* tu laborem *& afflictionem, nec non indignationem* & dolorem consideras, *quibus pij ab impiis afficiuntur*, vt *tãdem* tradas(eos) in manus tuas, *ad supplicium sumendum, & iniuriam bonorum vindicãdam.*

Tibi *enim* derelictus est pauper, *qui omni ope humana destitutus, se totum tibi committit, seq́; ipse deserit*: orphano *& pupillo cui nullum in parentibus est auxilium*, tu eris, *prout semper fuisti*, adiutor.

Contere *igitur* brachium *& frange vires impij ac* peccatoris & maligni: *quod cùm facies*, quęretur peccatum illius, *quo tantopere se nunc extollit, quasi mirificè potens sit ac diues*, & non inuenietur, *neque res eius vlla, quoniam vana est & inanis, neque ipse, quoniam non audebit comparere, sed tenebris obrutus, peribit in æternum.*

Et contrà Dominus regnabit *hîc* in æternum, *omni tẽpore*, & *apud superos* in sæculum sæculi, *fine nullo temporis*: peribitis *autem vos impiæ* gentes de terra illius, *quam ipse condidit; & non vos, sed alij inhabitabunt.*

Nam desiderium pauperum *& humilium* exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum, *cùm, te sic dirigente, ad orandùm se parant ac instituunt attentè* audiuit, *ô Domine*, auris tua.

Et secundùm hoc, venies iudicare pupillo & humili, *quem omni ope humana destitutum, & mirificè oppressum, iusto iudicio tuo ab impiorum iniuria vindicabis*: vt *hoc videns*, non apponat, *nec addat*,

aut

aut continuet vltrà magnificare ſe, *ac tanquam Deum extollere, & cæteris vim ac metum incutere, eosq́ conterere ac confringere*, homo *viuens* ſuper terram, *ex qua ſumptus & prognatus eſt*.

EXPLANATIO.

In æquitate, in iuſtitia] Ex tribus formis iuſtitiæ, vnam eſſe quæ in æquo bono conſiſtit; alteram quæ in rectitudine, quæ iuſtitia propriè dicitur; ſuprà tactum eſt.

De portis] Vide pulchram oppoſitionem portarũ mortis, quæ ſunt leges peccati; & portarum vitæ ſiue Hieruſalem, quæ ſunt leges Dei, per quas in iuſtitiam Domini homines intrant, quæ eſt ciuitas Dei: vbi omnia affluunt lætitia, qui fructus eſt iuſtitiæ, cùm fructus iniuſtitiæ ſit interitus, vt in toto hoc Pſalmo videre licet.

Legis latorem] Lex Dei, iugum magiſtri, & terror dicitur malis, ob pœnarum ſanctionem. vnde ſuprà: Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum: bonis, dulcis ſupra mel & fauum, ob præmiorum exhortationem.

Laudatur] Summum malum eſt laudari in peccato, & derideri bonum, & putare nullam harum rerum curam eſſe apud Deum.

Sedet in inſidiis] Pulcherrima deſcriptio, quo pacto auari fœneratores miſeros homines circumueniunt, & bonis euertunt.

Psalmvs X.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, cantandus missus*, Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. Colloquium est Dauidis, & amicorum qui fugam illi suadent, ob Saulis aduersum eum inimicitias. 2. Quibus ille respondet, in Domino se confidere, qui bonos videt & malos, & pro meritis quosque tractat.

1. IN Domino *spero, & penitus* confido, quomodo *ergo ô amici*; dicitis *mihi &* animæ meæ, transmigra *& fuge ocyus de monte* in montem, sicut *auis* passer, *vt venantis insidias euitet.*

Quoniam ecce, *inquitis*, peccatores *& impij* intenderunt arcum; parauerunt sagittas suas in pharetra, *quas ad neruum iam positas & aptatas habent*, vt sagittẽt in obscuro, *è latebris suis, quemadmodum venatores solent, ipsos* rectos corde.

Additis amplius, & dicitis mihi, quoniam *iura omnia, legésque, & item fœdera pacis*, quę *tanquam fundamẽta salutis tuæ cum iis* perfecisti, *ipsáq; adeò perfugia arcium quas condidisti*, destruxerunt *& confregerunt*: 2. *Sed vt ad hoc respondeam, vnum solum quæro à vobis*: Iustus autem quid fecit, *quídve operatus est mali, quòd ita eum persequuntur? nihil omnino, profectò nihil.*

Quod quidẽ cùm ita sit, fretus sana consciẽtia mea,

quæ

quæ pro muro aheneo eſt, dico: Dominus in *regia ſua* & templo ſancto ſuo *eſt*, Dominus in cælo, *vbi ſolium eſt* & ſedes *iudicij* eius.

Oculi eius *non clauſi ſunt, ſed vident omnia, &*, (in pauperem reſpiciunt) palpebræ eius interrogant *& examinant probantq́;* filios hominum *ab Adamo deſcendentium, quales nam illi ſint.*

Dominus *enim* interrogat, *& probat variis modis, rebuſq́; ſecundis & aduerſis,* iuſtum & impium: *& verò* qui autem diligit iniquitatē, *ipſe* odit animam ſuam, *quam omni ſcelere contaminat, & item odio eum habet Dominus, ex toto animo ſuo.*

Et ideo loco deliciarum pluet ſuper *tales* peccatores *& impios* laqueos, *quibus capiantur:* ignis & ſulphur, *quæ de cælis mittentur quemadmodum Sodomitis fiebat*, & ſpiritus procellarum, *turboq́; incenſus* pars *erunt* calicis, *cibiq́; & potus* eorum, *quibus pro meritis punientur.*

Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias, *factaq́; & iudicia iuſta ſemper* dilexit: æquitatem, *& vitæ rectitudinem ſemper libentiſſimè* vidit, *& ad eam ſe conuertit, quemadmodum contrà à malis ſe auertit* vultus eius.

EXPLANATIO.

Odit animam ſuam] Quoniam omnis amor noſter à Deo incipere debet, & inde ad nos deſcendere; ſic vt amor noſtri, qui ſecundarius eſt, per amorē Dei, qui primarius, dirigatur, vt benè ſe habeat. Si quis contra à Deo auerſus, ad ſui amorem totum ſe conuertit, vt mali faciunt; inordi-

natè ſe amat, ſic vt non poſſit non malè ſe habere: vnde ſequitur, licet amare ſe videatur, re ipſa tamen oderit, quoniam ipſe ſibi malè facit ac conſulit.

Iuſtitias] Verbum Iuſtitia ſubinde pro virtute ipſa accipitur, ſubinde pro iuſtis factis, ſubinde pro iuſtis legibus, ſubinde pro iuſtis iudiciis, vt hîc.

PSALMVS XI.

Titulus.

In finem, *ſiue ad ſummum præfectum chori muſici, vt ad inſtrumentum Seminith, quod octo chordis conſtat, & ad concentum qui dicitur* Pro octaua, *hoc eſt, Per omnia, cantetur hic* Pſalmus Dauid.

Argumentum.

1. Conqueritur vir ſanctus, & opem Dei implorat, contra homines improbos, Saulis regis adulatores, qui linguæ ſuæ volubilitate fidebant. 2. Quibus ipſe Dei promiſſiones firmiſſimas ſibi factas opponit.

1. SAluum (me) fac Dñe, quoniam *malis omnia obtinentibus ac complentibus*, defecit *inter homines, nec eſt quiſquam ampliùs* ſanctus *& miſericors, aut beneficus in factis ſuis*; quoniam, *inquam*, diminutæ ſunt, *& penitus abſceſſerunt* veritates *& fides in dictis* à filiis hominum, *qui ab Adamo deſcendentes, in aula Saulis degunt.*

Vana *& mera mendacia* locuti ſunt vnuſquiſq. *& loquuntur quotidie etiam* ad proximum *& amicum* ſuum; labia *& verba eorum blanda &* doloſa *ſunt; duplici animo, aliud in vno* corde, *aliud* in

alio

alio corde locuti sunt: *dum vnum ore proferre, alterum intus tegere meditantur.*

Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, *quæ fictè blandiuntur*, & linguam magniloquam *ac superbam, quæ cum fastu & contemptu loquitur.*

Linguam, inquam, eorum qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus *& extollemus, per eámque authoritate praualebimus*, labia nostra à nobis *ipsis* sunt, *quibus quiduis liberè possumus efficere ac persuadere*, quis noster Dominus est, *aut quis quidquam potest aduersum nos?*

2. Certè propter miseriam *& vastitatem, eiulatúmq́;* inopum *& afflictorum*, & gemitum *miserorum* pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus, *vt opem illis feram.*

Ponam in salutari *Dauid seruum meum, penitusq́; saluti eum restituam*, fiducialiter agam in eo; *sic vt in me, qui loquor pro ipso, vera fiducia ei sit, & à persecutionibus respirare possit, & ab iis se eripere, qui laqueum ipsi inijcere, & deridendo quasi sufflare in eum student, quod contrà ipse, & Messias meus in eos est facturus.*

Quibus quidem verbis Domini vt penitus credam & fidem adhibeam facit, quia eloquia *& promissiones* Domini, eloquia casta *& munda sunt, in quibus nihil adulterinum aut impurum inest, suntq́; tanquam* argentum igne examinatum, *quod* probatum *est in vasis fictilibus, optimæ & ei rei conuenientissimæ* terræ, *&* purgatũ septuplum, *per vices*

 septem,

ſeptem, ſic vt nihil amplius ſcoriæ, vel terræ, aut ſimile quippiam in ſe habeat, ſed prorſus purum ſit & putum.

Quod cùm ita ſit, tu Domine *proculdubio ſecundùm promiſſionem illam tuam* ſeruabis nos *pauperes illos, & inopes*, & cuſtodies nos *ab hominibus iſtis falſis ac doloſis, &* à generatione hac *praua & adultera, vſque* in æternum.

Quod quidem eo etiam magis eſt neceſſarium, quoniam ecce in circuitu impij ambulant, *oberrantes circumquaque, & ſe efferentes, inſidiaſq; bonis ſtruentes, quandoquidem* ſecundùm altitudinem tuam, *& immenſam profunditatem iudiciorum tuorum, tibi ſic nūc placuit, quòd* multiplicaſti, *& principatum obtinere permiſiſti ad tempus perditiſſimos ac viliſſimos quoſque* filios hominū: *ita vt non virtus, ſed vanitas & opprobrium inter mortales dominetur.*

EXPLANATIO.

Septuplum] Perfectionis hic eſt numerus: vnde ter quaterque beati dicuntur, & in ſeptenarij numeri Sabbatho quieſcitur, & id plenè perfectéque purum habetur, quod ſepties purgatum eſt. cuiuſmodi dicit Vates eſſe Verbum Dei in quo nihil ne minimum quidem falſi vanive ineſt. quod ſecus eſt in hominibus, quorum ſermo quantumcumque purus, aliquid tamen ſemper vanitatis ſecum trahit. vnde omnis homo mendax, in Pſalmis dicitur.

PSALMVS XII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, cantandus missus hic* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. Queritur Vates, quis tandem finis erit malorum. 2. Vnde ad precationem dilabitur, vt liberari aliquando possit.

1. VSquequo Domine obliuisceris me? *an in finem & perpetuum?* vsquequo auertis & *tanquam iratus abscondis* faciem tuam à me?

Quamdiu ponam & *volutabo diuersa* consilia in anima mea, *vt euadam infinitas illas calamitates, in quibus versor? quamdiu circumferã* dolorem *hunc* in corde meo, *qui me exercet ac conficit quotidie* per diem & *noctem*?

Vsquequo exaltabitur & *superior erit, cristasq́ erigat* inimicus meus super me? respice, *quaso, tandem oculos tuos ad me deorsum vertens, & non amplius auertens*, & exaudi me, *votis meis respondens & annuens*, ô Domine Deus meus.

2. Illumina oculos meos, *vt videam qua parte mala hæc & insidias hostium effugere possim*, ne vnquam, *si id non fiat*, obdormiam in morte, *occisus ab hostibus, vel oppressus somnolentia in tenebris & caligine malorum*, & ne quando dicat inimicus meus, *quod sanè omnium indignissimum esset*, præualui aduersus eum, *& potui quod volui.*

Certè Domine qui tribulant & *in angustias istas redi-*

redigunt me, exultabunt, *& mirificè gestient, si qua parte nutauero, aut lapsus, vel loco* motus fuero: *verùm*, ego autē in misericordia *& bonitate* tua speraui, *eáque totus nitor.*

Et ideo nihil dubito, quin tandem exultabit cor meum in salutari tuo, *quo ab omnibus malis me eripies, &* cantabo *carmen* Domino qui (bona) tribuit *ac rependit* mihi, (& psallam nomini Domini altissimi.)

Explanatio.

Misericordia] Plerumque in Psalmis hoc verbum vsurpatur pro bonitate, quoniam totius bonitatis Dei maximum opus est misericordia. vnde infrà: Suauis Dominus in vniuersis, & miserationes eius supra omnia opera eius. In cantico Zachariæ Viscera misericordiæ dicuntur, quoniam ex intimis penetralibus bonitatis Dei depromitur. Et in Euangelio perfectio virtutis in misericordia ponitur, cùm dicitur: Estote ergo perfecti & misericordes, sicut Pater vester cælestis perfectus & misericors est.

Psalmvs XIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missus hic* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1 Conqueritur vir sanctus plerosque homines impios, & à Deo auersos esse, & quid inde mali consequatur: 2. Tum ad emendationem vitæ ac morum eos exhortatur. videturque potissimùm scriptus hic Psalmus aduersus eos qui tyrannide populum opprimunt, & hypocrisi fallunt.

1. Dixit insipiens *ac stultus, homoq; ferus & agrestis*, in corde suo, *id quod caput est omnium malorum*, Non est Deus.

Quare consequenter omnes qui ita sentiunt, corrupti sunt *alij ab aliis, talibus dictis, inter se*, & abominabiles facti sunt in *omnibus* studiis *& viis* suis, non est *ex iis* qui faciat bonum (non est vsque ad vnum.)

Quinimo Dominus de cælo prospexit super *omnes* filios hominum, *Adami posteros*, vt videat si est *quisquam ex iis* intelligēs *vero animi iudicio, quod prudentia est* (aut) requirens Deum *bona voluntate, quod iustitia.*

Et inuenit quòd omnes declinauerunt *deficientes à via & cognitione veritatis*, *&* simul *cuncti in vita ac moribus* inutiles *& fœtidi* facti sunt; *sic quòd* non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

(*Et quidem* sepulchrum patens, *vnde turpissimus fœtor eructat*, est guttur eorum, *vnde* linguis suis dolosè agebant, *&* venenum aspidum *est* sub labiis eorum.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, *dicto pariter & facto malè agentes.*

Quare cōtritio & infelicitas in viis eorum *quæ merces est iniustitiæ*; & viam pacis, *quæ à iustitia procedit*, non cognouerunt: *quoniam* nō est timor Dei, *qui fons est iustitiæ*, ante oculos eorum.)

2. *Cæterùm* nonne *vel tandem* cognoscent, *inquit Dominus, & per se ipsi sentient insipientiam suam*, omnes qui operātur iniquitatem *priuatim*,

&

& qui *publicè* deuorant plebem meam *comedentes eam* ſicut eſcam panis.

Certè vel ſolius conſcientiæ terror admonere eos debet:nam quia Dominũ non inuocauerunt,*illum timentes,qui ſolus verè timendus eſt,ſed ad alias vanitates ſe conuertentes ,propriæ cõſcientiæ terroribus agitati,*illic trepidauerunt timore(vbi *reuera* non erat timor.

Quòd ſanè non alia re accidit , quàm quoniam Dominus in generatione iuſta eſt, *ſtans à parte iuſtorum,iam inde à natiuitate ipſorum:qui quidem terrorem illum vobis incutit , propterea quòd* conſilium inopis,*quem iuuare deberetis* , cõfudiſtis,*ludibrio illum quotidie habentes , & ignominia ob id afficientes:* quoniam Dominus ſpes eius eſt , *quod vos planè ridiculum putatis, ſed reuera res longè aliter ſe habet.*

Nam quòd bonos illos contemnentes per irriſionem inter vos dicitis, quis dabit ex *arce* Sion , *vbi isti Deum habitare existimant* ſalutare *populo Iſraël? ecce ego vobis reſpondeo :* cùm auerterit Dominus *&* *ſuſtulerit* captiuitatem plebis ſuæ, *quæ nunc per tyrannidem veſtram,qui rebus Saulis fauetis,oppreſſa detinetur , quod equidem me ad regnum euecto breui futurum eſt*, *tunc* exultabit Iacob,& lætabitur Iſraël.

EXPLANATIO.

Sepulchrum patens] Hi tres versus neque in Hebraicis neque Græcis sunt exemplaribus, sed in veteribus Latinis dumtaxat. Et quidem quemadmodũ ex sepulchro, & ventriculo hominis corrupto, turpis fœtor per os eructat: ita ex animo deprauato, turpia dicta & facta procedunt. vnde Dominus in Euangelio, ex vitioso corde, furta, latrocinia, adulteria, mendacia, & alia eiusmodi procedere ait.

Venenum aspidum] Ad tria nobis prosunt animalia; ad vitam, quoniam eorũ lacte viuimus, & pellibus vestimur, cum similibus: ad artes inueniendas, quoniam artem nauticã naupilus, architectonicam nidi auium, venæ sectionem ceruus, & alia alias artes monstrarunt: & ad exempla vitæ in iis quæ prosequenda sunt & fugienda. vt in Euangelio: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. & in Psalmis, Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Potest addi, quòd in sacrificiis veteris legis eorum quoque erat vsus.

PSALMVS XIIII.

Titulus. Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. QVærit Dauid, quis in tabernaculo Domini sit habitarurus. 2 Respõdet, qui recedens à malo, & faciens bonum, vtrũque in cogitatis, dictis & factis circa Deum, se, & proximum circa bona animi, corporis, & externa, in dando, accipiendo, & faciendo præstat. 3. Et secundùm hoc concludit.

1. DOmine quis habitabit *& versabitur* in tabernaculo *ac tentorio* tuo, aut quis requiescet *& morabitur* in monte sancto tuo?

2. Qui *alienus à malo* ingreditur *& ambulat in lege*

lege Domini ſine macula *peccati*,& *ornatus virtute*, operatur iuſtitiam.

Qui,*inquam*,*ſecundùm hoc*,*ad ſingula porrò procedēs*,loquitur *&* *meditatur* veritatē in corde ſuo *intus*, qui non egit dolum *nec detraxit cuiquam*, *aut falſò accuſauit quemquam* in lingua ſua *foris*.

Et quantum ad facta attinet,nec fecit proximo ſuo malum, &, *quod magis eſt*, opprobrium non accepit,*dum non conuitiatur ipſe* , *nec alios quidem conuitiari patitur* aduerſus proximos ſuos.

Sed contrà ad nihilum deductus eſt in conſpectu *& oculis* eius, *& tanquam nullius momenti deſpicitur*,*abominabiliſq́ habetur ab eo* malignus *ille obtrectator & impius* , *non propria quidem gloriæ* (*nam & ſe quoque præ modeſtia grauiſſimum peccatorem æſtimat*) *ſed honoris Dei cauſa*,*& ideo* timentes autem Dominum,glorificat, *& in ſummo pretio habet & honore*,

Denique qui iurat proximo ſuo , *vouetq́ Deo quòd pietatis cauſa corpus ſuum affliget*,& non decipit,*nec fallit iuſiurandum erga Deum & proximū tametſi dānoſum & moleſtū ei ſit*,*&* qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram , *vt proximum fœnore grauet*,& munera ſuper innocentem non accepit, *vt ſordibus corruptus*,*falſò iudicio aut teſtimonio eū premat*,*aut etiam iuſta ſententia liberet*.

Qui facit hæc, non mouebitur,*nec deiicietur de tabernaculo & monte Domini*,*ſed è contrà firmus & immotus manebit* in æternum.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Habitabit] Vltimum ac summum iustitiæ præmium est, habitare in ciuitate, ipsaque adeò domo Dei: quod illis solùm contingit qui hîc describuntur.

Qui iurat] Tres hîc coniunguntur res sacræ: Iusiurandum, mutuum, & iudicium: quæ, cùm in illis mala fides, vel corruptela pecuniaria interuenit, ex sacris execrabiles efficiuntur: nam quo res per se sanctior est, eo, si corruptio interueniat, fit detestabilior.

Non mouebitur] Quoniam quaternarius numerus, qui numerus iustitiæ est, immobilis est; & ipsa iustitia firma est & immobilis: vnde definitur iustitia constans & perpetua voluntas. & Dauid in Psalmis: Non dabit, inquit, in æternum fluctuationem iusto. Dominus etiam in Euangelio similem illum esse ait domui fundatæ super petram, quã pluuiæ, venti, & impetus aquarũ nõ possunt euertere.

PSALMVS XV.

Titulus.

Tituli inscriptio, *siue corona aurea, & columna erecta* ipsi Dauid, *vt decantetur hic Psalmus ad modulos & numeros insignis carminis, cuius initium Michtan, siue aurum, vel aureola, & deliciæ.*

Argumentum.

1. ORans narrat vir sanctus, se bonis benefaciendo, & ab impiis & eorum exsecrationibus recedendo, Deum fortem hæreditatis nactum esse. 2. Qua de re gratias illi agit, immortalemque se fore prædicat. Sub persona autem Dauidis loquitur hîc Christus de vitæ suæ ratione, & resurrectione à mortuis, quæ est corona & aureola totius vitæ, passionis & mortis eius.

1. COnserua me Domine *& custodi me*, quoniam speraui in te: *ecce* dixi Domino,

Deus meus es tu, quoniam *tibi ipsi sufficis*, *&* bonorum meorum nō eges, *sed contrà, bonum meum non est nisi à te.*

Ex quo quidem sanctis, *&* *pietate præstantibus viris*, qui sunt in terra eius, *&* *ope humana indigēt, tanquam ipsi simillimis, quicquid possum opis & officij confero, ad quam rem Dominus ipse* mirificauit *& admirabiliter accendit* omnes voluntates meas in eis *omni beneuolentia complectendis.*

Et è contrario, quantum ad malos & impios attinet, quoniam multiplicatæ sunt infirmitates *& vitia atque adeò fälsa idola* eorum, *&* post ea *currentes* accelerauerunt, *colentes & donariis ornantes Deos alienos:*

Non congregabo *nec intrabo in* conuenticula eorum, *neque libabo libamina eorum, quæ offerunt* de sanguinibus, *& cædibus, ac exsecrationibus suis: imò* nec memor *quidem* ero nominū eorum, *aut assumam ea* per labia mea.

Nam non prædæ & cædes, sed Dominus pars *est & portio* hæreditatis *ac substantiæ* meæ, & calicis mei: *vnde abunde mihi suppetunt, quæ ad vitam, cibumq́, & potum sunt necessaria:* tu, *inquā, Domine* es qui restitues *ac sustentabis* hęreditatem meam, *& dabis inde fructus* (mihi *) cùm tu sis fundus ipse hæreditarius, qui sorte mihi obuenit.*

Equidem funes *diuisionis hæreditatis & agri inter me & impios*, ceciderunt mihi in præclaris, *& locis longè amœnissimis*: etenim hęreditas mea pręclara

clara *& ſpecioſa, omnibuſq́; modis chara* eſt mihi.

2. *Quare* benedicam *& laudabo* Dominum, *gratiáſque illi agam*, qui tribuit mihi intellectum *& conſilium, vt ipſum pro hæreditate eligerem: nam non de die ſolùm, ſed* inſuper & vſque ad noctem, *& per totam adeò noctem*, increpuerunt me, *& quaſi caſtigando erudierunt ad pietatem, non dico meliores animi partes, ſed & ipſi* renes mei, *à quibus alioqui varij affectus. & turbulenti animi motus exſiſtere ſolent.*

Atque hæc tanta bona mihi contigerũt, quia prouidebam *& propoſitum habebam* Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear, *aut aliqua in parte nutem & vacillem.*

Et propter hoc *primùm* lętatum eſt cor meum, & exultauit lingua, *& ſe extulit gloria & anima* mea, *tum* inſuper & caro mea, *cùm anima ab ea diſcedet*, requieſcet *confidenter, & quaſi habitabit, ſuaui ſomno ac ſapore (qui mors iuſtorum eſt) circumfuſa*, in *certiſſima* ſpe *reſurrectionis.*

Quoniam *quantum ad priorem partem attinet*, non derelinques *ô Domine* animam meam in inferno, *quò deſcendendum mihi eſt*, nec dabis, *quantum ad corpus*, ſanctum tuum, *quem in te vno acquieſcentem omni beneficentia & miſericordia ſemper complexus es*, videre corruptionem.

Sed cõtrà, ad omnia hæc euadẽda, notas mihi fecisti vias *iuſtitiæ ac* vitę, *per quas redibo à mortuis; eoq́;*

facto, adimplebis *&* *satiabis* me lętitia, *omniq́; genere gaudiorum*, cum vultu tuo, *quando conspectũ & contemplationem sanctissimæ faciei tuæ, mihi ad te ascendenti exhibebis: nam infinitæ* delectationes *ac suauitates cum decore coniunctæ sunt* in *te ac* dextera tua vsque in finem *&* *perpetuum, quæ est vera immortalitatis corona.*

EXPLANATIO.

Tituli inscriptio] Ideo autem hic Psalmus à corona aurea & columna ad perpetuam rei memoriam erecta nomen habet: quoniam est carmen victoriæ Christi contra mortem; qui resurgens & ascendens in cælum, intrauit in voluptatem ac delicias Dei Patris, à quibus & ipsis titulus est Psalmo impositus.

Non eges] Hoc propriè vnius Dei est, nullius rei indigum esse, & largiri omnia omnibus.

Dominus pars hæreditatis] Cùm Dominus sit omnia in omnibus; non potest certiorem substantiam ac hæreditatem quis habere quàm Deum. Et meritò conuenit hoc Christo, quia cùm sit Filius, ergo hæres.

Vias vitæ] Immortalitatem, lætitiam, conspectum Dei, & perpetuam voluptatem, præmia iustitiæ esse, suprà tactum est: & inde etiam sequitur quòd iustitia, suâ naturâ perpetua est, pacemq́ue inducit. de qua re in Euangelio: Beati pacifici, quoniam ipsi Deum videbunt.

PSAL-

Psalmvs XVI.

Titulus. Oratio Dauid.

1. IMplorat Dauid auxilium Domini contra vim & insidias Saulis, & aliorum. 2. Enarrans primùm innocentiam suam, & opem quam semper habuit à Deo, & adhuc implorat: 3. Et deinde pericula, in quibus circumuentus ab hostibus versatur: 4. A quibus denuo orat vt liberari possit, ponens ob oculos impietatem eorum, & pietatem suam.

1. EXaudi Domine iustitiam, *& innocentiam, iustamq́ orationem* (meam,) intende *in* deprecationem, *& vociferationem* meam.

Auribus percipe orationem meam, *quàm ad te facio*, non in labiis dolosis, *& verbis mendacibus, sed verè & ex animo sincero ac simplici.*

De vultu tuo *quem iudicem huius causæ, quam cum Saule habeo, facio*, iudicium meum, *& sententia quæ in ea reddenda est*, prodeat; oculi tui videant, *examinéntque & expendant* æquitatem *causæ.*

2. *Iam enim* probasti cor meum, & visitasti *me* nocte, *quando maximè homines indulgere solent cogitationibus*, igne *calamitatum* me examinasti, *& excoxisti, sicut argentum quòd probatur vtrùm purum sit nec ne*, & non est inuenta (in me, *vlla vel cogitata* iniquitas) *quantum ad han crem qua de agitur attinet.*

Sic vt non *transgrediatur & aberret nec* loquatur os meum *aliud quàm mens ipsa cogitat, secundùm communem consuetudinem, &* opera *vanorum*

 homi-

hominum, *à quorum factis cupio quàm maximè esse alienus*, propter verba labiorum tuorum, *quibus hoc prohibetur*: *& ideo* ego *dereliqui viam peccati, quæ facilis est*, *&* custodiui vias *virtutis* duras, *obseruauiq; semitas grassatorũ ac latronum, aliorumq; destructorum, vt ab illis me retraherem.*

Ad quod semper vrgendum, perfice, *quæso, ac conserua sustentáq;* gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur *pedes, aut labantur, nec aberrent* vestigia mea *à mandatis tuis.*

Quòd quidẽ ego *semper petij, &* clamaui *ob id, & clamo etiam nunc ad te*: quoniam *semper cùm hoc feci, votis meis respõdisti, &* exaudisti me Deus: *quare & iam quoque* inclina, *obsecro*, aurem tuam mihi, & exaudi verba mea, *quæ loquor.*

Atque hoc faciens, mirifica, *sic vt stupeant omnes*, misericordias tuas, *& bonitatem tuam, tam longè ab aliis separatam, & supra omnia positam, tu* qui *manu tua* saluos facis sperantes in te, *quoties ab aduersariis opprimuntur.*

Atque abstrahens misericordias illas tuas, à resistentibus dexteræ *& voluntati* tuæ, custodi me *ab illis non vulgari modo, sed* vt pupillã oculi, *quæ tanquam filia chara esse solet.*

Et vt gallina pullos, sic & tu, sub vmbra alarum tuarum protege *& absconde* me à facie impiorum qui me afflixerunt *ac deuastarunt.*

3. *Iam enim ecce* inimici mei, *ad auferendam* animam *& vitam* meã circumdederũt *me pauperem*

rem & egenum, corporeq; infirmum, cùm ipsi contrà rerum omnium copia affluentes, adipem suum præ pinguedine per totum corpus diffuderint, in eoq; se quasi concluserũt, atque hoc modo bono fortunæ successu elati, os eorum locutum est superbiam, fastúmque & arrogantiam.

Proiicientes enim me, & aduersum me incedentes, omnesq; adeò gressus meos & itinera obseruantes, nunc iam circumdederũt, inquam, me, & oculos suos statuerunt, inque hoc intenderunt, vt videant vbinam retia sua potissimùm expandant, vt me declinare ac prosternere possint in terram.

Susceperunt, dico, & obseruauerunt me ad eum modum, vt similitudo eorum sit, sicut leo paratus & inhians ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis, vti ex occulto insidietur.

4. Quod quidem cùm ita sit, exsurge Domine, & præueni eum, qui princeps est horum omnium, & anteuerte faciem eius, & supplanta, ac incuruatum prosterne eum in terrã, & sic eripe animam meam ab impio illo, & aufer gladium & frameam tuam, qua nos soles castigare, ab inimicis illis & malis hominibus; quibus vti soles pro instrumẽto manus tuæ, & sunt quasi ipse gladius & manus tua.

Atque ita Domine, à paucis de terra, qui piè ac iustè in hoc mundo inter mortales viuentes, pauci admodum sunt numero, diuide impios illos, ac secerne eos: quoniam cùm sæculo huic, & rebus temporalibus sint addicti, & quasi in profundum immersi, pars

ipsorum & hæreditas non in te est,sed in vita eorum *voluptatibus affluente* , *&* de absconditis tuis *& penus tuæ edulijs,quibus solis delectantur*, adimpletus est venter eorum, *qui ipsorum est deus.*

Saturati sunt *& referti opibus ac deliciis,non sibi solùm,sed &* filiis *suis,quibus abundantes amplissimas illas opes suas reliquerunt*;&,*quod vel in potissima parte felicitatis ponunt*, dimiserunt reliquias suas paruulis *ac nepotibus* suis, *quibus hoc modo egregiè putant prospectum, in diuitiis suis,non in te spem suam ponentes.*

Quod quidem quàm vanum & inane sit,nõ ignorans,ego autem *contrà qui te hæreditatem elegi,non in multitudine diuitiarum*, *sed* in iustitia *& innocentia* apparebo conspectui tuo,*& videbo faciem tuam*:satiabor *non quidem edulijs*, *sed* cùm apparuerit *& se mihi ostenderit* gloria,*& vera species ac forma* tua, *& expergiscens à somno mortis, exsurrexerit imago & similitudo tua, quam in me circumfero.*

EXPLANATIO.

Semitis tuis] Hoc est,legibus ac præceptis,in quibus homines ambulantes,iustitiæ Dei participes efficiuntur.

Manus tua] Cùm nullum peccatores ipsi vsum de se præbeant, sed omnibus noceant; Deus malum hoc,quoad eius fieri potest, in bonum conuertens, vtitur malefactis eorum,in castigationem bonorum qui peccarunt; vt resipiscant vel ipsi,vel alij eorum exemplo.

Satiabor] Quemadmodum enim effectus iustitiæ est, videre Deum,vt suprà traditum est; ita & eiusdem est,plenam

nam in Deo satietatē inducere, cùm nimirùm per Eudociam in Deo quis acquiescit, qui supremus est gradus iustitiæ: Vnde Dominus in Euangelio, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Cùm apparuerit gloria tua] Ostendit hanc societatem tum contingere, cùm quis tota mente sua, quæ imago Dei est, exemplari suo Deo penitus adhæret, & de facie ad faciem eum cōtemplatur, quod in hac vita non nisi per vmbram, in futura autem demum verè fiet.

PSALMVS XVII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missum carmen*, à puero *siue seruo* Domini Dauid, qui locutus est *ac cecinit* Domino verba cantici huius, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & *præsertim* de manu Saul. Et dixit:

Argumentum.

1. GRatias agit Rex Deo, de cunctis hostibus suis ope & auxilio ipsius deletis. 2. Quod quo pacto factum sit, sub magnæ tempestatis specie narrat. 3. Addens è contrà, quantis ipse bonis à Deo fuerit affectus. 4. Et quis qualísque, & quantus ille sit Deus. 5. Cui rursum ad extremum de omnibus suprà dictis gratias agit. Refertur autem mysticè ad Christum.

1. DIligam te Domine, fortitudo mea, *& robur meum, tu* Dominus *quasi rupes*, firmamentum meum, & refugium meum, *tanquam arx & propugnaculum*, & liberator meus, *qui ab omnibus malis me eripuit*.

Deus meus, *fortis*, adiutor meus, *& petra mea*, & sperabo in eum, protector meus, *tanquam scutum ad tegendum*; & cornu salutis meę, *ad pugnandum*; & susceptor meus, *ad quem refugiens tanquam ad excelsissimam ac tutissimam arcem & asylum me recipio.*

Laudans, *& debitas gratias agens, simul* inuocabo Dominum, *qui supra cuncta omni laude dignus est*, & ab inimicis meis saluus ero.

Quoniam circumdederunt me dolores, *& funes* mortis, & torrentes iniquitatis, *hominum malignantium & perditissimorum, qui more fluminum rapidissimorum in me ferebantur*, conturbauerunt *& terruerunt* me.

Dolores, *inquam, & funes* inferni, *qui in foueam, & ad mortem hominem trahunt*, circumdederunt me; præoccupauerunt, *& anteuerterunt* me laquei mortis.

Atque ita in summis malis constitutus, in tribulatione *& angustia* mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.

Et exaudiuit de *summo cælo*, templo (sancto) suo vocem meam, & clamor meus, *quem edideram* in conspectu eius, introiuit in aures eius.

2. *Quod quidem vt ostenderet, & de hostibus meis me vindicaret, ecce* commota est *continuò*, & contremuit terra, *præ vi tempestatis futuræ, &* fundamenta montium conturbata sunt, & commota *concussáq;* sunt, quoniam iratus est eis, *& toti terræ eorum*,

eorum, *demonstrans zelum iustitiæ suæ contra peccata ipsorum*.

Ascendit *præ calore & concitatione animi*, fumus in ira *ac furore* eius, & *vorans* ignis à facie *&* *ore* eius exarsit, *sic vt* carbones succensi sunt ab eo, *& vapores è terra exhalarint*.

Inclinauit *ac demisit* cælos, *quos in nubes induebat*, & descẽdit, & caligo *densa* sub pedibus eius.

Et ascendit, *vt tanquam equo veheretur*, super Cherubim, & volauit, volauit, *inquã*, super pennas *siue alas* ventorum, *qui è nubibus ferebantur*.

Et posuit tenebras, *quas grauis tempestas pariebat*, latibulũ suum, *ne ab oculis mortalibus ipse immortalis conspiceretur*, *erátque* in circuitu eius tabernaculum eius, *nimirum* tenebrosa aqua in nubibus aëris, *in quibus in cælo pendentibus, tanquam in tabernaculo latebat*.

Atque ita constitutus, præ fulgore, *qui in* conspectu eius *est (nam inhabitat Dominus lucẽ inaccessibilem, qua propter iram tanto magis tunc emicabat)* nubes *eius quibus circũfusus erat*, transierũt, *& summa vi ferebantur contra hostes meos*, *& cum his* grando & carbones ignis, *quibus fulminabat*.

Et intonuit de cęlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, *tonitrui, cum qua ferebãtur* grando, & carbones ignis, *& fulguris*.

Et, *hoc modo*, misit sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, *alia super alia eiaculans*, & conturbauit *ac consternauit* eos.

Et

Et apparuerunt, *terræ motu*, fontes, *ac profundissimæ origines* aquarum, & reuelata *ac discooperta* sunt fundamenta orbis terrarum, *quem super fluminibus & aquis Deus fundauit.*

Idq; ab increpatione tua Dñe, *qua malos illos reprehendisti; &* ab inspiratione, *ac flatu* spiritus *& venti* iræ tuæ, *qua eos in furore tuo castigasti.*

3. *Atque hæc quidem cùm aduersus hostes meos perpetrasset*, misit *Dominus Angelum, & manum suam* de summo, & *arripiens* accepit me, & assumpsit *& extraxit* me de aquis multis, *& vndis calamitatum, in quibus versabar.*

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me, quoniã confortati sunt super me, *& me facti erant numero & viribus superiores.*

Præuenerunt me, *& incautum iam propè obruerant*, in die afflictionis meæ: & *ecce subitò* factus est Dominus protector meus, *præbens se mihi fulcrum siue sustentaculũ & certissimum firmamẽtum.*

Et *ex angustiis, in quibus versabar, me eripiens*, eduxit me in latitudinem; saluum me fecit, quoniam voluit *& dilexit* me.

Et *quemadmodum tum fecit, ita etiam in posterum* retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam *& bonam animi voluntatem* meam, & secundùm puritatem manuum mearum, *qui in factis meis ab omni iniuria & turpitudine semper abstinui*, retribuet mihi.

Quia *nimirum* custodiui vias *& mandata* Dñi, nec

nec impiè gessi *aut defeci* à Deo meo, *malè de illo sentiens: in quibus duobus vera hominis iustitia consistit.*

Quoniam, *inquam, ad hanc iustitiam assequendam*, omnia iudicia eius, *quibus bonos præmio, malos pœna afficit*, in conspectu meo *semper habui*: & iustitias eius *ac leges* (*nam hæc duo, lex & iudicium à iustitia illius procedunt, quibus iubet ea quæ facienda sunt, & prohibet contraria*) non repuli *nec abieci* à me.

Et *hoc modo*, ero, *& versabor semper plenè perfectèq́*, immaculatus cum eo, & obseruabo me, *& cauebo* ab iniquitate mea, *in qua olim sum versatus, & quæ mihi penitus est insita.*

Et, *sic dico*, retribuet mihi Dominus secũdùm iustitiam meam, *qua bene volui ac feci*; & secundùm puritatem manuum mearum, *qua ab omni malo abstinui*, in conspectu oculorum eius, *qui omnia videt ac nouit.*

Quæ quidem retributio in eo consistet, quòd tu Domine par pari mihi rependes, & iuxta rectissimũ morem tuum, cum sancto *& bono misericordique* sanctus *& bonus misericorsq́* eris, & cum viro innocente *& integro* innocens *& integer* eris, *talem te faciens & illi præbens, qualis ipse est.*

Et *secundùm hoc*, cum electo *& candido* electus *& candidus* eris, & cum *præfracto ac tortuosè* peruerso peruerteris, *dum pro meritis ipsius, ex benigno patre, iustus iudex illi efficieris.*

Quoniam

Quoniam *iuxta illum ipſum morem, ac conſuetudinem tuam*, tu populum humilem, *ac pauperem ſpiritu*, ſaluum facies, *& extolles*, & *elatos* oculos ſuperborum humiliabis, *ac deprimes*.

Quoniam, *inquam*, tu, *vitæ meæ innocentiam, & amorem erga te videns, vt id rependas*, illuminas *gratia tua tanquam Sole*, lucernam *& intelligentiam* meam Domine: *vti te cognoſcam & colam*, ô Deus (meus) illumina *quæſo etiam* tenebras meas, *quæ vi turbulentarum affectionum, & calamitatum externarum, meliorem animi partem ſæpe obſcurãt, & à ſede ſua dimouent*.

Quoniam *id ſi facias, quemadmodum certò ſcio te facturum*, in te eripiar à tentatione *tenebrarum & calamitatum*, & *frangã acies & cuneos hoſtium*, & *expugnans ciuitates eorum*, in Deo meo, *& in nomine ſancto eius tranſiliam, &* trãſgrediar murũ.

4. *Ipſe* Deus meus *eſt*, *&* impolluta via eius, *quam mihi præſcribit*: eloquia *& mandata* Domini *pura ſunt, & puta*, *& ab omni ſorde aliena*, *tanquam ea quæ* igne examinata *ſunt & repurgata*, protector *& ſcutum* eſt, omnium ſperantiũ in ſe.

Quoniam, quis *verè* Deus præter Dominum? aut quis Deus *fortis & omnipotens*, præter Deum noſtrum?

Deus *verus & omnipotens eſt*, qui *inſtruxit, & quaſi* præcinxit me *fortitudine ac* virtute, & poſuit immaculatã *& perfectam* viam *& vitã* meã.

Qui *ſiue fugiendum, ſiue hoſtis inſequendus eſt*, *celeri-*

celeritate instruxit & perfecit pedes meos tanquam ceruorum, *& ceruarum, quibus eos æquauit,* & super excelsa *& prærupta montium meorum, quò me salutis, vel hosti nocendi causa recipere soleo,* statuens *& firmiter stare faciens* me, *ne labar.*

Qui *peritia rei militaris me instruens*, docet manus meas ad prælium; & *animum viresq́; addens* posuisti, *ac fecisti* vt arcum æreum brachia mea; *sic vt non solùm pro arcu æreo sint, sed & eum ipsum arcum confringam & conteram, si est opus.*

Et *super hæc omnia* dedisti mihi protectionem *& scutum* salutis tuę, *quo me seruas*, & dextera tua suscepit *ac suffulsit sustentauitq́;* me, *ne quo modo corruam.*

Sed & *secundùm mansuetudinem animi tui, & benignitatem qua me complecteris*, disciplina *ac doctrina* tua correxit *& meliorem reddidit* me *semper* in finem, & *porrò etiam ea* disciplina tua, ipsa *in futurum* me docebit, *& virtute auctum ac multiplicatum, maiorem ad rem gerendam reddet.*

Nam dilatasti, *& grandiores fecisti* gressus meos subtus me; *sic vt sublimior incedere mihi videar quam priùs*, & *tamen* non sunt infirmata *nec vacillauerunt* vestigia *& crura* mea, *vti ferè fieri solet, si quis altior quàm debet incedat.*

Atque ita rebus omnibus paratus & instructus, persequar inimicos meos, & *appropinquantes* cōprehendam illos, & non conuertar *retrò*, donec *omnes illi consumpti ac deleti* deficiant.

Confrin-

Confringam *ac concîdam* illos, nec poterunt stare *aut resurgere, sed* cadent subtus pedes meos.

Nam & præcinxisti me virtute *ac robore tanquam gladio* ad bellum, *prostrauisti* & supplantasti *hostes* insurgentes in me, subtus me.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, *dum terga vertunt, & ceruicem præbent*, & odientes me disperdidisti.

Clamauerunt *pro hominum auxilio*, nec erat qui saluos faceret: ad Dominũ *quoque, &* nec *ipse* exaudiuit eos, *aut votis eorum respondit.*

Et *ita omni ope diuina & humana destitutos* cõminuam, *ac contusos dissipabo* eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo *ac proteram* eos.

Et sic eripies me de contradictionibus populi, *qui hactenus aduersum me tumultuatus est, &* constitues me in *regem &* caput *multarum* gentium.

Etenim populus *exterus*, quem nõ cognoui, seruiuit mihi, *&* in *solo* auditu auris *famæ quæ de me ferebatur*, obediuit mihi, *conuenientésque in vnum, ad me se receperunt.*

Filij, *dico*, alieni *& extranei* mentiti sunt *sibi ipsis, & aliis in gratiam meam*, mihi, *dum scilicet sperata victoria, quam ipsi sibi promiserãt, frustrati, pacta quæ inter se habebant, deserere, & mihi vel vltro odedire, si non ex animo, verbis certè præ se ferre coguntur*; filij alieni inueterati sunt, *& spe sua cadẽtes, amisso omni vigore animi, emarcuerunt*, & de-*spondentes*

ſpondentes animum, claudicauerunt à *veteribus* ſemitis, *& virtutibus* ſuis, *dum vel in intimis penetralibus ſuis, tanquam carceribus, concluſi, ac bene muniti, degentes, tamen trepidant & expaueſcunt.*

Viuit Dominus, *qui hæc omnia tribuit mihi*, & benedictus *ſit, omnibúſque laudibus cumulatus*; Deus meus, *qui mihi pro rupe & forti petra eſt*, & exaltetur *omnium prædicatione* Deus, *qui Deus eſt & auctor* ſalutis meæ.

Deus, *tu es* qui das vindictas mihi, *quibus ab hoſtibus meis me vlciſcor*, & ſubdis populos ſub me: *tu es* liberator meus, de inimicis meis *grauibus & (iracundis.)*

Et ab inſurgentibus in me, *tu* exaltabis me, *illiſq; me facies ſuperiorem, & à cuncto* viro iniquo, *qui vim & iniuriam intentat*, eripies me.

Propterea confitebor, *& cum gratiarum actione celebrabo te, & laudes feram* tibi in nationibus *per omnes vbique gentes*, Domine, & nomini tuo *cantans*, Pſalmum dicam.

Prædicans te illum eſſe, qui quotidie magnificās *eſt, & mirificè adaugens* ſalutes, *& proſperos ſucceſſus* regis eius, *quem ſibi elegit*, & faciēs miſericordiam, *benignitatemq; ſuam oſtendens* chriſto ſuo Dauid, *quem in Regem vnxit*, & ſemini eius vſque in ſæculum *ſempiternum.*

Explanatio.

Commota est] Hæc omnia hyperbolicè dicuntur ad vim iræ diuinæ ostendendam,latentque in iis permulta & maxima mysteria.

Super Cherubin] Sunt sancti spiritus, qui semper Deo adstāt,quorum ministerio ipsum vsum canit Vates, quemadmodum & ventorum ; vt tam ea quæ superioris mundi inaspectabilis sunt,quàm inferioris aspectabilis,illi parere intelligatur. Ac cùm inter superiora & inferiora sit quędam analogia,quod in superiore regione sunt sancti spiritus,hoc in inferiore sunt flatus & venti.

Posuit tenebras latibulum suum] Est enim Deus nō modo suprà omnem sensum humanum , sed & suprà intellectum positus,sic vt à nobis cognosci non possit , nisi deposito sensu,& intellectu , caliginem eius , quam in circuitu eius esse Dauid canit , cum Moyse intremus.

Retribuet] Hîc ordine enumerātur præmia iustitiæ,de quibus nō se iactat vir sanctus; sed cùm prius pręmia iniustitiæ enumerasset,opponit illis præmia iustitiæ, vt cōtraria iuxta inuicē (vt vulgo dicitur) posita, magis elucescāt.

Cum sancto sanctus eris] Qua quisque enim mensura mensus fuerit,eadē remetietur ei. Sed cùm Deus sanctus, innocens & electus dicitur,& item homo:hoc inter vtrūq; interest,quòd ille simpliciter & absolutè,& per se est talis ; homo autem per participationem dumtaxat.

Cum peruerso peruerteris] Non modò speciem quādam præfractionis humanæ, propter iræ magnitudinem prę se ferens,sed & re ipsa se peruertens,non quidē humano more à bono ad malum,sed penitus diuino,& abstruso,à benignitate quæ bonis debetur,ad seueritatem quæ malis. Adde pro vt quisque erga Deum affectus est bene vel male,ita & Deum sibi videri amicum vel inimicum.

Illuminas lucernam meam] Lucerna in homine ea pars est , quæ ratione & intelligentia constat , quæ tamen non cernit,

cernit, nisi à Deo illuminetur. nam quemadmodũ oculus non nisi in sole, & per solem, & cum sole videt: ita nec mẽs nisi in Deo, cum Deo, & per Deum intelligit.

PSALMVS XVIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, *missus* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. DEmonstrat in hoc suauissimo cantico vir sanctus duobus modis ad Dei ac rerum diuinarum cognitionem nos excitari ac deduci, nempe contemplatione cæli ac siderum per quam à rebus corporalibus ad incorporales ascenditur: 2 Et cognitione legis ac iustitiæ diuinæ, per quam ab intelligentia ad vitam & mores conformandos descenditur: 3 Addens, quantum vtrumque boni homini afferat, & orans, vt quoad eius fieri potest, id sibi contingat. Mysticè regnum Christi & Apostolorum hîc describitur, per quod à rebus aspectabilibus ad inaspectabilia, & ab inaspectabilibus ad Deum ascenditur.

1. CÆli enarrant gloriam *& omnipotentiam* Dei: & *quænam sint* opera manuum eius annunciat *& ostẽdit* firmamentum, *quod per omnia patet, & tanquam pellis extenditur.*

Etenim dies *vnus, qui firmamenti conuersione efficitur*, diei *alteri* eructat verbum, *dum dies diem abundè omnia docet*, & nox *vna* nocti *alteri* indicat scientiam *rerum diuinarum*, *dum per numerorum & contrariorum cognitionem*, *cuius hîc origo naturalis est, animus res separat, ac coniungit*, *& ad opificem ipsum se attollit.*

Non sunt *vllæ apud mortales* loquelæ *siue formæ*

loquendi, neque ſermones *verborum*, *quātumcumque diuerſi ſint*, quorum non audiantur voces *in ſermone* eorum, *cælorum dico & ſiderum*; *ſic vt ab omnibus intelligantur*, *quanquam reuera neque loquantur*, *neque audiantur*.

Quoniam dum à cunctis conſpicitur pulcherrima illa & ad amuſſim facta ſtructura, *& ſecundùm certam regulam tanquam filum ſemper progrediens conuerſio eorum*: *reuera dici poteſt*, *quòd* in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis (terræ) verba eorum.

Sed & in Sole *fabricando*, poſuit *illi Dominus in his ipſis cælis* tabernaculum ſuum, & ipſe *Sol*, *cùm pulcherrimus ſit omnium ſiderum*, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo,

Exultauit *lætus* vt gigas *& athleta aliquis robuſtiſſimus* ad currendam viam, *dum manè oriens* à ſummo *& extremo* cælo egreſſio *eſt* eius.

Et occurſus *ac circuitio* eius vſque ad *alterum* ſummum *& extremum* eius *dum veſpere occidit*, nec eſt qui ſe *interim* abſcondat à calore eius, *quò omnia viuificantur*, *& ad fabricatoris ipſius gloriam excitantur*.

2. *Sed & præter magnifica hæc opera*, *quæ oculis conſpiciuntur*, *inſuper* lex *eſt*, *& doctrina* Domini *perfecta &* immaculata, *quæ auribus percipitur*, cōuertens animas *ad cognitionem & admirationem ipſius*, *& quaſi ipſas ſibi reſtituens*, *quoniam* teſtimonium *eſt* Domini *firmum &* fidele, *oſtendens &*

Deum

Deum esse, & rerum humanarum curam gerere, & sapientiam, *quæ in vna Dei cognitione consistit,* præstans paruulis, *qui animo simplici eius ductum sequuntur.*

Iustitiæ *& mandata* Domini rectę, *non tortuosæ & cõtrariæ sunt,* lętificantes corda *ad eum amandũ, & bene agendum:* præceptũ Domini *clarũ &* lucidum *est,* illuminans oculos *animi ad intelligendũ.*

Timor Domini, *qui ex legibus illis proficiscens, primam hominis iustitiam constituit,* sanctus *est & mundus ab omni fæce, & omnino non inconstans & temporarius est, sed* permanens in sæculum sæculi; iudicia Domini *quæ ad leges exequendas inducta sunt,* vera *& cum summa ratione coniuncta sunt, &* iustificata in semetipsa, *per omnes sui partes, & rationes interiores. quod secus est in iudiciis humanis, quæ sæpe aliqua parte iniusta sunt, & exteriore ratione non interiore constant.*

3. *Et ideò* desiderabilia sunt super aurum *fulgens,* & lapidem *qui ex auro obrizo nascitur,* preciosum multũ, *quo in bonis externis nihil est maius,* & dulciora super mel & fauum *distillantem, quo in rebus ad bona corporis pertinentibus nihil est delicatius.*

Etenim seruus tuus *eorum præceptis admonitus, & animo illustratus ac edoctus, cùm summa solicitudine* custodit ea, *&* in custodiendis illis *diuina* retributio *est, & merces* multa, *quæ bona externa & corporis longè superat.*

Nã quod aliquis mihi obiiciat, Delicta quis intelligit? *vt non errore & ignorantia iuris aut facti sæpe labatur, & contra Legem Dei peccet, & consequenter retributione illa careat: certè, quantum ad hoc prius attinet, tu Domine* ab occultis *peccatis* meis, *quæ dum committo, ignoro me committere, aut certè peccata esse nescio,* munda *& purga* me; & ab alienis, *quæ vi exteriore, aut casu fortuito committo, vel inspiratione diaboli leuiter in animo concipio, dum ob iustitiam ipse mihi placeo, eaq; re quodammodo videor superbior,* parce, *quæso,* seruo tuo, *& prohibe ne in ea incidat.*

Nam sic omnino mihi persuadeo, licet hostes illi exteriores sæpe peccatum mihi suggerant, si *tamẽ, te iuuante,* mei non fuerint dominati, *ita vt sciens prudensq; illis consentiam ac succumbam, quòd* tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto, *si non omnino; nam quo pacto id fieri queat? certè ab illo* maximo, *in quo manifesta prauaricatio Legis tuæ, & plenus in diabolicam illam superbiã consensus inest.*

Et *sic* erunt *omnino illo statu res meæ,* vt complaceant eloquia oris mei *foris*, & meditatio cordis mei *intus*, in conspectu tuo (semper.)

Quòd vt ita fiat, rogo te, ô Domine, *qui in bonis petra mea es & fortitudo, in malis autem* adiutor meus; *ad liberandum me ab hostibus,* & redemptor meus, *ad vindicandum me de illis.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Cæli enarrant] Quoniam omnis cognitio à numeris exiſtit: vno nempe per quod ea quæ ſpecie diuerſa ſunt, in vnum genus coniunguntur, & duobus, per quæ ea quæ genere vna & eadem ſunt, in diuerſas ſpecies deducuntur; horum numerorum cognitio à cæli conuerſione capitur, dum dies & nox vnum & duo ſignificant. Et Sol. & reliqua ſidera in admirationem hominem rapiunt, & ad Dei fabricatoris contemplationem extollunt.

In Sole] Solis nominatim fit mentio, quoniam ſolus cum reliquis ſideribus comparatur, & claritate omnia ſuperat. Et quidem quod in mundo aſpectabili eſt Sol reſpectu ſiderum, hoc in mundo intelligibili eſt Iuſtitia, reſpectu reliquarum virtutum, quas vna omnes in ſe continet, & fulgore ſuo longè excedit.

Lex] Per hanc tanquam medium inſtrumentum homo ad Solem iuſtitiæ conuertitur, quæ dat lumen ſapientię in animo, quod intelligentiæ eſt; & ſanctum timorē Domini, qui volūtatis; & lætitiā, quæ memoriæ. Nomina eius, quæ hîc ponūtur; ſunt Lex, quod nomē generale eſt: teſtimoniū quia Dei voluntatem nobis teſtatur: iuſtitia, quia res iuſtas deſcribit: præceptum, quia iubet ea quæ faciēda, & prohibet contraria: iudicium, quia pœna malè facientibus, prę-mia bene facientibus proponit. Poteſt etiam dici, cùm Legis nomen generale ſit, & teſtimonij vocabulum Epitheton eius generale: iuſtitiam ſuperiorem partem, hoc eſt, prooemium eſſe legis: præceptū mediam partem, quæ conſtitutionem ipſam continet: & iudicium infimam, quæ ſanctionem pœnarum, & exhortationē præmiorum; vnde retributio multa in ea cuſtodienda eſſe dicitur. Porrò Epitheta quæ Legi Dei hic tribuūtur, & vim eius, & effectum naturamq́ue oſtendunt, & ab humana eam diſtinguunt.

PSALMVS XIX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missus* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. INtroducit rex populum pro se orãtem, qui tum quidem ipsum alloquitur, omniaque ei bona à Deo optat: 2. Tum autem ad Deum paulatim se conuertit, eiusque præsidium (spreta humana ope) implorat.

1. EXaudiat te, ô *Rex, & respondeat votis tuis* Dominus in die tribulationis *& angustiæ,* protegat *& eleuet muniátque* te nomen *& maiestas* Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de *templo* sancto *suo*, & de *arce* Sion tueatur *ac suffulciat* te.

Memor sit omnis *muneris &* sacrificij tui, *sic vt odor eius in nares ipsius adscendat*, & holocaustum tuum pingue fiat *& opimum, sicut gratum id sibi esse Dominus ostendens, igne de cælo misso, in cinerem hoc conuertat. Eia eia* Sela, *efferamus vocem altiùs.*

Tribuat tibi *Deus*, secundùm cor tuum, & omne consilium tuum confirmet *& impleat.*

Quod videntes lætabimur *nos populus tuus* in salutari tuo, *quod tibi præstabit*, & in nomine Dei nostri *vexilla extollentes in signũ victoriæ* magnificabimur.

Impleat, *dico*, Dominus omnes petitiones tuas:

iam

iam nunc *enim ſæpe* cognoui, quoniam ſaluum fecit Dominus *regem* chriſtum *vnctum* ſuum, *pro quo nos populus eius oramus.*

2. *Ergo & nunc* exaudiat illum de cælo ſancto ſuo, *&* in *viribus ac* potentatibus *ipſius ſit illi* ſalus, *quæ procedat à fortitudine* dexteræ eius.

Hi *enim* in curribus *ſuis fidunt*, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri *ſpem omnem reponentes, eius ſemper recordabimur, &* inuocabimus *eum.*

Et ob id ipſi *capti ab hoſtibus vincti compedibus, &* obligati ſunt, & *ſuccumbentes, in prælio* ceciderunt: nos autem ſurreximus *ac perſtitimus firmiter*, &. *ſumentes robur*, erecti ſumus *ſuper hoſtem noſtrum.*

Quod quidem cùm ita ſit de præterito, & nunc in præſenti, O Domine ſaluum fac regem *noſtrum*; & *quantum ad futurum*, exaudi nos *ſemper* in die qua inuocauerimus te, *rogantes te verum regem ac principem noſtrum, pro eo qui vices tuas gerit.*

EXPLANATIO.

Chriſtum] Ita rex vocatur ab vnctione, vt ſuprà tactum eſt, quæ regibus adhiberi ſolet. Nam vti vinum ab inferioribus ad ſuperiora hominem excitat, ita oleum à ſuperioribus ad inferiora gratiam Dei deducit.

PSALMVS XX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missus* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. INtroducit & hic Rex populum loquentem, qui pro felici regis successu Deo gratias agit. 2. Et deinde ad ipsum regem se conuertit, omnia bona illi optans. 3. Quod vt ita fieri possit, ad extremũ Deo supplicat. Tam hic quàm superior Psalmus de Christo quoque accipitur: pro quo Ecclesia in superiore rogat, in hoc autem Deo gratias agit.

1. DOmine in virtute *ac fortitudine* tua, *quam illi dabis*, lætabitur rex, & super salutare tuum *quòd inde sequetur* (exultabit) vehementer.

Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius, *vt nimirum quod corde desideraret, ore proferret*, nõ *prohibuisti, nec* fraudasti eũ, *sed dedisti omne quod postulauit. Eia eia* Sela *tollamus vocem altiùs.*

Quoniam, *quod amplius est*, præuenisti eum, *antequam peteret*, in benedictionibus *& benefactis* dulcedinis *ac bonitatis tuæ*, posuisti in capite eius coronam *auream, &* de *obrizo &* lapide pretioso.

Vitam petiit à te *ad resurgendum à mortuis*, & dedisti ei longitudinem dierum *post resurrectionem, & dedisti æternam beatitudinem* in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est gloria eius in salutari tuo, *quod tu ei tribuis;*

tribuis:gloriam *ac honorem* & (magnum)decorem *splendoremq́*, impones super eum.

Quoniam dabis *ac pones* eum in benedictionem in sæculum sæculi, *dum immortalibus beneficiis tuis cumulatus, quasi exemplar erit aliis tuarum benedictionum; qui & beatum eum prædicabũt, & inter se simile optabunt*: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo, *quẽ illi clarè videndũ ostendes*.

Quod quidem illi continget, quoniam rex sperat *ac confidit* in Domino, & *ob id* in misericordia *ac bonitate* Altissimi, *qui sperantes in se complectitur*, non commouebitur, *nec decidet spe sua*.

2. *Hæc cùm ita se habeant*, inueniatur, *ò rex, & sit sufficiens* manus tua omnibus inimicis tuis, *ad perdendum eos*: dextera tua inueniat *& sufficiat aduersum* omnes qui te oderunt.

Quod cùm fiet, pones *& efficies* eos vt clibanum ignis: *nam sic æstuabunt præ metu ac terrore* in tempore *irascẽtis* vultus tui: Dominus *qui tibi assistit*, in *iusta* ira sua conturbabit *ac dispellet* eos, & deuorabit eos ignis *de cælo missus*.

Fructum eorum de terra perdes, *vastatis agris illorum*; & semẽ *prolium* eorum à filiis hominum exterminabis, *sic vt nulla stirps eorum inter mortales remaneat*.

Quoniam *enim ipsi malè tibi volentes in hoc* declinauerunt, *vt struerent* in te mala: *varia inter se* cogitauerunt, *& scelesta* consilia, *sed* quæ non potuerunt *nec poterunt* stabilire *nec perficere*.

Quoniam

Quoniam *vel primo statim impetu*, *tu* pones eos dorsum, *sic vt dissipati terga vertant*, *& si qui iterum se tibi obiicient*, in reliquiis tuis *arcuum* & *neruorum quibus arcus intenduntur*, *qui post primã pugnam adhuc supererunt*, præparabis *&* *impones sagittas*, *& diriges eas in* vultum eorum.

3. *Quæ quidem vt ita fiant*, *exsurge quæso*, *&* exaltare Domine in virtute *ac fortitudine* tua: *& cùm hoc facies*, cantabimus & *celebrantes* psallemus virtutes tuas, *& fortia facta tua*, *quibus præ cunctis præuales*.

EXPLANATIO.

Domine] Præter cætera, etiam quæ virtutis & iustitiæ præmia sint, & è contrà, quæ peccati & iniustitiæ, pulcherrimè in hoc Psalmo describitur.

PSALMVS XXI.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectũ chori musici*, *vt ad modos cantilenæ*, *quæ est* pro *siue de* susceptione *ac venatione* matutina *in aurora*, *ceruæ*, *quæ priùs iã indagata erat*, *cãtetur hic* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. DAuid tum quidem occasione calamitatum suarum, tum verò maximè personam Christi in cruce pendentis induens, Deum ardentissimis verbis precatur, primùm desperanti similis: 2. Deinde ad orandum se conuertens, & enumerans in quantis malis sit constitutus: 3. Tum quid post liberationem à malo, & resurrectionem, tam ipse quàm alij, circa laudes Dei prædicandas facturi sint, cum iterata oratione commemorans.

1. DEus meus, Deus meus (respice in me) quare me dereliquisti? *etenim*, *vt video*, longè

longè *adhuc* à salute mea, *quæ tantopere tardat, absunt* verba *hæc rugitus mei, quantumuis intenta, & quàm præsentissimam liberationem postulantia,à pœnis* delictorum meorum, *quas, totam hanc gentem peccatricem ego solus representans, suffero.*

O Deus meus,clamabo per *totum* diem, & *tamẽ, quantum,inquam, video,* non exaudies,*nec respondebis mihi, sed* & *tota* nocte *clamabo,* & non *erit silẽtium, etiamsi* ad insipientiam *vsq; clamandum sit* mihi, *& nihilo magis proficiam.*

Et tamen tu autem *Domine, quantumuis durus nunc mihi sis, tu, inquam, ille es, qui* in sancto *hoc loco* habitas,*& ab omnibus malis semper nos liberare soles: tu,dico,es* laus Israël,*auctor eorum omnium à quibus populus Israëliticus tantopere laudatur,& ille ipse quẽ populus Israëliticus ob beneficia accepta omnibus semper laudibus extollit,in quibus tanquam medius sedes & inhabitas.*

Nam in te *semper* sperauerunt & confisi sunt patres nostri, sperauerũt,*inquam,*& liberasti eos.

Ad te clamauerunt,& *erepti è malis,* salui facti sunt,in te *fidentes* sperauerunt, & non sunt confusi,*nec pudore affecti.*

Quæ omnia ego autem *planè contraria in me experior,* sum *enim* vermis,& nõ homo,opprobrium *& fabula* hominũ,& abiectio *ac contẽptio* plebis.

Omnes videntes me deriserunt *& subsannauerunt* me, locuti sunt *distentis* labiis, & mouerunt caput.

Sperauit

Sperauit, *inquiunt*, in Dño, *& retulit ad eum omnes res suas:* eripiat *igitur* eum, saluũ faciat eũ, quoniam *tantopere* vult, *vt dicit*, *& amat* eum.

2. *Verùm hæc, Deus, quantumuis acerba sint, & desperationis plena, nõ tamẽ possum omittere quin ad te denuo confugiã, & auxiliũ tuum implorem*, quoniam tu *vtique* es qui extraxisti me de vẽtre, *quique es* spes mea, *iam inde* ab vberibus matris meę, *quibus me sustentabas*: *nam* in te *tanquam expositiuus* proiectus sum, *simul ac egressus sum* ex vtero, *vt quemadmodũ ibi priùs, nunc in te sim ac viuã.*

Imò de ventre matris meæ, *cùm adhuc in eo cõclusus haberer*, Deus meus es tu, *quod quidem cùm ita sit*, ne, *quæso*, *nunc*, *tempore hoc tam necessario* discesseris, *neque elonges te* à me.

Quoniam *post tot mala in quibus versor*, *iam summa* tribulatio, *& vltima angustia* proxima est, quoniam, *inquam*, non est qui adiuuet.

Ecce enim circumdederunt me vituli, *& tauri* multi *inimici mei*, tauri, *dico*, pingues *& prævalidi ferocesq́ue*, *quales in pascuis Basan nutriuntur*, obsederunt, *& instar coronæ cinxerunt* me.

Aperuerunt super me os suum *ad me deuorandum*, sicut leo rapiens & rugiens, *qui iam prædæ inhiat.*

Sicut aqua effusus sum, *sanguine & sudore totus diffluens*, & dispersa *ac soluta dissociataq́ue* sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum, *præ animi deliquio*, tanquam

quam cera liquefcens in *præcordiis & inteſtinis, ipſoq́ʒ* medio ventris mei.

Aruit tanquam teſta *figulina ad Solem poſita, omnis vigor &* virtus mea, *deficiente humido vitali;* & lingua mea, *præ extrema ſiti*, adhæſit faucibus meis; & *deniq́ʒ in totum me derelinquens*, in puluerem mortis deduxiſti me, *dum reddendo ſpiritum, non aliud reſtat, quàm vt corpus humo tegatur.*

Quoniam circumdederunt me canes (multi) *rabidi inimici mei*: concilium *peſſimorum &* malignantium, *qui etiam rectiſſimè facta, peſſimè interpretantur*, obſedit *& cinxit* me.

Foderunt *& clauis transfixerunt* manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea, *rigidè diſtenta ac diſtracta.*

Ipſi verò, *in his grauiſſimis doloribus meis, tamen cum voluptate quadam hæc* conſiderauerunt, & *ſubſannantes toruùm* inſpexerunt me: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea *exteriora, quibus me exuerãt, ne quicquam reliqui maneret*, & ſuper veſtẽ meam *internam* miſerũt ſortem, *in quemnam ea caderet.*

3. *Hæc* tu autem Domine *videns*, ne *te, quæſo*, elongaueris, *vt dixi, nec* auxilium tuum à me: *tu, qui fortitudo mea es, & robur meum*, ad defenſionem *& opem* meam conſpice *ac feſtina.*

Erue à framea (Deus) animam meam, *ne gladio ictus pereã*, & de manu canis, *rabioſiq́ʒ inimici mei*, vnicam *illam cæleſtem mentem* meam, *quæ in domo carnis lutea habitans ſine te ſolitaria,*

litaria, & omni ope destituta est.

Salua me ex ore leonis *rugientis*, & à cornibus *indomitorum* vnicornium; *nam tales sunt omnes inimici mei; exaudi me, & respōde votis meis, vt eripias* humilitatem meam, *qui ad infimam vilitatem sum redactus.*

Quod vbi feceris, & à morte ad vitam me reuocaueris, narrabo *maiestatem ac* nomen tuum fratribus meis, *qui se mihi adiunxerunt*; in medio Ecclesiæ, *& congregationis populi*, laudabo te.

Dicam, ô vos qui timetis Dominum, *eumq́ reueremini*, laudate eum; omne semen Iacob, *qui non tam carnis, quàm spiritus eius successores estis*, glorificate eum.

Timeat *& reuerenter colat* eum omne semen Israel; quoniam non spreuit neque *abominatus est ac* despexit deprecationem pauperis *afflicti, nec humilitatem & vilitatem ipsius.*

Nec auertit *aut auertet* faciem suam à me, *vt multi solent cùm aliquem miserum & oppressum vidēt*; &, *quod magis est*, cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

Apud te *est Domine, & à te proficiscitur* laus mea, *qui summis beneficiis tuis causam mihi das, vt te laudem ac prædicē* in Ecclesia magna; vota mea, *quæ pro salute promisi*, reddam *ac persoluam* in conspectu timentium eum.

Edent *de pane meo, quem ego illis dabo*, pauperes *spiritu, qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, & saturabuntur,

buntur, (&) laudabunt Dominum *omnes* qui requirunt eum; viuent corda eorum *de pane illo, perpetuò*, in sæculum sæculi.

Prædicatione mea admoniti homines, qui in terra obliuionis degunt, reminiscentur *Dei conditoris, & antiqui status sui, vnde exciderunt*: & cõuertentur ad Dominum omnes fines terræ.

Et adorabunt *eum, prosternentes se* in conspectu eius, vniuersæ familiæ gentium.

Quoniam *reuera vnius* Domini est regnum, & *ob id meritò* ipse dominabitur gentium.

Quin iam nunc sacrificantes manducauerunt *coram illo de hostiis suis*, & adorauerũt *eum* omnes *quicunque sunt* pingues *ac potẽtes, & principes* terræ, in conspectu eius *incuruabũt se, & cadent, prostrati in genua honoris exhibendi causâ*, omnes qui *à Deo creati* descendunt in *hanc* terram, *& pòst mortui puluere obruuntur*.

Et *quidem dum nemo eorum per se animam suam in vita conseruare aut viuificare potest*, anima mea, *quamuis ad inferos descenderit*, illi viuet, & semen meum, *eorum qui in me regenerati erunt, & ad me nomenq́; meum se conuerterunt*, seruiet ipsi.

Atque hoc modo annunciabitur Domino, *& quasi annumerabitur ei* generatio *illa* ventura, *in qua veræ religionis professio fiet*, & *porrò ipsi qui de illa erunt generatione*, annuntiabunt, *& vnà cum iis* (cæli) *quoque ipsi prædicabunt* iustitiam eius, *propterea quod secundùm promissa me de mortuis*

resuscitarit, alij populo qui *postea* nascetur, quem *iam apud animum suum* fecit Dominus *qui iudicat iustitiam.*

Explanatio.

Pro susceptione matutina] Ideo venationis ceruę hîc fit mẽtio, quia quemadmodũ cerua à canibus (à quibus etiam pòst obsessum se Dominus queritur,) ita Christus in passione sua à Iudæis dilaniatus fuit à summo mane vsque ad vesperam. Describiturque ad eum modum hic passio Domini in cruce, vt res non narrari, sed agi videatur.

In te] Quemadmodum infans in ventre matris corporaliter; ita vir bonus & iustus ob innocentiam infanti similis, in Deo viuit spiritualiter.

Vnicam meam] Ita vocat nobilissimam illam sui partem, quæ, reliquis morientibus, sola est immortalis.

Psalmvs xxii.

Titulus. Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. Gratulatur sibi vir sanctus de Dei erga se beneficiis, à quo tanquam pastore suo, omnibus corporis & animi bonis se auctum ait, 2. Et contra hostes defensum. 3. Et tandem fore, vt perpetua vita eum eo fruatur. Est quoque hæc gratulatio Ecclesiæ de beneficiis à Christo vero pastore acceptis.

1. Dominus *pastor meus* regit *& pascit* me, & *ideo* nihil mihi deerit, in loco *enim* pascuę *vbi herbarum ad cibum vber prouentus est*, ibi me collocauit, *& me fecit accubare.*

Et quantum ad potum attinet, super aquam refectionis,

fectionis, *quæ placidè suauiterq́ fluit*, educauit *ac deduxit* me, & animam meam *his rebus reficiens* conuertit, *meq́ mihi restituit.*

Quin præter corporis & vitæ bona quæ contulit, deduxit me *quoque* super semitas iustitiæ, *& viam mandatorum suorum; idq́ non alia de re, quàm* propter nomen suum *bonitatis & misericordiæ, vt facta nomini conueniant.*

2. *Sed & ampliùs in me contulit*: nam etsi ambulauero in *ima valle & quasi* medio vmbræ mortis, *vbi cuncta mortem minitari, eiusq́ imaginem præ se ferre videntur*, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga *enim* tua, *qua nocentes auertis*; & *pedum ac* baculus tuus, *quo me dirigis ac sustentas*, ipsa me consolata sunt, *& certissimam præbent fiduciam, ne quid sit timendum.*

Quin non solùm non timebo hostes, sed & instruēs ante me aciem, parasti in conspectu meo mensam, *quâ me recreem*, *vel in ipsis oculis inimicorum meorum, &* aduersus eos qui tribulant *& in angustias cogunt* me, *vt ringantur ac doleant.*

Insuper dum ad mensam sedeo, ne quid mihi non ad necessitatem modò, sed nec ad voluptatē, desit; non dico, vnxisti, verùm penitus impinguasti in oleô caput meum: & *præter hæc*, calix meus *saturans me, & hilaritate quasi* inebrians, quàm præclarus *bonusq́* est *& abundans, & ad summum vsque plenus.*

3. Et *vltra hæc, quod omnium maximum est,*

bonitas ad benefaciendum, & misericordia tua *ad parcendum mihi*, subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Et *id omne, vt cursu vitæ peracto, tandem apud superos* inhabitem, *& acquiescam* in domo Domini in longitudinem dierum, *qui nunquã finientur*.

EXPLANATIO.

Vmbra mortis] Quoniam mundus partim supercælesti regione constat, quæ tota lucida est, & vitæ plena; partim adspectabili, vbi lucis & tenebrarum, vitæq; & mortis sunt vicissitudines; partim subterrestri, tota tenebrosa & mortis plena: ideo vmbra & mors inter se coniunguntur. Vnde in cantico Zachariæ: Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.

In oleo, inebrians] Oleum & vinum, non solùm naturaliter duo sunt liquores præstãtissimi, illud foris ad membra roboranda, & hoc intus ad sanitatem: sed & supernaturaliter, diuina quadam ratione, vt antea diximus. Nam quemadmodum per oleum gratia Dei à superis ad inferiora deducitur; ita per vinum inferiora, hoc est, cogitationes humanæ, ad supera euehuntur. & hæc est diuina illa ebrietas, quam mysticus Christi calix noui Testamenti, & rerum diuinarum contemplatio inducit.

PSALMVS XXIII.

Titulus.

Psalmus Dauid *de* (prima *die* Sabbathi) *Paschalis.*

Argumentum.

1. DOcet Vates, vnius Dei esse omnia quæ sunt: 2. Quo quidem qui frui velit, innocens manibus & mundo corde vt sit necesse est, quæ est vera generatio filiorum Iacob. 3. Ad quos se conuertẽs

Propheta, portas ipsos suas aperire iubet, ad Christum regem, qui solus innocens est, recipiendum, ipsumque, deuicto diabolo, à mortuis resuscitatum, in cælum ascendentem, sequendum, vt in eo tanquam sanctissimo Sabbatho conquiescant.

1. DOmini est terra, & plenitudo eius, *rerum omnium quæ in ea exstant: ipsius est* orbis terrarum & vniuersi *homines* qui habitant in eo. Quia ipse super maria, *quibus quasi innatare videtur*, fundauit eum, & super flumina, *quibus distinguitur & irrigatur*, præparauit *ac stabiliuit* eũ.

2. *Cuius quidem tanti opificis fruendi causâ*, Quis ascendet in mõtem Dñi, *vbi templum ei est*, aut quis stabit in loco sancto eius, *vbi requiescit?* *Certè non quiuis, sed qui* iñnocens *est* manibus, *quantum ad facta exteriora attinet*; & mundo corde: *quantum ad interiora: &* qui non accepit *nec extulit* in vano *ad res futiles & inanes* animam suam, *sed contrà omnibus virtutibus eam ornauit*, nec *frustra nomen Domini & animam eius in os accipiens*, iurauit in dolo, *vt periurio fraudem strueret* (proximo suo,) *sic vt neque dicto, neque facto, neque cogitato, peccet erga Deum, se, vel proximum.*

Qualis quidem qui est (hic accipiet) benedictionem, *& rerum omnium prosperum successum* à Domino, & misericordiã *ac iustitiam cum æquitate coniunctam* à Deo salutari suo, *qui eum omni bonitate complectetur, omniaque iusta illi præbebit, atque adeò iustum ipsum efficiet.*

Hæc *enim* est generatio *hominum* quærentium eum, quærentium, *inquam*, faciem Dei Iacob.

nam qui te verè colit, Domine, ſolus populus Iacob eſt; & tu Iacob ſolus es, qui Deum verè colis. Eia eia Sela.

3. *Vt igitur id verè facere poſſitis*, attollite, *& altiores capacioreſq́ facite* portas, ô principes *Iſrael*, veſtras, & *vos portæ ſummi templi eleuate capita veſtra*; eleuamini, *inquam, & in totum aperimini vos* portæ æternales, *per quas in eum locum eſt aditus, vbi perpetuò Dominus commoratur*, & introibit *eò magnus & inclytus ille* Rex gloriæ; *vt cum Deo commoretur, & in eius Sabbatho conquieſcat, ipſe, & totus exercitus eius.*

De quo quidem quòd quæritis: Quis eſt iſte Rex gloriæ? *reſpondeo:* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, *qui morte & reſurrectione ſua omnes hoſtes ſuos fregit ac vicit.*

Igitur iterum dico: eleuate portas, ô principes, veſtras, & *vos portæ templi Iſraëlitici, eleuate capita veſtra*; eleuamini, *dico*, portæ æternales, *vbi diuina eſt ſempiternitas*, & introibit *verus ille* Rex gloriæ *diuinæ, & honor domus Iſraëliticæ.*

De quo ſi iterum quæritis: Quis eſt iſte Rex, *quis iſte rex* gloriæ? *reſpondeo denuo*: Dominus virtutum *ac fortitudinum, cui omnes parent exercitus cæleſtes ac terreſtres*, ipſe eſt Rex gloriȩ. *Eia eia triumphe* Sela.

E x-

EXPLANATIO.

Prima Sabbathi] Sic inscribitur hic Psalmus, quoniam agit de vero Sabbatho Christo, in quo vno homo iustificatur ac conquiescit: describitque Vates primò ipsum rerum omnium opificem Deum; deinde quo pacto ad eum perueniri possit, nempe per vitæ innocentiam; tum quo modo quis possit esse innocens, nimirum in vno Christo.

Portas principes vestras, portæ æternales] Quatenus principes Vates alloquitur, vt portas suas aperiant; homines hortatur, vt animi sui sensa aperiant, ad Christũ recipiendum, per quem solum innocẽtia, qua opus est vt ad Deum ascendatur, acquiritur. quatenus autem ipsas portas; ad cælum se conuertit, vt Christum victorem ab inferis redeuntem recipiant.

PSALMVS XXIIII.

Titulus.

David, siue in finem, *hoc est, ad summum præfectum chori musici, cantandus missus hic* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. PRecatur Deum ne ab hostibus superetur ac irrideatur: 2. Et vt à peccatis liberetur: 3. Narrans omnes vias Domini, veritatem esse in seruandis promissis suis, & misericordiam in condonandis peccatis aliorum. 4. Quare rursum precatur, vt à peccatis & hostibus liberari possit ipse, & totus populus Israël.

1. AD te Domine leuaui animam meã, Deus meus in te confido, non *permittas, obsecro, vt pudore affectus* erubescam, *quemadmodum nec faciam.*

Neque irrideant me inimici mei, *aut lætentur super me, quasi superiores exstiterint*: etenim vni-

uersi qui sustinent *& fidunt in* te, *auxilium tuum exspectantes*, non confundétur *pudore, nec frustrabuntur exspectatione sua.*

Imò verò confundantur, *& destituti exspectatione sua pudefiant* omnes iniqua agentes, *& qui legi tuæ fraudē facientes, eam præuaricātur, non opinionis errore, vt fit, aut cupiditate, & infirmitate aliqua, sed sola malitia, & penitus* superuacuè *sineq; vlla vel putatiua causa.*

2. *Quod ne mihi contingat, néue vel aliquo modo à mandatis tuis recedam*, vias tuas Domine *maiores, quibus ad te itur, & per quas vis vt ambulemus*, demonstra *& notas fac* mihi, & semitas tuas, *etiam minorum legum tuarum ne quidquam mihi desit* edoce me: *vt tum quidem sciam ea quæ facienda sunt, tum autem quæ non omittenda.*

Quinimo non solùm demonstrādo intelligentiam meam instrue, sed & reipsa, manu me prehendēs, dirige *voluntatem meam, & deduc, & assuefac* me *fideliter vt soles, ita vt ambulem* in *lege ac* veritate tua, & *sic plenè perfectéq;* doce me, quia tu es Deus saluator meus, & *ea re fretus*, te sustinui *& exspectaui* tota die.

Scio equidem me his tantis beneficiis ob grauissima peccata mea, indignum esse: sed tu, quæso, reminiscere *non seueritatis iustitiæ, sed bonitatis &* miserationum tuarum Domine, & *benignitatum ac* misericordiarum tuarum quæ à sęculo sunt in *te, & quibus tu semper es vsus.*

Delicta

Delicta iuuentutis meæ, *in vita & moribus*, & ignorantias meas *ac errores, & quæ inde secuta sunt trāsgressiones*, ne, *quæso, pro iustitia tua* memineris.

Sed secundùm misericordiam tuam memento mei, *qui ad tuam imaginem factus sum*, tu, *idque* propter bonitatem tuam, *vnde illa effluit* ô Dn̄e.

3. Enimuero hæc duo habet, quòd dulcis *bonusq́;* & rectus, *iustusq́; est* Dominus: *&* propter hoc *misertus peccatorum, quod bonitatis est*, legem dabit delinquentibus *per ignorantiam, & docebit eos quo pacto rectè hîc ambulare debeant* in via *virtutis, quòd est iustitia.*

Sed & reipsa diriget *ac deducet* mansuetos, *qui commonstrantibus faciles se præbent* in iudicio, *vt quæ iusta sunt exequantur: &* docebit mites *ac humiles (nam in cor maleuolum non intrat sapientia)* vias suas, *vt legem eius norint & intelligant, eiq́ue assuefiant.*

Etenim vniuersæ viæ Domini, *quibus ipse nobis prait, & vult vt ipsi insistamus, sunt bonitas &* misericordia *erga alios*, & veritas *ac iustitia in propriis dictis ac factis; quæ duo semper ipse præstat omnibus* requirentibus testamentum, *& custodientibus pactum ac fœdus legis* eius, *quod cum hominibus fecit*, & testimonia *præceptorum* eius, *quibus suam voluntatem est testificatus.*

Et ideo non dubito, quin propter nomen tuum Domine, *vt facta tua cum eo congruant (nam bonus diceris & misericors)* propitiaberis, *vt dixi, &*

parces peccato meo*: nam vt ipse id eluam, nequaquam sufficio;nimis* multum est enim.

Quinimo si quis est homo *quantumcunque ille antè peccauerit*,qui timet Dominum,*& eius misericordiam auxiliumq́ implorat , nihil est dubium quin* legem statuit ei,*& docebit eum quo pacto rectè progredi & gerere se debeat* in *instituto vitæ,&* via, quam *ipse vel potiùs Dominus pro ipso* elegit.

Et sic anima eius in bonis *& rerum omnium prospero successu* demorabitur,*& quasi securè dormiẽs, tota nocte quiescet*,& semen eius *continua posteritatis successione* hæreditabit terram.

Nam firmamentum est Dominus,*& arcanum eius intelligetur à* timentibus eum , & testamentum *ac fœdus legis* ipsius *vult & facit* vt manifestetur illis.

Quod cùm ita se habeat, oculi *quoque* mei semper ad Dominum *intenti sunt* , quoniam ipse *proculdubio* euellet *& extrahet* de *reti &* laqueo pedes meos.

4. Ad quod efficiendum, conuertens te,respice in me,*quæso*,*Domine*,& miserere mei : quia *omni ope destitutus,solus,&* vnicus,& pauper sum ego.

Tribulationes *& angustia* cordis mei multiplicatæ sunt,*& longè latéq́ se sparserunt* ,de necessitatibus *& angustiis* meis *educ &* erue me.

Vide *afflictionem &* humilitatem meam,& laborem meum , & *aufer à me ac* dimitte vniuersa delicta *errratáque* mea.

Et

Et è contrà, respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo *capitaliter & scelerate* oderunt me.

A quibus custodi, *obsecro*, animam *& vitam* meam, & erue *ac libera* me *de manibus eorum*: non *confundar, rogo te, pudore, nec* erubescam *ob id*, quoniam speraui in te.

Sanè quia innocentes *à malo* & recti *in bono semper* adhæserunt mihi, *vidētes innocentiā meam; non dubito quin ea res, ipsaq́ adeò simplicitas & innocentia, rectitudoq́ & æquitas custodient me:* quia *secundùm hoc* sustinui *& exspectaui semper cum patientia sperans in* te *Domine.*

Quare libera *me, quæso*, Deus, *vnaq́ populum tuum* Israël, *cui me regem præposuisti, innocentesq́ illos & rectos erue* ex omnibus tribulationibus *& angustiis* suis, *in quibus ob persecutiones quas patior, versantur.*

EXPLANATIO.

Ad te Domine] Singuli versus huius Psalmi à singulis literis Alphabeti Hebraici incipiunt: quod signum est de Lege Domini eam agere, nam literæ Legis sunt hieroglyphicum: quoniam Lex ipsum Dei est verbum, quod literis constat.

Misericordia & veritas] Hæc duo frequentissimè in Psalmis coniunguntur: quoniam neq; iudicium debet esse sine misericordia, neque zelus sine scientia, sed tanquam vinū & oleum semper cōiungi, vnde Christus plenus dicitur gratiæ & veritatis. Et est animaduersione dignum, cum misericordiæ & veritatis frequēs in Psalmis, vt dico, coniunctim sit mentio, semper misericordiâ priore, veritatem

posteriore

posteriore loco poni, vno dumtaxat versu excepto. Ac est quidem misericordia iustitiæ; veritas prudentiæ, misericordia benignitatis; iustitia rectitudinis: misericordia condonare aliis; veritas, sua promissa præstare.

Israël] Regis ac principis est, non pro se tantùm, sed & pro toto populo suo orare, cui tanquam pastor præest.

PSALMVS XXV.

Titulus.

David, siue in finem, *hoc est, ad summum præfectũ chori musici cantandus missus* Psalmus David.

Argumentum.

1. FAlsis criminibus ab hostibus impetitus David, Deum inuocat testem ac iudicem: 2. Dicens vtique illum inuenturũ, quàm amans iusti & recti, & à facinorosorũ hominũ cõsuetudine alienus sit. 3. Quare vt ab eorum persecutione liberari possit, orat.

1. IVdica me Domine, *& cognosce me, ac vias meas*, quoniam ego *vtique* in innocentia *ac simplicitate* mea, *semper ambulaui &* ingressus sum: & in Domino sperans, *quòd in eo vitæ cursu me conseruabit*, non infirmabor, *nec deficiam, aut vacillabo.*

Imò ampliùs, proba me Domine, & tenta me, vre, *& tanquam metallum fundendo & excoquendo explora* renes meos, *in quibus inferior & imbecillior pars animi inest*, & cor meum, *in quo superior & robustior.*

2. Quoniam *vtique inuenies quòd* misericordia *& bonitas* tua, *qua me & omnes mortales afficis*, ante oculos meos est, *vt eo nomine gratias tibi agã,*

&

& ipse te imitando idem faciam, & complacui *ac delectatus sum, & sequens vestigia tua, reipsa ambulaui* in lege ac veritate tua, *secundùm quam dicta & promissa rectissimè præstas.*

Non sedi cum concilio *nec interfui congregationi eorum hominum qui* vanitatis *& mendacij vias in sermone suo persequuntur*, & cum iniqua gerentibus, *qui superbia & fastu elati seorsim ab aliis viuunt, aut callidi & versuti se occultãt, vt alios decipiant, vel denique ob malefactorum conscientiam in publicum prodire non audent; cum his, inquam,* non introibo, *tantũ abest vt conuenticulis eorũ intersim.*

Imò quod plus est, Odiui *cœtum &* ecclesiam malignantium, *qui ore maledicentes omnia in pessimam partem interpretantur*, & cum impiis, *qui facto malè agentes, nulla certa lege viuunt*, nõ sedebo.

Sed contrà, lauabo inter innocentes, *cum omni puritate animi* manus *& actiones* meas *humanas externas*, & *sic purgatus foris* circumdabo *& amplectar ac circuibo* altare tuum Domine, *rebus diuinis interioribus dans operam.*

Vt *ibi coram te consistens, & nomen tuum prædicans, de proprio ore meo* audiam, *aliosq; audire & intelligere faciam* vocem *confessionis* laudis tuæ, & enarrem vniuersa mirabilia tua, *quæ à communi hominum intelligentia planè sunt separata.*

Nam tu scis, Domine, *quod semper* dilexi decorem *& habitaculum* domus tuæ, & locum habitationis *ac tabernaculi* gloriç ac *maiestatis* tuæ.

3. *Quæ*

3. *Quæ quidem cùm ita sint*; ne perdas, *quæso, nec coniungas* cum impiis *illis, qui à Deo auersi rectà eunt ad interitum*, ô Deus, animam meam *internam*: & cum viris sanguinum, *qui se homicidiis & latrociniis inter homines polluerunt, ne ponas* vitam meam *externam*.

Cum iis, dico, in quorum manibus, *& omni vitæ actione* iniquitates *& malæ cogitationes* sunt, *necnõ prævaricationes & legum contemptiones: cuius rei causa*, dextera eorum repleta est muneribus; *dum largitione corrupti, iusta Dei iudicia peruertunt*.

Nam tu vtique scis, quòd ego autem *contrà* in innocentia *& simplicitate* mea, *semper* ingressus sum, *quemadmodum & in posterum semper ambulabo*: *quare* redime me, *quæso*, & miserere mei; *vt à malo liberatus, boni particeps effici possim*.

Pes *enim* meus, *semper vt scis*, stetit in directo, *nec vnquam aberrauerunt actiones meæ à via & rectitudine iustificationum tuarum*: *& si tibi placet mihi auxilio esse palàm* in ecclesiis, *& publicis conuentibus*, benedicam, *atque omnibus laudibus prædicabo* (te) Domine.

Explanatio.

Vanitatis] Tametsi ipsum vanum & inane per se non est malũ, quoniam procedit ab eo quod non est, quod etiam in diuinis reperitur, vt dictum est: ferè tamen in malam partem accipitur, cùm quis nimirum id quod non est, perinde ac si esset amplectitur, nebulam pro Iunone colens, vel ipse apud alios prę se fert, vt solent hypocritæ.

Repleta

Repleta est muneribus] Quæ suâ naturâ pulcherrima & diuinissima sunt, vt iudicia, sacra, opera misericordiæ, ea si pecunia, hoc est, mammona iniquitatis inquinentur, fiunt pessima ac turpissima.

Psalmvs xxvi.

Titulus.

David, siue Psalmus David, quem cecinit Domino (priusquam *secundò in regem* liniretur.)

Argumentum.

1. Liberatus sæpe vir sanctus à periculis, & pro instantibus rogaturus: in Domino se fidere ait, nec quemquam metuere.
2. Qua de re gratias ipsi agens, orat vt & nunc auxilio esse velit.
3. Quod ad extremum planè se confidere ait, ita futurum.

1. Dominus illuminatio mea, *qui vel in mediis tenebris calamitatũ pro clara luce mihi est*, & salus mea, *qui in ipsis rerum periculis auxilium præstat*: quem *igitur* timebo?

Dominus protector *& robur ipsum ac fortitudo* vitę meę: à quo trepidabo? *à nemine certè, à nemine.*

Nam dum *prodeunt in aciem &* appropinquãt *ac præliantur* super me *homines* nocentes *ac maligni*, vt *quasi deuorent me, &* edant carnes meas.

Reipsa compertum est, quòd, qui tribulant me *hostes &* inimici mei, ipsi *impingentes* infirmati sunt, & *destituti viribus* ceciderunt.

Quod quidẽ cùm ita sit; & si consistant *ac figantur* aduersum me castra, *& integri exercitus*, non timebit cor meum.

Et

Et si exsurgat *& committat* aduersum me prę-lium, in hoc *ipso* ego sperabo,*certò confidens, quòd tum Deus maximè mihi aderit,& me iuuabit.*

Etenim vnam *rem dumtaxat semper* petij à Domino, *securus de cateris*; hãc *solam* requiram *& indesinenter petere pergam, qua est*, vt *pace parta, & republica bene constituta consideam &* inhabitem *requiescamq́;* in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.

Vt *q'ue ibi* videam *ac contempler* voluptatem, *& immensum decus, ac pulchritudinem* Domini *cum summa iucunditate ac amœnitate coniunctam*, *& manè consurgens, nihilq́; aliud quàm ipsum quærens*, visitem templum eius.

Quoniam abscondit me in tabernaculo *& vmbraculo* suo, *vt ibi tutus ac securus lateam*, in die malorum *& calamitatum* protexit *& occuluit* me in abscondito,*& intimis penetralibus* tabernaculi *& tentorij* sui.

In petra *& rupe inaccessa* exaltauit me, *quò hostes non possunt peruadere*, & *iam* nunc exaltauit caput meum, *& me fecit superiorem* super inimicos meos.*qui me vndique circumuallant.*

2. *Quare* circuiui, *gratias ipsi agens*, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, *qua cum iubilo fit,& clangore tubarum,pro victoria parta*, cantabo *ipse*, & Psalmum dicam *ac conscribam* Domino, *dicens*:

Exaudi Domine vocem meam, qua *te inuoco*

&

& clamaui ad te, *ostendens beneficentiam tuam*: miserere mei,& exaudi me, *respondens votis meis.*

Tibi *enim,hoc est,tam per te,& propter te,quàm ad te,& de te* dixit,*& ex intimis penetralibus locutũ est* cor meũ *his verbis*: Exquisiuit te facies mea, *prout tu ipse iubes debere fieri*, faciem tuã Domine requirã, *vt placido & benigno vultu me adspicias.*

Ne auertas,*quæso,nec abscondas* faciem tuam à me, & ne declines *aut auerseris* in ira à seruo tuo; *nec ipsi subtrahendo misericordiam tuam, iræ ac doloris causam prabeas.*

Sed contrà, adiutor meus esto, *vt semper fuisti, &* ne derelinquas me, neque despicias *aut dimittas* me,*tu qui es* Deus salutaris meus.

Quoniam *olim* pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit *& collegit* me,*& curam mei suscepit.*

Quare legem pone mihi Domine, *& doce me quo pacto ambulem* in via tua, & *facto ipso* dirige me in semitã rectam,*qua ad te itur,idque* propter inimicos meos, *qui oculos suos in me & actiones meas intentos habentes, mihi insidiantur,vt aliò me auertant.*

De quibus rogo te, ne tradideris me in animas, *& desiderio ac voluntati illorum hostium*,tribulantium me: quoniã *quæ de me dicunt mala,non sunt vera*,insurrexerũt in me testes iniqui,*qui me falsis criminibus in inuidiam trahere student*, & mentita est iniquitas sibi *ipsi,dũ falsa inter se de me dicunt*,

2. Da *igitur* illis secundùm opera eorum, & secundùm nequitiam *studiorum & adinuentio*num ipsorum, *quas non à Deo acceperūt, sed ipsi pro turpi libidine sua excogitauerunt.*

Secundùm opera, *inquam*, manuum eorum tribue illis, *vt dignas factis pœnas luant*: redde retributionem eorum, *quam aliis præstant*, ipsis; *vt quemadmodum aliis faciunt, ita fiat & illis.*

Quoniam *enim* non intellexerunt, *nec considerarūt* opera Domini, & in opera manuū eius *non intenderunt animum, vt ex iis ipsum cognoscerent & colerent: digni sunt qui iustas pœnas luant, & secundùm hoc, tu procul dubio* destrues illos *funditus*; & non ædificabis *nec restitues* illos *vnquam in æternum.*

3. *Ergo* benedictus Dominus, *omniq́; laude & gratiarum actione celebrandus*, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

Dominus *quippe fortitudo mea est*, & adiutor meus, & *tanquam scutum* protector meus, & in ipso sperauit cor meum, & *reipsa* adiutus sum.

Vnde subsiliit præ gaudio cor meum, & refloruit caro mea, *quæ emarcuerat*, & ex *intima* voluntate mea; *canticis & carminibus meis* confitebor ei, *& testatum faciam, quantis me beneficiis affecerit.*

Dominus *nempe robur &* fortitudo *est illorum qui mecum sunt, & vniuersæ* plebis suæ, & protector *ac robur* saluationum *regis* Christi sui est, *præbens illi omnem salutem.*

Secun-

Secundùm quod, saluum fac, *obsecro*, populum tuum (Domine) & benedic, *rebusq; omnibus benefac genti* hæreditati tuæ, *quam tanquam filium hæredem elegisti, & ex qua verus tuus filius, & hæres nascetur: atque vti pastor ouium* rege eos, *pascendo*, & extolle illos *de die in diem, magis ac magis*, vsque in æternum.

Explanatio.

Adinuentionum] Adinuentiones humanæ dicuntur, quæ non Legis Dei, aut naturæ sunt, nec ex illa per consequentias aut similitudines deductæ, sed quas homo peccator, mentis errore ac cupiditate ad libidines suas explendas excogitat. vnde tales non ex Dei, sed suo ore loqui dicuntur.

Psalmvs XXVIII.

Titulus.

Psalmus Dauid, *quem cantauit* (in consummatione tabernaculi) *quod pro arca Domini exstruxerat.*

Argumentum.

1. DAuid perfecto Dei tabernaculo, quod exstruxerat, inuitat principes populi, & alios, vt ibi Deo sacrificet, & gratias agat, vt in quo sedem sibi fixerit. 2. Cuius rei signum est, quoniam de cælo tonuit, ostendens admirabilem suam in eo potentiam. 3. Quia fultum, perpetuò in eo tabernaculo regnaturum ipsum ait, omniaque bona populo suo inde daturum.

1. QVoniam tabernaculum Dei iam exstructū est, afferte *ibi* Domino, *ô vos* filij Dei, *qui virtute ac potentia principatum in populo tenetis,* (after-

nam qui te verè colit, Domine, ſolus populus Iacob eſt; & tu Iacob ſolus es, qui Deum verè colis. Eia eia Sela.

3. *Vt igitur id verè facere poſſitis*, attollite, *& altiores capacioreſq́; facite* portas, ô principes *Iſrael*, veſtras, & *vos portæ ſummi templi eleuate capita veſtra*; eleuamini, *inquam, & in totum aperimini vos* portæ æternales, *per quas in eum locum eſt aditus, vbi perpetuò Dominus commoratur*, & introibit *eò magnus & inclytus ille* Rex gloriæ; *vt cum Deo commoretur, & in eius Sabbatho conquieſcat, ipſe, & totus exercitus eius.*

De quo quidem quòd quæritis: Quis eſt iſte Rex gloriæ? *reſpondeo:* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, *qui morte & reſurrectione ſua omnes hoſtes ſuos fregit ac vicit.*

Igitur iterum dico: eleuate portas, ô principes, veſtras, & *vos portæ templi Iſraëlitici, eleuate capita veſtra*; eleuamini, *dico*, portæ æternales, *vbi diuina eſt ſempiternitas*, & introibit *verus ille* Rex gloriæ *diuinæ, & honor domus Iſraëliticæ.*

De quo ſi iterum quæritis: Quis eſt iſte Rex, *quis iſte rex* gloriæ? *reſpondeo denuo*: Dominus virtutum *ac fortitudinum, cui omnes parent exercitus cæleſtes ac terreſtres*, ipſe eſt Rex gloriæ. *Eia eia triumphe* Sela.

EXPLANATIO.

Prima Sabbathi] Sic inſcribitur hic Pſalmus, quoniam agit de vero Sabbatho Chriſto, in quo vno homo iuſtificatur ac conquieſcit: deſcribitque Vates primò ipſum rerum omnium opificem Deum; deinde quo pacto ad eum perueniri poſſit, nempe per vitæ innocentiam; tum quo modo quis poſſit eſſe innocens, nimirum in vno Chriſto.

Portas principes veſtras, portæ æternales] Quatenus principes Vates alloquitur, vt portas ſuas aperiant; homines hortatur, vt animi ſui ſenſa aperiant, ad Chriſtũ recipiendum, per quem ſolum innocẽtia, qua opus eſt vt ad Deum aſcendatur, acquiritur. quatenus autem ipſas portas; ad cælum ſe conuertit, vt Chriſtum victorem ab inferis redeuntem recipiant.

PSALMVS XXIIII.

Titulus.

David, ſiue in finem, *hoc eſt, ad ſummum præfectum chori muſici, cantandus miſſus hic* Pſalmus Dauid.

Argumentum.

1. PRecatur Deum ne ab hoſtibus ſuperetur ac irrideatur: 2. Et vt à peccatis liberetur: 3. Narrans omnes vias Domini, veritatem eſſe in ſeruandis promiſſis ſuis, & miſericordiam in condonandis peccatis aliorum. 4. Quare rurſum precatur, vt à peccatis & hoſtibus liberari poſſit ipſe, & totus populus Iſraël.

1. AD te Domine leuaui animam meã, Deus meus in te confido, non *permittas, obſecro, vt pudore affectus* erubeſcam, *quemadmodum nec faciam.*

Neque irrideant me inimici mei, *aut lætentur ſuper me, quaſi ſuperiores exſtiterint*: etenim vni-

uersi qui sustinent *& fidunt in* te, *auxilium tuum exspectantes*, non confundētur *pudore, nec frustrabuntur exspectatione sua.*

Imò verò confundantur, *& destituti exspectatione sua pudefiant* omnes iniqua agentes, *& qui legi tuæ fraudē facientes, eam præuaricātur, non opinionis errore, vt fit, aut cupiditate, & infirmitate aliqua, sed sola malitia, & penitus* superuacuè *sineq; vlla vel putatiua causa.*

2. *Quod ne mihi contingat, néue vel aliquo modo à mandatis tuis recedam*, vias tuas Domine *maiores, quibus ad te itur, & per quas vis vt ambulemus*, demonstra *& notas fac* mihi, & semitas tuas, *etiam minorum legum tuarum ne quidquam mihi desit* edoce me: *vt tum quidem sciam ea quæ facienda sunt, tum autem quæ non omittenda.*

Quinimo non solùm demonstrādo intelligentiam meam instrue, sed & reipsa, manu me prehendēs, dirige *voluntatem meam, & deduc, & assuefac* me *fideliter vt soles, ita vt ambulem* in *lege ac* veritate tua, & *sic plenè perfectéq;* doce me, quia tu es Deus saluator meus, & *ea re fretus*, te sustinui *& exspectaui* tota die.

Scio equidem me his tantis beneficiis ob grauissima peccata mea, indignum esse: sed tu, quæso, reminiscere *non seueritatis iustitiæ, sed bonitatis &* miserationum tuarum Domine, & *benignitatum ac* misericordiarum tuarum quæ à sęculo sunt in *te, & quibus tu semper es vsus.*

Delicta

Delicta iuuentutis meæ, *in vita & moribus*, & ignorantias meas *ac errores, & quæ inde secuta sunt trāsgressiones*, ne, *quæso, pro iustitia tua* memineris.

Sed secundùm misericordiam tuam memento mei, *qui ad tuam imaginem factus sum*, tu, *idque* propter bonitatem tuam, *vnde illa effluit ô* Dñe.

3. Enimuero hæc duo habet, quòd dulcis *bonusq́;* & rectus, *iustusq́; est* Dominus: *&* propter hoc *misertus peccatorum, quod bonitatis est*, legem dabit delinquentibus *per ignorantiam, & docebit eos quo pacto rectè hîc ambulare debeant* in via *virtutis, quòd est iustitia.*

Sed & reipsa diriget *ac deducet* mansuetos, *qui commonstrantibus faciles se præbent* in iudicio, *vt quæ iusta sunt exequantur: &* docebit mites *ac humiles (nam in cor maleuolum non intrat sapientia)* vias suas, *vt legem eius norint & intelligant, eique assuefiant.*

Etenim vniuersæ viæ Domini, *quibus ipse nobis prait, & vult vt ipsi insistamus, sunt bonitas &* misericordia *erga alios*, & veritas *ac iustitia in propriis dictis ac factis; quæ duo semper ipse præstat omnibus* requirentibus testamentum, *& custodientibus pactum ac fœdus legis* eius, *quod cum hominibus fecit*, & testimonia *præceptorum* eius, *quibus suam voluntatem est testificatus.*

Et ideo non dubito, quin propter nomen tuum Domine, *vt facta tua cum eo congruant (nam bonus diceris & misericors)* propitiaberis, *vt dixi, &*

parces peccato meo*: nam vt ipse id eluam, nequaquam sufficio;nimis* multum est enim.

Quinimo si quis est homo *quantumcunque ille antè peccauerit*,qui timet Dominum,*& eius misericordiam auxiliumq́ implorat , nihil est dubium quin* legem statuit ei,*& docebit eum quo pacto rectè progredi & gerere se debeat* in *instituto vitæ*,*&* via, quam *ipse vel potiùs Dominus pro ipso* elegit.

Et sic anima eius in bonis *& rerum omnium prospero successu* demorabitur,*& quasi securè dormiens, tota nocte quiescet*,& semen eius *continua posteritatis successione* hæreditabit terram.

Nam firmamentum est Dominus,*& arcanum eius intelligetur à* timentibus eum , & testamentum *ac fœdus legis* ipsius *vult & facit* vt manifestetur illis.

Quod cùm ita se habeat, oculi *quoque* mei semper ad Dominum *intenti sunt* , quoniam ipse *proculdubio* euellet *& extrahet* de *reti &* laqueo pedes meos.

4. *Ad quod efficiendum, conuertens te*,respice in me,*quæso*,*Domine*,& miserere mei : quia *omni ope destitutus*,*solus*,*&* vnicus,& pauper sum ego.

Tribulationes *& angustiæ* cordis mei multiplicatæ sunt,*& longè latéq́ se sparserunt* ,de necessitatibus *& angustiis* meis *educ &* erue me.

Vide *afflictionem &* humilitatem meam,& laborem meum , & *aufer à me ac* dimitte vniuersa delicta *erratáque* mea.

Et

Et è contrà, reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt,& odio iniquo *capitaliter & ſceleratè* oderunt me.

A quibus cuſtodi, *obſecro*, animam *& vitam* meam,& erue *ac libera* me *de manibus eorum*:non *confundar,rogo te,pudore,nec* erubeſcam *ob id*,quoniam ſperaui in te.

Sanè quia innocentes *à malo* & recti *in bono ſemper* adhæſerunt mihi,*vidētes innocentiā meam*; *non dubito quin ea res, ipſaq́; adeò ſimplicitas & innocentia,rectitudoq́; & æquitas cuſtodient me*: quia *ſecundùm hoc* ſuſtinui *& exſpectaui ſemper cum patientia ſperans in* te *Domine*.

Quare libera *me*, *quæſo*,Deus, *vnaq́; populum tuum* Iſraël, *cui me regem præpoſuiſti*, *innocenteſq́; illos & rectos erue* ex omnibus tribulationibus *& anguſtiis* ſuis,*in quibus ob perſecutiones quas patior, verſantur*.

Explanatio.

Ad te Domine] Singuli verſus huius Pſalmi à ſingulis literis Alphabeti Hebraici incipiunt: quod ſignum eſt de Lege Domini eam agere, nam literæ Legis ſunt hieroglyphicum: quoniam Lex ipſum Dei eſt verbum,quod literis conſtat.

Miſericordia & veritas] Hæc duo frequentiſſimè in Pſalmis coniunguntur:quoniam neq; iudicium debet eſſe ſine miſericordia, neque zelus ſine ſcientia, ſed tanquam vinū & oleum ſemper cōiungi,vnde Chriſtus plenus dicitur gratiæ & veritatis. Et eſt animaduerſione dignum,cum miſericordiæ & veritatis frequēs in Pſalmis,vt dico,coniunctim ſit mentio,ſemper miſericordiâ priore,veritatem poſteriore

posteriore loco poni, vno dumtaxat versu excepto. Ac est quidem misericordia iustitiæ; veritas prudentiæ, misericordia benignitatis; iustitia rectitudinis: misericordia condonare aliis; veritas, sua promissa præstare.

Israël] Regis ac principis est, non pro se tantùm, sed & pro toto populo suo orare, cui tanquam pastor præest.

PSALMVS XXV.

Titulus.

Dauid, siue in finem, *hoc est, ad summum præfectũ chori musici cantandus missus* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. Falsis criminibus ab hostibus impetitus Dauid, Deum inuocat testem ac iudicem: 2. Dicens vtique illum inuenturũ, quàm amans iusti & recti, & à facinorosorũ hominũ cõsuetudine alienus fit. 3. Quare vt ab eorum persecutione liberari possit, orat.

1. IVdica me Domine, *& cognosce me, ac vias meas*, quoniam ego *vtique* in innocentia *ac simplicitate* mea, *semper ambulaui &* ingressus sum: & in Domino sperans, *quòd in eo vitæ cursu me conseruabit*, non infirmabor, *nec deficiam, aut vacillabo.*

Imò ampliùs, proba me Domine, & tenta me, vre, *& tanquam metallum fundendo & excoquendo explora* renes meos, *in quibus inferior & imbecillior pars animi inest*, & cor meum, *in quo superior & robustior.*

2. Quoniam *vtique inuenies quòd* misericordia *& bonitas* tua, *qua me & omnes mortales afficis*, ante oculos meos est, *vt eo nomine gratias tibi agã,*

&

& ipse te imitando idem faciam, & complacui *ac delectatus sum, & sequens vestigia tua, reipsa ambulaui in lege ac* veritate tua, *secundùm quam dicta & promissa rectissimè præstas.*

Non sedi cum concilio *nec interfui congregationi eorum hominum qui* vanitatis *& mendacij vias in sermone suo persequuntur*, & cum iniqua gerentibus, *qui superbia & fastu elati seorsim ab aliis viuunt, aut callidi & versuti se occultãt, vt alios decipiant, vel denique ob malefactorum conscientiam in publicum prodire non audent; cum his, inquam*, non introibo, *tantũ abest vt conuenticulis eorũ interfim.*

Imò quod plus est, Odiui *cætum &* ecclesiam malignantium, *qui ore maledicentes omnia in pessimam partem interpretantur*, & cum impiis, *qui facto malè agentes, nulla certa lege viuunt*, nõ sedebo.

Sed contrà, lauabo inter innocentes, *cum omni puritate animi* manus *& actiones* meas *humanas externas*, & *sic purgatus foris* circumdabo *& amplectar ac circuibo* altare tuum Domine, *rebus diuinis interioribus dans operam.*

Vt *ibi coram te consistens, & nomen tuum prædicans, de proprio ore meo* audiam, *aliosq; audire & intelligere faciam* vocem *confessionis* laudis tuæ, & enarrem vniuersa mirabilia tua, *quæ à communi hominum intelligentia planè sunt separata.*

Nam tu scis, Domine, *quod semper* dilexi decorem *& habitaculum* domus tuæ, & locum habitationis *ac tabernaculi* gloriẹ *ac maiestatis* tuæ.

3. Qua

3. *Quæ quidem cùm ita sint*;ne perdas,*quæso*,*nec coniungas* cum impiis *illis*, *qui à Deo auersi rectà eunt ad interitum*, ô Deus,animam meam *internam*:& cum viris sanguinum,*qui se homicidiis & latrociniis inter homines polluerunt*,*ne ponas* vitam meam *externam*.

Cum iis, *dico*,in quorum manibus,*& omni vitæ actione* iniquitates *& malæ cogitationes* sunt,*nec nō præuarications & legum contemptiones* : *cuius rei causa*,dextera eorum repleta est muneribus; *dum largitione corrupti*, *iusta Dei iudicia peruertunt*.

Nam tu vtique scis, *quòd* ego autem *contrà* in innocentia *& simplicitate* mea, *semper* ingressus sum,*quemadmodum & in posterum semper ambulabo*:*quare* redime me,*quæso*,& miserere mei;*vt à malo liberatus*,*boni particeps effici possim*.

Pes *enim* meus, *semper vt scis*, stetit in directo, *nec vnquam aberrauerunt actiones meæ à via & rectitudine iustificationum tuarum* : *& si tibi placet mihi auxilio esse palàm* in ecclesiis,*& publicis conuentibus*,benedicam, *atque omnibus laudibus prædicabo* (te) Domine.

Explanatio.

Vanitatis]Tametsi ipsum vanum & inane per se non est malũ,quoniam procedit ab eo quod non est,quod etiam in diuinis reperitur,vt dictum est: ferè tamen in malam partem accipitur, cùm quis nimirum id quod non est, perinde ac si esset amplectitur, nebulam pro Iunone colens, vel ipse apud alios pręse fert,vt solent hypocritæ.

Repleta

Repleta est muneribus] Quæ suâ naturâ pulcherrima & diuinissima sunt, vt iudicia, sacra, opera misericordiæ, ea si pecunia, hoc est, mammona iniquitatis inquinentur, fiunt pessima ac turpissima.

PSALMVS XXVI.

Titulus.

Dauid, siue Psalmus Dauid, quem cecinit Domino (priusquam *secundò in regem* liniretur.)

Argumentum.

1. Liberatus sæpe vir sanctus à periculis, & pro instantibus rogaturus: in Domino se fidere ait, nec quemquam metuere.
2. Qua de re gratias ipsi agens, orat vt & nunc auxilio esse velit.
3. Quod ad extremum plane se confidere ait, ita futurum.

1. Dominus illuminatio mea, *qui vel in mediis tenebris calamitatũ pro clara luce mihi est*, & salus mea, *qui in ipsis rerum periculis auxilium præstat:* quem *igitur* timebo?

Dominus protector *& robur ipsum ac fortitudo* vitæ meæ: à quo trepidabo? *à nemine certè, à nemine.*

Nam dum *prodeunt in aciem &* appropinquãt *ac præliantur* super me *homines* nocentes *ac maligni*, vt *quasi deuorent me, &* edant carnes meas.

Reipsa compertum est, quòd, qui tribulant me *hostes &* inimici mei, ipsi *impingentes* infirmati sunt, & *destituti viribus* ceciderunt.

Quod quidẽ cùm ita sit; & si consistant *ac figantur* aduersum me castra, *& integri exercitus*, non timebit cor meum.

Et

Et si exsurgat *& committat* aduersum me prælium, in hoc *ipso* egò sperabo, *certò confidens, quòd tum Deus maximè mihi aderit, & me iuuabit.*

Etenim vnam *rem dumtaxat semper* petij à Domino, *securus de cæteris*; hãc *solam* requiram *& indesinenter petere pergam, quæ est*, vt *pace parta, & republica bene constituta conside am &* inhabitem *requiescamq́;* in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.

Vt *q'ue ibi* videam *ac contempler* voluptatem, *& immensum decus, ac pulchritudinem* Domini *cum summa iucunditate ac amœnitate coniunctam, & manè consurgens, nihilq́; aliud quàm ipsum quærens*, visitem templum eius.

Quoniam abscondit me in tabernaculo *& vmbraculo* suo, *vt ibi tutus ac securus lateam*, in die malorum *& calamitatum* protexit *& occuluit* me in abscondito, *& intimis penetralibus* tabernaculi *& tentorij* sui.

In petra *& rupe inaccessa* exaltauit me, *quò hostes non possunt peruadere*, & *iam* nunc exaltauit caput meum, *& me fecit superiorem* super inimicos meos. *qui me vndique circumuallant.*

2. *Quare* circuiui, *gratias ipsi agens*, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, *quæ cum iubilo fit, & clangore tubarum, pro victoria parta*, cantabo *ipse*, & Psalmum dicam *ac conscribam* Domino, *dicens*:

Exaudi Domine vocem meam, qua *te inuoco &*

& clamaui ad te, *oſtendens beneficentiam tuam*: miſerere mei, & exaudi me, *reſpondens votis meis.*

Tibi *enim, hoc eſt, tam per te, & propter te, quàm ad te, & de te* dixit, *& ex intimis penetralibus locutũ eſt* cor meũ *his verbis*: Exquiſiuit te facies mea, *prout tu ipſe iubes debere fieri*, faciem tuã Domine requirã, *vt placido & benigno vultu me adſpicias.*

Ne auertas, *quæſo*, *nec abſcondas* faciem tuam à me, & ne declines *aut auerſeris* in ira à ſeruo tuo; *nec ipſi ſubtrahendo miſericordiam tuam, iræ ac doloris cauſam præbeas.*

Sed contrà, adiutor meus eſto, *vt ſemper fuiſti, &* ne derelinquas me, neque deſpicias *aut dimittas* me, *tu qui es* Deus ſalutaris meus.

Quoniam *olim* pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit *& collegit* me, *& curam mei ſuſcepit.*

Quare legem pone mihi Domine, *& doce me quo pacto ambulem* in via tua, & *facto ipſo* dirige me in ſemitã rectam, *qua ad te itur, idque* propter inimicos meos, *qui oculos ſuos in me & actiones meas intentos habentes, mihi inſidiantur, vt aliò me auertant.*

De quibus rogo te, ne tradideris me in animas, *& deſiderio ac voluntati illorum hoſtium*, tribulantium me: quoniã *quæ de me dicunt mala, non ſunt vera*, inſurrexerũt in me teſtes iniqui, *qui me falſis criminibus in inuidiam trahere ſtudent*, & mentita eſt iniquitas ſibi *ipſi, dũ falſa inter ſe de me dicunt*,

& consequenter falsò sibi persuadent, me à te derelictum esse, & continuò ad inferos, & terram obliuionis descensurum.

3. *Etenim, quod planè contrarium est,* credo *firmiter, & sine vlla dubitatione confido, breui* videre bona Domini, *quibus me certò aucturus est*, in terra viuentium, *tam hac præsenti, quàm quæ apud superos exspectatur.*

Quod cùm ita se habeat, eia anima mea infractè exspecta Dominum, viriliter age *quod oportet*, & confortetur *ac toto robore firmetur* cor tuum, & *cum omni patientia* sustine Dominum *: qui licet tardare videatur, procul dubio tamen venturus & opem tibi laturus est.*

EXPLANATIO.

Vnam petij] Vera salus non in multis, sed in vno magno, hoc est, amore Dei consistit, vnde reliqua porrò manant ac profluunt. Quare Dominus in Euangelio: Martha Martha, solicita es circa plurima; porrò vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab illa.

Hostiam vociferationis] Quicquid Deo offertur, hostia dicitur, siue sacrificium, vt sacrificium laudis, sacrificium iustitiæ, cum similibus.

Legem pone] Legem Dei, viam esse, per quam homo ad iustitiam peruenit, iam suprà dictum est.

PSALMVS XXVII.

Titulus.

Dauidi, siue, Psalmus *conscriptus* huic *eidem* Dauid, *cui præcedens scriptus est, ad implorandam opem Dei contra hostes.*

Argumentum.

1. CONstitutus Dauid in graui periculo, inuocat Dominum petens exaudiri, & non perire cum impiis: 2. Quibus dignas factis pœnas precatur, certoque ita fore sibi promittit: 3. Vnde Deo gratias agit, quem pro toto populo (vt regem decet) orat.

1. AD te Domine clamabo: *tu, quæso, qui* Deus *ac creator* meus, *rupesq́, ac fortitudo mea es,* ne *obsurdescas penitus, aut* sileas, *non respondens votis meis; sed contrà, auertens te* à me: ne, *si* quando taceas, *& planè obsurdescens obmutescas auersus* à me, *totus periero,* & assimilabor *mortuis* descendentibus in lacum *sepulcri.*

Exaudi, *obsecro,* Domine vocem deprecationis meæ, dum oro *& clamo* ad te, dum extollo manus meas ad *intimũ adytum &* tẽplum sanctũ tuum.

Ne simul tradas *aut trahas* me *ad interitum, vel reputes me* cum *impiis* peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem (ne perdas me.)

Qui *simulatores & hypocritæ (quod grauissimũ est in malis)* loquuntur *foris ea quæ ad* pacem *& amicitiam pertinere videntur,* cum proximo *& socio* suo: *cæterùm,* mala autem *sunt intus* in cordibus eorum.

2. Da *igitur* illis ſecundùm opera eorum, & ſecundùm nequitiam *ſtudiorum &* adinuentionum ipſorum, *quas non à Deo acceperũt, ſed ipſi pro turpi libidine ſua excogitauerunt.*

Secundùm opera, *inquam*, manuum eorum tribue illis, *vt dignas factis pœnas luant:* redde retributionem eorum, *quam aliis præſtant*, ipſis; *vt quemadmodum aliis faciunt, ita fiat & illis.*

Quoniam *enim* non intellexerunt, *nec conſiderarũt* opera Domini, & in opera manuũ eius *non intenderunt animum, vt ex iis ipſum cognoſcerent & colerent: digni ſunt qui iuſtas pœnas luant, & ſecundùm hoc, tu procul dubio* deſtrues illos *funditus*, & non ædificabis *nec reſtitues* illos *vnquam in æternum.*

3. *Ergo* benedictus Dominus, *omniq; laude & gratiarum actione celebrandus*, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

Dominus *quippe fortitudo mea eſt*, *&* adiutor meus, & *tanquam ſcutum* protector meus, & in ipſo ſperauit cor meum, & *reipſa* adiutus ſum.

Vnde ſubſiliit præ gaudio cor meum, & refloruit caro mea, *quæ emarcuerat*, & ex *intima* voluntate mea; *canticis & carminibus meis* confitebor ei, *& teſtatum faciam, quantis me beneficiis affecerit.*

Dominus *nempe robur &* fortitudo *eſt illorum qui mecum ſunt, & vniuerſæ* plebis ſuæ, & protector *ac robur* ſaluationum *regis* Chriſti ſui eſt, *præbens illi omnem ſalutem.*

Secun-

Secundum quod, saluum fac, *obsecro*, populum tuum (Domine) & benedic, *rebusq; omnibus benefac genti* hæreditati tuæ, *quam tanquam filium hæredem elegisti, & ex qua verus tuus filius, & hæres nascetur:atque vti pastor ouium* rege eos, *pascendo*, & extolle illos *de die in diem, magis ac magis*, vsque in æternum.

EXPLANATIO.

Adinuentionum] Adinuentiones humanæ dicuntur, quæ non Legis Dei, aut naturæ sunt, nec ex illa per consequentias aut similitudines deductæ, sed quas homo peccator, mentis errore ac cupiditate ad libidines suas explendas excogitat. vnde tales non ex Dei, sed suo ore loqui dicuntur.

PSALMVS XXVIII.

Titulus.

Psalmus Dauid, *quem cantauit* (in consummatione tabernaculi) *quod pro arca Domini exstruxerat.*

Argumentum.

1. DAuid perfecto Dei tabernaculo, quod exstruxerat, inuitat principes populi, & alios, vt ibi Deo sacrificet, & gratias agat, vt in quo sedem sibi fixerit. 2. Cuius rei signum est, quoniam de cælo tonuit, ostendens admirabilem suam in eo potentiam. 3. Quia fultum, perpetuò in eo tabernaculo regnaturum ipsum ait, omniaque bona populo suo inde daturum.

1. QVoniam tabernaculum Dei iam exstructū est, afferte *ibi* Domino, ô *vos* filij Dei, *qui virtute ac potentia principatum in populo tenetis,*

(afferte *& ſacrificate* Domino filios arietum.)

Afferte,*inquam*,Domino gloriam & honorem, *eiq́; omnem fortitudinem & potentiam quam habetis tribuite*: afferte Domino, *& tribuite* gloriam nomini eius, *& proni* adorate Dominum in *hoc tabernaculo &* atrio ſancto (eius,) *vbi ſummum illius decus reſplendet ac quieſcit.*

2. *In cuius rei ſignum, ecce* vox Domini ſuper aquas *in aëre pendentes fertur & auditur*; Deus,*inquam*,maieſtatis *& gloriæ plenus*,intonuit: Dominus *imperium ſuum oſtendit* ſuper aquas multas, *quæ toto cælo ac pelago diffunduntur.*

Vox Domini *tonantis* in virtute *ac potentia audiri ſe facit*: vox Domini *fulminantis* in magnificentia *& ſplendore videndam ſe præbet.*

Vox Domini *tonantis & fulgurantis,eſt Domini* confringentis cedros: & cōfringet Dominus *non vulgares tantùm, ſed & ipſas* cedros Libani, *quæ omnium altiſſimæ ac robuſtiſſimæ ſunt.*

Et,*quod magis eſt*,comminuet eas *in partes infinitas,cùm terræ motu concuſſas, ſubſilire eas faciet* tãquam vitulũ Libani: &,*quod amplius eſt, ipſum Libanum & mõtem etiam Sirion,quantumcumque magnus &* dilectus *ei ſit, ſubſilire faciet*,quemadmodũ *ſaltitare ſolet* filius *ſiue pullus* vnicornium.

Vox *enim* Domini *cùm tonat,eſt Domini* intercidentis *& in multos radios diſſecantis* flammam ignis *ac fulguris*: vox Domini, *eſt Domini* concutientis *ac tremere facientis* deſertum, *quod quaſi*

partu-

parturire facit, cùm feræ tonitru perterritæ, inde effugiunt: & *hoc modo*, commouebit Dominus, *& tremere ac parturire faciet etiam magnum illud* desertum Cades.

Quippe vox *tonitru* Domini, *est Domini* præparantis *& præ metu parturire facientis* ceruos, *quantumcumque difficilis sint partus*; & *deiectis arboribus siluarum vi ventorum & imbrium*, reuelabit condensa: *& homines his rebus exterriti & reuerentia commoti*, in *hoc* templo *sancto* eius, omnes *ipsi* dicent gloriam *in eluuione illa aquarum.*

3. *Nam* Dominus *præsidens cæli ac maris tempestatibus*, *homines* diluuium inhabitare facit, *dum aquis vndique cinguntur*: & *hoc modo regnans & principatum super omnia tenens*, sedebit *in hoc tabernaculo* Dominus Rex in æternum.

Dominus, *inquam*, virtutem *ac fortitudinem* populo suo *inde* dabit, *vt hostes suos, omneq́; adeò malum superet, quod primum munus iustitiæ est*: Dominus benedicet populo suo, *omnibusq́; benefactis eum complectetur, & augebit, vt* in pace *ac tranquillitate viuat, quod alterum.*

Explanatio.

Tabernaculi] Mysticè; tabernaculũ hoc, sacrosanctam Dei Ecclesiam accipe, in qua vox Christi verum verbum ipsius regnat, & mirabilia illa quæ hîc dicuntur perpetrat, veramq́ue pacem populo suo præstat.

PSALMVS XXIX.

Titulus.

Psalmus cantici *Dauidis, quod cantatum est* in dedicatione *cedrinæ* domus Dauid,*eo tempore quo à graui morbo conualuerat.*

Argumentum.

1. DEdicans vir sanctus siue domum suam quam sumptuosissimam ædificasse scribitur; siue tabernaculum Dei, cuius superior Psalmus meminit, gratias agit Deo de liberatione à morbo quo grauissimè laborauerat. 2. Inuitat ad eam rem & alios sanctos vt idem faciant, dicens, iram Dei breuem esse, misericordiam autem perpetuam. 3. Quod ostendit suo exemplo, commemorans se ob peccatum in morbum incidisse, sed mox liberatum: qua de re perpetuam gratiarum actionem se Deo debere profitetur.

1. EXaltabo *& laudibus efferam* te Domine, quoniam suscepisti,*& tanquam è fouea extraxisti & eleuasti* me, nec delectasti *aut lætari permisisti* inimicos meos super me, *dum, me graui morbo laborante, mortē meam quotidie expectabāt.*

Etenim Domine Deus meus, clamaui ad te, *cùm ad desperationem vsque iam ægrotarem,* & *continuò* sanasti me.

Tu, inquam, Domine eduxisti ab inferno, *& quasi ab orco reuocasti* animam meam, saluasti *ac viuificasti* me, *eripiens me* à descendentibus in lacum, *& foueam sepulchri.*

2. *Quod cùm ita sit*, psallite *mecum* Domino *omnes* sancti eius, *qui experti estis misericordiam & bonitatem eius*, & confitemini *cum celebritate & gratiarum*

gratiarum actione memoriæ ſanctitatis *& bonitatis* eius, *qua me & vos afficit.*

Quoniam *ſi quando iraſcitur, momentanea dumtaxat eſt* ira in indignatione *& furore* eius; & è *contrà quantum ad beneuolentiam & amorem,* vita *eſt integra* in *bona* voluntate eius, *qua per totam vitam nos complectitur, illamq́ ipſam nobis tribuit.*

Atque ita, ad veſperum demorabitur *aliquando, & pernoctabit ad tempus,* fletus *ob peccata noſtra:* & *mox* ad matutinum, *aderit rurſum cantus &* lætitia.

3. *Cuius quidem rei exemplũ* ego autem *ipſe eſſe poſſum: nam cùm in ſumma tranquillitate degerem, & rerum omnium circũmfluentibus copiis abundarem,* dixi *tacitè mecum,* in *illa* abundantia mea, nõ mouebor, *nec decidam de felici hoc ſtatu* in æternũ.

Nam tu Domine, in *bona* voluntate tua, *qua me complecteris,* præſtitiſti *ac dediſti* decori meo, *& dignitati regiæ, quam gero,* virtutem *ac fortitudinem, quæ tanquam mons firmata eſt.*

Vix hæc dixeram, nimium confiſus rebus illis ſecũdis, & ecce, auertiſti *protinus, & abſcondiſti paululum* faciem tuam (à me) & factus ſum conturbatus, *æger corpore & animo, neſciens quid conſilij caperem.*

Sed reſpiciens & colligens me paululum, dixi, *Non fidam meis viribus ampliùs, ſed,* ad te Domine clamabo, & ad *Dominum* Deum meum deprecabor, *vt ab hoc morbo me liberet.*

Nam quæ vtilitas in *vita & sanguine* meo, dum descendo in corruptionem, *& foueam sepulcri, multis rebus præclarè gestis, quibus nominis tui gloria propagetur?*

Nunquid confitebitur tibi puluis, *gratias agens de felici rerum successu, eumq́ tibi acceptum ferens*, aut annũciabit *ille inter homines* veritatem *& constantiam* tuam *in promissis præstandis?*

Iterum vix sic dixeram; & ecce mitigata breui illa ira, audiuit *me statim* Dominus, & misertus est mei; Dominus, *inquã*, factus est adiutor meus, *liberans me à graui morbo illo & ægritudine.*

Et sic conuertisti planctum *& gemitum* meum in gaudium, *& chorum* mihi: cõscidisti *ac soluisti* saccum meum, *quo tristitiæ ac pœnitentiæ causa indutus eram*; & circumdedisti me, *& tanquam zona cinxisti* lætitia.

Idque omne, vt cantet *ac psallat* tibi *inter viuos* gloria (mea) *quæ de ore, & intima mente mea procedit*, & *vt* non compungar *ac sileam. Enimuero scilicet hoc*, ô Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi, *tibiq́ soli cum omni celebritate & gratiarum actione salutem meam acceptam feram, in sancta domo hac quam nomini tuo dedicaui.*

EXPLANATIO.

Psalmus cantici] Quidam distinguunt inter Psalmum, canticum, canticum Psalmi, Psalmum cantici.

In indignatione eius] Hoc inter rigorem iustitiæ, quæ ira dicitur, & æquitatem & misericordiam quæ bona voluntas,

luntas, intereſt; quòd illa breuis eſt, ad malum, quod per ſe nihil eſt, caſtigandum; hæc autem longa, ad bonum, quod perpetuum, exercendum.

PSALMVS XXX.

Titulus.

In finem, *ſiue ad ſummum præfectum chori muſici, decantandus miſſus* Pſalmus Dauid (pro ecſtaſi) *ac mentis exceſſu; qui partim præ pauore illi accidit, ob perſecutionem inimicorum; partim præ lætitia, quòd ab iis eſſet liberatus.*

Argumentum.

1. CONſtitutus vir ſanctus in grauiſſimis periculis, orat Deum, vt ab illis ipſum eripiat, cõmemorans quantis beneficiis eum ſemper affecerit. 2. Vnde & nunc idẽ ſibi fieri optat, oſtendẽs quantis in malis verſetur. 3. A quibus denuo petit liberari, & hoſtes impios perdi, quos odio Dominus proſequitur, cùm contrà bonos ac pios amet ac defendat. 4. Quare his omnibus de rebus Deo gratias agit, & ad pios ſe conuertens, Dominum diligere & bono animo ſemper eſſe iubet. Gerit autem hîc Dauid perſonam Domini pendentis in cruce, quaſi ille hæc proferat, & in manus Dei Patri: (vt in Euangelio proditum eſt) ſpiritum ſuum commendet.

1. IN te Domine ſperaui; non *permittas, quæſo, vt pudore affectus*, confundar in æternum; *ſed contrà* in iuſtitia tua, *quâ promiſſa inconcuſsè ſeruas*, libera *& eripe* me.

Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas *citò* me.

Eſto mihi in Deum protectorem, *tanquam rupes fortiſſima & inacceſſa hoſtibus*, & in domum refugij, *quæ bene munita, tanquam propugnaculum*

mihi

mihi sit, vt *hoc modo* saluum me facias.

Quoniam *rupes & fortitudo* mea, & *arx munita*, *ac* refugium meum es tu *solus*, & propter nomen tuum, *quod bonitatis est, & gloriam tuam* deduces me, & enutries me, *vbicumque locorũ fuero*.

Educes, *inquam*, me de *reti &* laqueo hoc quem absconderunt mihi, *vt me capiant*, quoniam tu es protector meus, *& robur meum*, *absque quo nihil possum*.

Et ideo in manus tuas commendo *quotidie & item nunc* spiritum meum, *& tu semper* redemisti me Domine, *qui es* Deus *ipsius* veritatis, *quam & fecisti, perstans fidelissimè in promissis exhibendis iis qui in te confidunt*.

Et contrà, odisti obseruantes vanitates *falsas ac superstitiosas, quæ non sunt, & in quibus ob id frustra ac* superuacuè *spem suam reponunt; quibus, tanquam abs te auersis, nullum præstas auxilium: cæterùm* ego autem in Domino speraui, *qui solus reuera est: & ideo abs te adiutus*, exultabo & lætabor in misericordia *ac bonitate* tua.

Quoniam respexisti *semper* humilitatem *& afflictionẽ* meam: *& cognoscẽs tribulationes & angustias meas*, saluasti de necessitatibus animã meã.

Nec conclusisti *aut passus es cadere* me in manibus inimici, *sed contrà* statuisti in loco spatioso pedes meos, *quo liber essem ab hostibus*.

2. *Quæ quidem cùm de præterito ita se semper habuerint, & nunc quoque* miserere mei Domine,

&

& pro summa beneficentia tua adiuua me, quoniam tribulor, *& in angustiis versor*: conturbatus est *& contabuit ac caligauit* in *mœstitia & ira, propter frequentes lachrymas*, oculus meus: *contabuit &* anima mea, & venter meus, *dum neque quietem vnquam, neque cibum aut potum sumere possum.*

Quoniã, *inquã*, defecit *& cõsumpta est* in dolore *tota* vita mea, & *omnes* anni mei in gemitibus.

Infirmata est, *& propè tota corruit* in paupertate *ac calamitate, quam ob iniquitatem & peccatum meum suffero*, virtus mea; & ossa mea, *in quibus est fundamentum vitæ*, conturbata sunt, *& tabida facta putruerunt.*

Sed &, super omnes inimicos meos, *qui ei rei causam dant, & in has angustias me cogunt, magis quàm quisquam eorum, tametsi perditissimi sint*, factus sum opprobrium, *non vulgo modò, sed & proximis* vicinis meis, *idque* valde *vehementer, sic vt* & timor *factus sim etiã* notis *& familiaribus* meis, *qui propter obloquia quæ patior, non audent mecum versari.*

Quinimo qui videbant me, foras fugerunt à me, *derelictusq́; ab omnibus*, obliuioni datus sum tanquam mortuus, *qui non solum è vita excessit, sed & à corde, & omni memoria hominum abscessit.*

Denique factus sum tanquam vas *figulinũ, quod perditum ac confractum foras eiicitur. quod quidem ita esse certò scio*, quoniam audiui vituperationem *& contumelias ac criminationes* multorum commoràn-

morantium, *& inter se conuenientium* in circuitu *meo, vt pauorem circumquaque mihi incutiant.*

Nam in eo *ipso* dum conuenirent, *& consilium inirent*, simul aduersum me accipere animam meam, *& vitam mihi auferre* consiliati sunt, *ac constituerunt*.

Caterùm, ego autem, *tot ac tantis malis circumuentus*, in te *tamen* speraui, ô Domine: dixi, *machinentur illi quidquid velint, solus* Deus meus es tu, *qui mihi vitam & mortem tribuis*: in manibus tuis, *non autem illorum*, sortes *sunt, & tempora mortis & vita* meæ.

3. *Quare* eripe me, *quæso, ac libera me* de manu *illorũ* inimicorum meorũ, & à persequẽtibus me.

Illustra faciem tuam super seruum tuum, *& vultu sereno ac benigno eum respice*: saluum me fac in *immensa bonitate ac* misericordia tua.

Domine, *inquam*, non *patiaris vt pudore affectus* confundar, quoniam inuocaui te: *quasi verò hoc probatum sit, vt mali illi mihi obiiciunt.*

Sed contrà, erubescant impij, *quòd te non agnoscant*, & *silentes* deducantur in *sepulchrum &* infernum; *compescantur ac* muta fiant labia dolosa *ac mendacia.*

Quæ loquuntur aduersus iustum *dura admodum & grauia*, meramq; iniquitatem, idq; in superbia *cum magno fastu*, & in abusione *cum contemptu: quod quidem quàm tu grauiter oderis, vtique non ignoro.*

Et vice verſa, etiam illud ſcio, quàm magna multitudo *ac copia ſit* dulcedinis *ac bonitatis* tuæ, *ô* (Domine) quam abſcondiſti, *& tanquam ſecretum theſaurum reſeruaſti* timentibus te.

Quaquam ſemper perfeciſti, *& opere ipſo oſtendiſti* eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, *gerẽs eos ſemper in oculis, & lumine vultus tui ipſos comprehendens, vt tuti ſint* à conturbatione, *& ſuperbis minis* hominum, *quicunque tandem illi ſint*.

Abſcondes, inquam, & proteges eos in tabernaculo *& vmbraculo* tuo, *vt immunes ſint* à contradictione *& ſuperba contentione virulentarum* linguarum.

4. *Quare* benedictus Deus, *& omni prædicatione & gratiarum actione dignus*, quoniam mirificauit *& ſingulariter exhibuit* miſericordiã ſuam mihi, *protegens me, tanquam* in ciuitate munita.

Nam, ego autem dixi in *conſternatione &* exceſſu mentis meæ, *cùm præceps fugerem, preſſus ab hoſtibus, certè* proiectus *& tanquam abſciſſus* ſum à *conſpectu &* facie oculorum tuorum, *nec me amplius reſpicis*.

Verùm tu continuò contrarium oſtendere voluiſti, & ideo exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Quæ quidem cùm ita ſint, diligite Dominum omnes ſancti eius, *quotquot miſericordiam & boni-*

tatem

tatem illius experti estis, quoniam *fideles, & qui* veritatem *sequuntur, eos* requirit, *ac diligit, tueturque* Dominus; & *contrà* retribuet *ac rependet* abundanter *& cumulatè* faciētibus superbiam, *qui fastu supra alios se extollunt.*

Ac quanquam quidem tardare nonnunquā videatur, tamen constantes vos monstrate, & viriliter agite, & confortetur cor vestrum, *ipsumq́ robur vobis additurum certò confidite, ò vos* omnes qui speratis in Domino, *eiusq́ auxilium exspectatis.*

Explanatio.

Deus veritatis] Deus non solùm veritas est, sed & auctor veritatis, nam quemadmodum à Deo patre omnis paternitas, quæ in cælo & in terra est, secundùm Apostolum, proficiscitur: ita & à Deo omnis veritas promanat. Vnde Dominus in Euāgelio, Ego sum via, inquit, veritas & vita.

In excessu] Ab hoc excessu, & consternatione mentis titulus huius Psalmi maximè ductus videtur.

Psalmvs XXXI.

Titulus.

Psalmus scriptus ipsi Dauid, *vt sit ei* intellectus *& eruditio, decantandus ad modos carminis, cuius initium est Maschil.*

Argumentum.

1. Ait Dauid beatos illos esse, quorum peccata sunt remissa, quod non alia re quàm libera eorum confessione contingit: quod postquam fecit, dicit se continuò exauditum: 2. Vnde & omnes bonos idem facturos narrat, vt Dei gratiam, qui vnicum omnium refu-

refugium est, consequantur. 3. Qua de re triumphum agens, Deum loquentem introducit, qui se intellectum illi daturum ait, dummodo docilem se præbeat; addens, si qui contra faciant, vt eos vel vi ad virtutem cogat. 4. Nam ad hoc pœnas & præmia constituta esse, vt mali malo ad rectam doctrinam cogantur, boni autem bono inuitentur, quos ob id lætari in Domino & exultare iubet.

1. BEati quorum *expresſè* remiſſæ ſunt iniquitates, *preuaricationeſq́, ac tranſgreſſiones Legis Domini, & rebelliones contra eum*: & quorum *tacitè per diſſimulationem ac conniuentiam* tecta ſunt peccata.

Beatus vir cui *verè pœnitenti* non imputauit Dominus peccatum, *ſed contrà ex immenſa bonitate ſua reputauit eam ipſam pœnitentiam ad iuſtitiam, propterea quòd verè pœnitens eſt*: nec eſt in ſpiritu eius dolus; *ſic vt reticeat delicta ſua, ſed libere confiteatur omnia.*

Enimuero quoniam *ego hæc non feci, ſed* tacui *peccata mea*, inueterauerunt *& attrita ſunt* oſſa mea, *& vires corporis mei*, dum clamarem, *& rugitu meo infremebam præ dolore* tota die.

Quoniam *enim* die ac nocte *ob hoc ipſum magis ac magis* grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum *& immutatus, totuſq́, alius factus* in *miſeria &* ęrumna mea, *adeò vt humor & virens ſuccus meus haud ſecus exaruerit, atque fit media æſtate,* dum *radius ſolis* cõfigitur *& areſit* ſpina *vel ariſta. Sic ſanè ſe res habet*, Sela.

Verùm ego hæc animaduertens, planè aliam inſtitui rationem, quippe nihil ſubticens ampliùs, omne

 deli-

delictum meum cognitum tibi feci, ô *Domine*, & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum me *ipsum*, *& aperiam* iniustitiam *& trangressionem, rebellionemq́ue* meam Domino, & *ecce, simulatque hoc feci*, tu *continuò, nulla interposita mora*, remisisti impietatem *crimenq́ue & culpam* peccati mei. *ita profectò factum est*, Sela.

2. *Atque idcirco me imitantes*, pro hac *ipsa misericordia* orabit ad te *pronus* omnis sanctus, *quicunque tuam benignitatē vnquam expertus est, & precabitur te* in tempore oportuno, *quo maximè te pateris inueniri.*

Quòd cùm faciet, nullis vnquam malis opprimetur: veruntamen *in contrarium etiam* in *plenissimo* diluuio *& inundatione* aquarum *& tribulationum* multarum, ad eum non *pertingent fluctus, nec* approximabunt.

Etenim, ô Domine, tu es refugium meum, *in quo tanquam in loco quodam arcano abscondor: tu*, à tribulatione *& angustia* quæ circumdedit me, *custodies me: tu, inquam*, exultatio mea *es, dum lætis orationibus, quas ob liberationem ab hostibus tibi cano, me circumdas: quare & nunc* erue me à circumdantibus me. *euge euge triumpha* Sela.

3. *Triumphum, dico, canamus: quia dum hæc loquor, ecce iam nunc respondet mihi Dominus, dicēs:* Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, *ne erres; & consulēs rebus tuis*, firmabo

bo super te oculos meos, *ne à quoquam offendaris.*

Tu modò docilem te præbe, & nolite *vos populus meus culpa vestra* fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

Sed contrà, tu qui Rex eorum es, ad similitudinem equorum ac mulorum in chamo & freno maxillas eorum constringe, *si qui erunt qui indociles se præbentes* non *vltrò* approximant ad te; *vt si non sponte, qui summus gradus est virtutis, saltē malo coacti, qui infimus, officium faciant, & à peccato abstineāt.*

4. *Etenim* multa *sunt* flagella peccatoris & *impij, quibus nō solùm pœnæ, sed & disciplinæ ac doctrinæ causa afficitur, dum non vltro virtutem sequitur;* sperantem autem in Domino, *& vltrò docilem se præbentem,* misericordia & *omnis omnino bonitas* circumdabit.

Quod quidem cùm ita sit, lætamini in Domino, *quòd talem patronum, ac Deum tam propitium habetis,* & exultate iusti, & *iubilantes* gloriamini *non in vobis, sed in eo,* omnes recti corde.

Explanatio.

Sicut equus & mulus] Quemadmodum qui virtutem sequuntur, Angelis similes fiunt, & dij in sacris literis vocantur: ita contrà, qui ad vitium se applicant, bestię fiunt, non oris quidem specie, sed vitæ ac morum turpitudine, vnde Dominus in Euangelio Herodem vulpem vocat.

Iusti, recti] Iusti & recti vocabula sæpe coniunguntur, quoniam vti à Lege Domini, quę nos iustos facit, aberrantes, præuaricatores dicuntur; ita recta via in ea incedentes, meritò recti appellantur.

PSALMVS XXXII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missus* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. EXsuscitat vir sanctus iustos ad Dei laudes prædicãdas. 2. Quoniam bonitate ac iustitia plenus Dominus omnia condidit ac creauit, nec quisquam illi potest resistere, aut voluntatem eius impedire. 3. Quare beatam illam gentem esse ait, quæ Dominum habet Deum suum, qui suorum curam gerit, & per quem solum, non autem per proprias vires nostras, conseruamur. 4. Quæ omnia considerans, in vno Deo se confidere ac lætari dicit, orans vt quemadmodum sperat, ei contingat.

1. EXultate iusti in Domino, *celebrantes nomen eius*: rectos *enim* decet, *non verò iniustos & impios Dei* collaudatio.

Confitemini Domino, *publicè decantantes laudes eius*, in cithara: *& pulsantes bene nablũ* in psalterio decem chordarum psallite illi.

Cantate ei canticum nouum, *quod non vetus & tritum, sed recens factum sit*: bene psallite ei in vociferatione, *suauitatem vocis & iubilationis cum instrumentis bene pulsatis coniungentes.*

2. Quia rectum est, *& iusti æquiq́; plenum omne* verbum *factumq́;* Domini: & omnia opera eius in fide *ac veritate firma sunt & indubitata.*

Diligit misericordiam, *quæ bonitatis est*; & iudicium, *quod veritatis*: misericordia *& gratia* Domini, *quæ exuberans bonitate, supra omnia est*

opera

opera eius, plena eſt *vniuerſa* terra.

Nam ſecundùm hanc bonitatem verbo Domini cęli *facti & firmati* ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus *& exercitus ac ornatus* eorum, *qui tum quidem in Angelorum choris, tum autem in ſole & luna, & reliquis ſideribus conſiſtit.*

Congregans *in cumulum* ſicut in vtre aquas maris, *quæ ſuis littoribus continentur: &* ponens *ac recondens in intimis penetralibus ac cauernis tanquam* in theſauris abyſſos *& voragines aquarum, ne exundantes terram obruant.*

Hæc contemplans, timeat Dominum omnis terra: ab eo autem cõmoueantur *ac paueant* omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipſe dixit *vno verbo* (*ecce tanta eſt illius potentia,*) & *continuò fecit quod dixit, &* facta ſunt *omnia*: ipſe mandauit, & *mox exſtitit quod præcepit, &* creata ſunt *firmiterq́, ſteterũt vniuerſa.*

Nec valet vlla vis humana aduerſus eum, quoniam Dominus diſſipat *& irrita facit omnia* conſilia gentium: reprobat autem *& auertit* cogitationes *integrorum* populorum, (&, *quod magis èſt,* reprobat conſilia *ipſorum regum ac* principum.)

Et è contrà, conſilium autem Domini in æternum *ſtat ac* manet; *&* cogitationes cordis eius *durant perpetuò* in generatione & generationem, *vt tum perficiantur cùm ipſe volet.*

3. *Quare* beata gens cuius eſt Dominus, *qui cælum ac terrã creauit*, Deus eius: *beatus* populus

 quem

quem *ipse* elegit in hæreditatem sibi, *vt sint hæredes regni eius.*

Nam diligentem semper gerens curam suorum, de cęlo respexit Dominus, *&* vidit omnes filios hominum, *considerans quid quisq; eorum agat* : de *firmiter, inquam, constituto ac* præparato *solio &* habitaculo suo, *vbi sessio eius est*, respexit super omnes qui habitant terram.

Ipse, dico, qui finxit *ac formauit* sigillatim *omnia pariter* corda eorum, *nullis omnino exceptis, &* qui intelligit *ac cognoscit* omnia opera eorum.

Nam quòd aliunde quàm ab illo salutem nobis venire putemus, certè non saluatur *ne* rex *quidem* per multam virtutē, *& exercitum suum magnum*: & gigas, *quantumcumque fortis ac viribus præstans sit*, non saluabitur, *nec eruet se* in multitudine *roboris ac* virtutis suæ.

Sed & fallax equus ad *præstandam* salutem, *ac quantumcumq; celer sit & viribus excellēs*: in abundantia autem *illa roboris ac* virtutis suę non saluabitur *tamen nec ipse, nec sessor eius.*

Cæterùm, si verè cōsideres vnde omnis salus nascatur; ecce oculi Domini *intenti sunt, vt dixi*, super metuētes *& reuerenter colentes* eum; & *infixi sunt* in eis qui sperant super misericordia *& bonitate* eius, *eamq; solam exspectant.*

Idque ad hoc, vt tempore belli ac pestilentiæ eruat *ac liberet* à morte animas eorum, & *tempore penuriæ & caritatis annonæ* alat *ac viuificet*

nificet eos in *ipsa media* fame.

4. *Quod quidem cùm ità sit*, *&* anima nostra sustinet, *& plena bona spe exspectat* Dominum, quoniam *ipse* adiutor, &, *tanquam clypeus*, protector noster est.

Quia, *inquam*, in eo lætabitur cor nostrum, *cùm potiti erimus victoria ab omnibus malis & aduersis: quod ob hoc nobis cõtinget, quoniam in eo confidimus*, & in nomine sancto eius sperauimus.

Secundùm quod sit, *quæso*, *&* fiat *ac ostendat se bonitas ac* misericordia tua, ô Domine, super nos, quemadmodum *certò* sperauimus in te.

EXPLANATIO.

Decem chordarum] Hæc res iustis conuenit, quoniã ipsa iustitia non aliud est quam musicus cõcentus nouem partiũ animi sub numero denario, vt suo loco latiùs tradetur.

Misericordiam & iudicium, misericordia] Sæpissimè obseruare licet, cùm semel in Psalmis iustitia vel iudicium ponitur, bis poni misericordiam.

Ipse dixit, *mandauit*] Substantia legis in dicendo, hóc est, subiecto & prædicato consistit, virtus in iubendo & vetando.

Verbo Domini & spiritu] Hîc nota diuinam Trinitatem, nempe Dominum Patrem, Verbum, & Spiritum sanctum. Ad hęc cæli nomine, mundus; virtutis, anima mundi significatur.

PSALMVS XXXIII.

Titulus.

Psalmus Dauid, *siue à Dauide cantatus*, cùm *simulans furorem & morbum comitialem*, immutauit vultum suum coram Abimelech, *Rege Palæstinorũ*, & *sic Rex* dimisit *ac eiecit* eum, & *ipse* abiit, *euadens periculum mortis in quo erat.*

Argumentum.

1. GRatias agit Deo, quòd ab Ache, qui Abimelech, hoc est, rex erat Palæstinorum, eum liberauerit. 2. Inuitatque ad id omnes pios, quibus ostendit quàm bonus sit Deus his qui recto sunt corde, & in eo, non autem in diuitiis suis, confidunt. 3 Inde ad filios se conuertit, quos timorem Dei, omnemque virtutem in dictis & factis se docturum ait, demonstrãs per antithesin, quæ bonorum sint præmia, & quæ pœnæ malorum.

1. BEnedicam *& prædicatione extollam* Dominum in omni tẽpore *siue res secundæ sint siue aduersæ:* semper *versabitur* laus eius in ore meo.

In Domino, *non verò in se* laudabitur *& se iactabit* anima mea: audiant *hoc afflicti homines &* mansueti, *qui nihil sibi arrogant, sed omnia Deo tribuunt*, & lætentur.

2. Magnificate *vos, inquam, mansueti & laudibus extollite* Dominum mecum: & exaltemus *strenuè in cælũ* nomen eius *vnà omnes* in idipsum.

Nam exquisiui Dominum, & exaudiuit me, *precibus meis respondens*: & ex omnibus *pauoribus &* tribulationibus meis eripuit me.

Quare

Quare & vos accedite, *& respicite* ad eum; & *recipientes in vos splendorem eius*, illuminamini;& *proculdubio* facies vestræ non confundentur *pudore: quoniam quotquot ad eum accurrunt & confugiunt, illustrātur, nec pœnitet aut pudet eos vnquam eius quod fecerunt.*

Etenim iste pauper *& afflictus, qui sum ego*, clamauit, & Dominus exaudiuit eum : & de omnibus tribulationibus *& angustiis* eius saluauit eū.

Imò immittet *exercitum, & castra sua figet* Angelus Domini in circuitu timentium eum:& eripiet eos *ab omnibus periculis in quibus versantur.*

Quod ita se habere vti certò sciatis, experimentum sumite, & delibantes gustate *Dominum*, & videte *quidnam rei sit*, quoniam *vtique* suauis *& bonus* est Dominus : *& beatus vir qui inferioribus animi affectibus prævalens, & ad solum Deum fortiter se applicans* sperat in eo.

Timete *& reueremini* Dominū (omnes) sancti eius: quoniam *in quantacunque necessitate versentur*, non est *vnquam* inopia, *nec deest quidquam* timentibus eum.

Diuites *& potentes homines, qui tāquam leones, & eorum catuli, omnia diripere solent, pauperes facti*, eguerunt & esurierunt: inquirētes autem Dominum, non minuentur omni bono, *sed cunctis felicitatibus augebuntur.*

3. *Quare* venite filij, audite me; *non diuitiarum quidem conquisitionē, sed* timorē Dñi docebo vos.

Nam dicite mihi, quis eſt homo qui vult vitam *longam, & qui* diligit dies videre bonos *ac felices? anne omnes hoc exoptant?*

Vt igitur hoc tibi contingat, prohibe linguam tuam à malo, *cohibens eam à maledicentia*; & labia tua ne loquantur dolum, *ita vt neque fictus ſis, neque maledicus in ſermone.*

Et quantum ad vitæ actiones attinet, diuerte à malo, & fac bonum; *quo ad teipſum, & quantum ad proximum*: inquire pacem, & perſequere eam, *firmiter in ea perſiſtens.*

Quod ſi facias, certò ſperare potes, id quod dico te aſſecuturum: nam oculi Domini *benignè intenti ſunt* ſuper iuſtos, ad *eos cuſtodiendos*; & aures eius *arrectæ* in *clamores &* preces eorum, *ad illos exaudiendos.*

Contrà vultus autem Domini *toruus ac iratus* ſuper facietes mala, vt perdat *ac penitus exſcindat* de terra *non ipſos modò, ſed &* memoriam eorum.

Enimuero clamauerunt (iuſti,) & Dominus exaudiuit (eos,) & ex omnibus tribulationibus *& anguſtiis* eorum liberauit eos.

Iuxtà *enim* eſt Dominus, *& propè adeſt* his qui *contrito ac* tribulato *ſubactóque* ſunt corde; & humiles ſpiritu, *qui nihil magnum de ſe ſentiunt*, ſaluabit.

Multæ *quidem ſunt* tribulationes iuſtorum, *ob mala quæ patiuntur ab impiis*, *& tamen* de omnibus his liberabit eos Dominus.

Nam

Nam custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur, *nec confringetur.*

Sed contrà, quantùm ad impios attinet, mors peccatorum pessima, *dum per ipsam malitiā suam interimuntur*: & qui oderunt iustum, *præterquam quòd* delinquent, *tum desolati ac destituti ab omnibus deuastabuntur.*

Quod longè aliter se habet, vt dico, in piis ac sanctis: quoniam redimet *ac saluabit* Dominus animas seruorum suorum, & non delinquent *aut peccabunt, neq; adeò desolati deuastabuntur* omnes qui sperant in eo.

EXPLANATIO.

Benedicam] Hic Psalmus ex eorum est numero, quorum versus à literis alphabeti Hebraici incipiunt, quoniam agit de Lege & iustitia, cuius literas Hieroglyphicum esse, iam antè diximus.

Mansueti] Mansuetudo, siue pudor & verecundia principium est iustitiæ: sic vt nusquam inueniatur iustitia, nisi præcesserit pudor.

Diuerte à malo, & fac bonum] Hæc tota iustitia est, cuius præmium est pax firma & perpetua.

PSALMVS XXXIIII.

Titulus.

Psalmus *scriptus* huic *ipsi* Dauid *cui superior.*

Argumentum.

1. IMplorat vir sanctus auxilium Dei contra hostes; vt illis pereuntibus, ipse in Domino lætetur. 2. Narrans quàm se illis amicum semper præstiterit, sic vt eorum malis non minùs quàm suis doleret,

doleret, cùm contrà ipsi de rebus illius aduersis non solùm non doleant, sed & mirificè lætentur 3. Quare rursum Dominum precatur, addens, licet foris amicos se simulent, intus tamen grauissimos esse inimicos. 4. Quamobrem tertiò ad Deum se conuertens, orat vt ab ipsis liberari, illique pudore affici, & omnes boni de hoc lętari, & Deo gratias agere possint, quemadmodũ & ipse est facturus.

1. IVdica Domine, *& suscepta causa mea, eáque tractata ac cognita, puni* nocétes me, *qui falsa specie iustitiæ iniustè mecum contendunt, meq; iudicant ac condemnant:* expugna impugnantes me, *qui facto ipso me aggrediuntur.*

Apprehende *fortiter* arma, *hastam, dico,* & scutum: & exsurge in adiutorium mihi, *protegendo me scuto, & hasta inimicos inuadendo.*

Effunde *& educ è vagina* frameam, & *transuersam ponens lanceam tuam*, cõclude *ac obstrue viam* aduersus eos qui persequuntur me, *ne vlteriùs progredi, & me assequi possint:* dic animæ meæ, salus tua ego sum.

Confundantur *pudore, &* erubescẽtes *reuereantur*, quęrentes animam meam, *dum quod volunt non possunt perficere.*

Auertantur retrorsum, & confundantur *ignominia, vel* cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam puluis *& leuis stipula* ante faciem venti, *qui in omnes partes dissipatur, nec vsquam potest consistere:* & *sit* Angelus Domini coarctans *& impellens ac vrgens* eos.

Fiant viæ illorum *obscuræ sicut ipsæ* tenebræ, *ne videant quò fugiendum sit*; & *lubricæ sicut ipsum* lubri-

lubricum,*ne effugere possint*:& *sit* Angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis *sine vlla causa & merito meo*, absconderunt *& latenter intentarunt* mihi interitum,*defodiendo foueam,circa quam tetenderunt insidias retis &* laquei sui: superuacuè,*inquam,& sine vlla causa iusta*,exprobrauerũt *ac probro habuerunt* animam meam,*dum foueam illam ad capiendam ac perdendam eam defodiunt.*

Ergo veniat illi, *& vnicuiq; eorum*, laqueus *calamitatis* quem ignorat, *sic vt de improuiso comprehēdatur*; & captio *retis*, quam abscōdit *in perniciem meam*, apprehendat eum, *omni ope amicorum ac bene consulentium destitutũ*: & in laqueum *cum fragore dilapsus*,cadat in *eum* ipsum *lacum,ac foueam,quam mihi parauerat.*

Quod cùm fiet, anima autem mea exultabit *& lætabitur* in Domino: & delectabitur *ac gaudebit* super salutari suo, *quod ei præstitit.*

Sed & omnia ossa mea *viresq; corporis* dicent: Domine quis similis tibi?

Qui eripiens *es* inopem *& afflictum* de manu fortiorum eius,*qui viribus illis sunt superiores*; *&* egenum & pauperem *mendicum* à diripientibus eum,*qui per fraudem ac dolum omnia auferunt.*

2. Surgentes *mihi falsi* testes & iniqui, quæ ignorabam,*nec vnquam cogitaram, obiiciebant,&* interrogabant me,*quasi ea perpetrassem.*

Et cùm iis semper bene fecissem, illi contrà retri-

buebant mihi mala pro bonis, *& quaerebant* sterilitatem, *ac quasi filiorum orbitatem*, animæ meę; *vt omni ope destitutus, desolatus incederem.*

Ecce ego autem, cùm *ipsi malè valerent, & dolores eorum, non ipsis magis quàm* mihi molesti essent, *propter summam amicitiam inter nos*, induebar *præ mœrore ac tristitia sacco ac* cilicio.

Humiliabam in ieiunio *& affligebam* animam meam, & oratio mea, *quàm pro salute eorum iteratis vicibus ad Dominum fundebam, talis erat, vt in me ipsum eam recidere optarem, &, vt spero*, in *proprio* sinu meo conuertetur, *ita vt, si non ipsis, mihi saltem prosit.*

Etenim quasi proximum, *& omnibus officiis coniunctum amicum*; & ; *quod magis est*, quasi fratrem nostrum, sic *tractabam eos, & cõuersans semper circa ipsos malè valentes* complacebam *iis in quibuscumque rebus poteram*; *deniq;* quasi lugens *matrem qui pullatus* & contristatus *incedit*, sic *ego* humiliabar, *& incuruatus ambulabam.*

Et *hæc quidem cùm propter illos ego egerim, illi contrà, si quid mihi mali acciderit, ita vt vel paululum ægrotarem aut claudicarem*, aduersum me lætati sunt, & *exultabundi in vnum* conuenerunt: congregata sunt, *inquam*, super me, *& in perniciem meam, vilissima quaeque hominum etiam claudicantium genera, qui flagris digni, nihil aliud sunt quàm mastigiæ siue* flagella, & *ego penitus* ignoraui *tale quid aduersum me parari*; *quippe*

cum

cùm aliud simularent, aliud agerent.

Nam foris dolorem simulantes, & vestimenta sua scindentes, dissipati sunt, *tristes ac solitarij incedentes, vt videbatur*; *sed intus reuera* nec compuncti *vnquam, nec vlla tristitia affecti sunt*; *imò tacitè semper conuitiis me proscindebant, nec vnquam à cachinnis cessabant, aut silebant*; *denique coniungentes se cum hypocritis & parasitis, qui amicitias fictis verbis simulantes, mensas & placentas sequuntur*, tentauerunt me, *præ se ferentes quasi etiam subcinericium panem mea causa ob dolorem comederent, sed re ipsa* subsannauerũt me subsannatione, *&* frenduerunt super me dentibus suis.

3. *Hæc tu videns ac cognoscens* Domine, *quamdiu conniuebis*? quando *tandem me* respicies? restitue, *quæso, ô Domine*, *& reduc* animam meam à malignitate eorum, *& contumeliis ac calamitatibus, quibus me afficiunt: retrahe, inquam*, à *violentis istis* leonibus vnicam *illam* meam, *quæ tanquam vnio preciosissima mei pars, ope tua destituta, solitaria est & vaga.*

Quod quidem si feceris, confitebor tibi, *& cum gratiarum actione acceptam tibi feram salutẽ meam* in *publico conuentu hominum &* ecclesia magna, in populo graui *ac forti* laudabo te.

Non superbiant, *obsecro*, mihi, *nec iactent se de me inimici mei*, qui aduersantur mihi iniquè, *falsis criminibus me onerantes*: qui oderunt me, *inquam*, gratis, *sine vlla causa*, & *subsannantes me*,

me, annuunt *inter ſe* oculis.

Quoniam, *vt eos verè cognoſcas, cùm nihil cogitent pacatum*, mihi quidem *in os* pacificè loquebantur, *ſed re ipſa longè aliud agebant*: & in iracundia *ac ſuperbia ſua, qua cuncta proſcindere cupiunt, cum humilibus & manſuetis* terræ, *quos ſibi pro rapina deputant*, loquentes, *verbaq́ fraudulenta concinnantes*, dolos cogitabant.

Et dilatauerunt ſuper me os ſuum, *nihil nō plenis buccis & aperto ore in me effundētes, & exultantes præ lætitia, in calamitatibus meis* dixerunt: Euge euge, *iam* viderunt oculi noſtri *quod tanto tempore expetiuimus videre.*

4. *Hæc ita planè contigiſſe tu ipſe* vidiſti Domine: *quare* ne ſileas, *quæſo, nec diſſimules ampliùs*, ô Domine: ne *amabo ſurdum te mihi præbeas, nec* diſcedas *longiùs* à me.

Euigila & exſurge, & intende iudicio meo *vt ius mihi dicas*: *tu, qui* Deus meus & Dominus meus *es, intēde* in cauſam meam, *vt eam cognoſcas*.

Iudica me ſecundùm iuſtitiam tuam Domine Deus meus, *qui ius ſuum vnicuique tribuis*: & non ſupergaudeant mihi *hoſtes mei*, *quaſi triumphum de me agentes.*

Non dicant in cordibus ſuis, euge euge, *vah vah, iam bene eſt* animæ noſtræ, *quoniam pro voto omnia ſucceſſerunt*; nec dicant, deuorabimus *& iam reipſa abſorbuimus* eum.

Sed contrà erubeſcant, & *affecti ignominia* reuereantur

reantur simul *omnes* qui gratulantur malis meis.

Induantur *pudore ac* confusione & reuerentia *ignominiosa*, qui *contra me se extollentes*, maligna loquuntur, *& superba magnaq́ꝫ* super me.

Et ex aduerso exultent & lætentur qui volunt iustitiam meam *fauentes innocentia mea*: & dicāt semper: Magnificetur, *& omnibus laudibus extollatur* Dominus, *hi* qui volunt *& exoptant* pacem serui eius, *quam ille ipse dedit*.

Quod cùm fiet, & lingua *quoque* mea meditabitur *ac prædicabit* iustitiam tuam, *& cantabit* tota *omniq́ꝫ* die laudem tuam.

EXPLANATIO.

Iudica Domine] Depinguntur in hoc Psalmo pereleganter per antithesin facta bonorum & malorum, & quis vtrorumque sit finis. refertq́ue hîc Dauid Christum de Iudęis conquerentem.

PSALMVS XXXV.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, *scriptus Psalmus* seruo Domini, *nempe* ipsi Dauid.

Argumentum.

1. DEscribit per pulcherrimam antithesin opera diaboli & impietatis, quæ primò ponit: 2. Et opera Dei pij & iusti quæ secundo: 3. Quæ quidem homines amplectentes, omni bono replentur. 4. Quod vt ita fiat, & ab insidiis malorum illæsus maneat, ad extremum orat.

1. DIxit iniustus, *cùm iam parat se in illo impietas ipsa*, vt *prævaricetur ac* delinquat, *dixit*,

dixit,inquam,in ſemetipſo,*peruerſus ab impietate, atq; adeo apud animũ meum iam videor illum audire dicere:quòd* non eſt timor Dei ante oculos eius.

Quoniam *blandiens impietas iniuſto*,doloſè *ſemper* egit in conſpectu *oculorum* eius, *leniens peccatum, & perſuadens malum non eſſe malum*; vt *hoc modo* inueniatur *& progrediatur ſemper* iniquitas eius, *delectando ſe in peccatis ſuis,vel* ad *ſatietatem &* odium *ſiue faſtidium vſque, & ad plenum contemptum timoris Dei.*

Verba oris eius *mera* iniquitas *ſunt in ſe*,& dolus,*ad circumueniendum homines: & ſi cogitationes ſpectes & facta*,noluit *vnquam* intelligere *nec animum docilem præbere ad hoc* vt bene ageret, *& in melius* vitam *commutaret.*

Sed contrà, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo,*dum aliis quieſcentibus,aut peccata ſua deflentibus,ipſe cogitat quo pacto leges contorquere,& bonos extorquere poſſit*; *indeq; ſurgens* adſtitit omni viæ non bonæ, *quærens rationem qua cogitata ſua exſequatur;quod vt efficiat*, malitiam autem non odiuit, *nec vllum ſcelus abominatus eſt, nec adire recuſauit.*

Cæterùm cùm hæc impietatis ſint opera, quænam autem è contrario ſunt tua, ô Domine *? enimuero cùm per cũcta ſupera & infera permees*, in cælo *ipſo, quod omnia continet ac coërcet,verſatur* miſericordia *ac benignitas ſiue gratia* tua, *qua peccatoribus*

reſipien-

respipientibus das veniam,& bonitate tua omnia imples, & *quæ in terra est* veritas tua, *qua promissa inuiolabiliter præstas*, *& cuncta suis ratis ordinibus disponis*, vsque ad nubes *& æthera se extendit*, *sic vt nihil sit neque tam altum neque tam profundum, quod non veritas iustitiæ, & misericordia bonitatis tuæ incomprehensibiliter peruadant, & cuncta comprehendant.*

Nam quantum ad iustitiam attinet, iustitia tua, *quæ caput est imperij tui, ad ius suum cuiq; tribuendum*, ſicut *altissimi* montes Dei *est*, *quorum vertices hominibus incōspicui, ipsi omnia cōspiciunt: &* iudicia tua, *quæ pro pedibus sunt ad iustum exsequendum*, abyſſus *sunt & vorago* multa, *cuius fundus latens omnia ad se rapit.*

Et quantum pertinet ad bonitatem tuam, non sòlùm homines (*quod quoquo modo ratione comprehendi potest, quia ad imaginem tuam creati sunt*) *sed & vilissima pecora* & iumēta (*quod qua ratione facis, quis intelligit?*) *saluas quotidie, &* ſaluabis *semper* Domine, quemadmodum *clarè videmus quòd* multiplicaſti *& per omnia extēdisti preciosam* miſericordiam tuam Deus.

3. *Quod quidem agnoscentes* filij autem hominum (*nam beluis datum hoc non est*) *& derelicta impietate supradicta, ad te se applicantes, tāquam pulli gallinæ* in tegmine *& vmbra* alarum tuarum ſperabunt, *ne ab impiis illis miluiis & hostibus suis diripiantur, ad malum vitandum.*

Et quantum ad bonum adipiscendum attinet plenitudini bonitatis ac iustitia tua immersi, satiabuntur & quasi inebriabuntur à *pinguedine &* vbertate domus tuę, *qua rerum omnium copia abundat;* & *tanquam* torrente *ac flumine* voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te est fons *& quasi vectis ac primus motus* vitæ *ac morum; quod bonitatis est:* & in lumine tuo, *splendente super nos*, videbimus *& cognoscemus* lumen *veritatis ; quod scientia.*

Quod quidem tu animaduertēs Domine, & gratū tibi esse ostendens, prætende, *quæso, & amplifica* misericordiam tuam *super* scientibus *& agnoscentibus* te, *quantum ad intellectum ad peccata condonanda*; & iustitiam tuam his qui recto sunt corde, *quantum ad vitam & mores ad promissa largiùs præstanda.*

Et secundùm hoc, non veniat mihi *nec dominetur super me* pes superbiæ, *sic vt ab hominibus arrogantibus conculcer:* & *violenta* manus *impij* peccatoris non moueat *aut de loco detrudat* me.

Sed contrà exemplum in eos edens, ostende, quòd vbi mihi nocere voluerunt, ibi *ipsimet* ceciderunt qui operantur iniquitatem; *& qui me prosternere putabant, ipsimet* expulsi *ac prostrati* sunt, nec potuerunt stare *aut resurgere.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Iuſtitia, montes, iudicia, abyſſus] Legis Dei, qua cuncta adminiſtrãtur ac gubernãtur, caput eſt iuſtitia; vnde proœmia legum manãt: pes autem iudicium vnde ſanctiones. De his duo omnino dicũtur: Primum, nihil neque tam altum, neque tam profundũ eſſe, quó non iuſtitia & iudicia Dei peruadãt; vnde apud Græcos iuſtitiæ nomen inde ductum eſt, quód per omnia peruadit. Et ne diaboli quidem regnum ſtare poſſet, niſi vmbram aliquam iuſtitiæ haberet, vt in Euangelio eſt proditum. Secundum, iuſtitias & iudicia Domini tam alta & profunda eſſe, vt nullo ingenio humano cõprehendi poſſint. Sed quæ apud nos exſtat eiuſmodi rerum cognitio, inchoata tantùm eſt, quantum ad vitam degendam ſufficit, & ad Deum cognoſcendum, in quo ſolo eſt acquieſcendum.

Inebriabuntur] Quę diuina ſit ebrietas, iam antè dictum eſt; nempe cùm homo, relictis non ſolùm ſenſibus, ſed & intellectu, extra ſe in vno Deo eſt poſitus. Eſtque huic ſatietati ſanctæ oppoſita ſatietas mala, de qua hoc Pſalmo verſu ſecundo dicitur.

Vbertate, torrente] A iuſtitia pacem, à pace vbertatem exiſtere, & quodnam ſit flumen ciuitatis Dei, iam antè expoſuimus.

Fons] Omnium rerum fontes in vno Deo ſunt, ſiue vitam & mores ſpectes, in quo, per quem, & cum quo ſolo, volumus, currimus, & perficimus; ſiue artes & ſcientias, in quo, cum quo, & per quem ſolum, lumen veritatis cernimus. Et niſi inde principia repetantur, manca ſunt & imperfecta omnia.

PSALMVS XXXVI.

Titulus.

Pſalmus *ſcriptus* ipſi Dauid.

Argumentum.

ADmirabilis eſt antitheſis in hoc Pſalmo bonorum & malorum, præmiorumque iuſtitiæ & iniuſtitiæ. 1. Primùm monet vir ſanctus iuſtos, ne impiorum felicitate cõmoueantur; ſed in vno Deo ſpem ſuam reponant, qui bonos amore complectitur, malos autem diſperdit. 2. Idque ſemel poſitum repetit. 3. Deinde iuſtos & iniuſtos inter ſe opponit, tum quidem potentiæ ac diuitiarum ratione, tum verò reſpectu Dei. 4. Pòſt iterum ad bonos ſe conuertens, repudiata iniuſtitia, iuſtitiam ſequi iubet, quod ter, quinquies, ſexies, ſepties inculcat, ſic vt membris tribus, partibus autem ſeptem, hic diuiniſſimus & conſolationis plenus Pſalmus contineatur, verumq; effectum iuſtitiæ & iniuſtitiæ demonſtret.

1. NOli æmulari, *nec te malè habeat proſperitas & felix ſucceſſus rerum quem vides* in *improbis &* malignantibus: neque zelaueris *aut inuidia proſequaris* facientes iniquitatem; *ſic vt eorum res ſecundæ te vrant, eáque de cauſa excandeſcas.*

Quoniam *qui tibi nunc magni ac beati vidẽtur,* tanquam fœnum velociter *ſuccidẽtur, &* areſcẽt: & quemadmodum *virẽtia* olera, *& germina* herbarum, citò *marceſcent ac* decident.

Tu autem ſpera in Domino, & fac bonitatem, & *ſic* inhabita terram, *nullo vitæ tedio affectus; ſed contrà omni bona ſpe plenus,* & *procul dubio* paſcẽris *per fidem tuam, & nutriet te Dominus in veritate ſua,* in diuitijs eius.

Delectare in Domino,*ponens voluntatem tuam in voluntate ipsius*, & dabit tibi *omnes* petitiones cordis tui.

Reuela *& notam fac* Domino viam tuam; & *voluens super eum, illiq; committens omnium rerum tuarum statum*, spera *confidenter* in eo, & ipse faciet *quod oportet, & procurabit diligenter omnia, ne quicquam tibi desit.*

Imò &, *quod amplius est, ad te cohonestandum* educet *in publicum* quasi lumen *solis orientis* iustitiam *& bonā voluntatē* tuam, & iudicium tuum, *& rectè facta tua splendere faciet* tanquam *ipsum* meridiem: *tu modò tacitus* subditus esto Domino, & *cum patientia exspectans* ora eum.

2. Noli æmulari, *dico, nec offendi* in eo (*nam quid opus est vt rebus ipsius te immisceas?*) qui prosperatur in via sua, in homine, *inquā*, faciente iniustitias, *& omnes peruersas animi sui cogitationes ac libidines supra numerum capillorum multiplicatas, quasi scilicet indignum sit, res ei tam feliciter cedere.*

Desine *ac desiste* ab ira *quam ob eam rem fortasse concepisti, vt sæpe etiam optimis viris fieri solet*; & derelinque *ac depone indignationem illam, tāquam* furorem *quendam*: noli æmulari (*vt vel tertiò hoc inculcem*) *nec vsque adeò his rebus offendi ac irritari*, vt *aut verbo* maligneris, *detrahendo illi ac maledicendo, aut facto imitando eum in sua iniustitia.*

Quoniam qui malignantur, *siue id verbo fiat,*

siue facto exterminabuntur: sustinentes autem Dominum, *& cum patientia gratiam illius exspectantes*, ipsi *longa vita & successione post se* hæreditabunt terram.

Quod longè aliter accidet impiis: *nam paululum respice, & videbis eum*, & adhuc pusillum, & non erit peccator, &, *quod amplius est*, quęres locũ eius *vbi constiterat*, & non inuenies *nec ipsum, nec locum ipsius*.

Contrà mansueti autem *& mites ac humiles* hæreditabunt terram, *vt dico, tam per se quam per successionem suorum*, & delectabuntur in multitudine pacis, *quæ merces est & fructus iustitiæ*.

3. *Quinimo vis videre quo pacto iustus & iniustus se habeant, tam inter se quàm erga Deum? ecce* obseruabit *impius* peccator iustum, & *multa cogitans ac moliens aduersum ipsum*, stridebit *& frendet* super eũ dentibus suis, *potentia sua elatus*.

Cæterùm, Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quòd *breui* veniet dies eius, *quo plectatur ac pereat*.

Ad hæc gladium *acuerunt & euaginauerunt impij* peccatores; *&* intenderunt arcum suum.

Vt decipiant *ac de statu suo deiiciant ac diruant* pauperem & inopem, *qui tamquam mendicus ope humana est destitutus*; *&* vt *iugulantes* trucident *ac dilanient* rectos corde, *qui recta via ingrediũtur*.

Sed id longè aliter eueniet: nam fiet vt suo se ense iugulantes, gladius eorum intret in corda eorum,

&

& arcus eorum confringatur.

Atque hæc quidem cùm circa vim & potentiam ita se habeant, porrò circa diuitias multo melius est modicum *rectè partum* iusto, *viuenti moderatè*, super *rapinas &* diuitias peccatorum multas, *quibus male quæsitis, malè vtuntur, & supra alios superbè se efferunt.*

Quoniam brachia *illa* peccatorum, *dum ob ingentes diuitias valde potentes se esse putant*, conterentur *& confringentur*: confirmat autem *& sustentat* iustos Dominus, *quantumuis in re parua & exigua esse videantur.*

Etenim nouit Dominus, *& sunt illi curæ* dies immaculatorũ, *vt opem illis ferat cùm est tempus*: & hæreditas eorum in æternum erit, *dum Dominum habent partem hæreditatis suæ, à quo, tamquã filij, iure hæreditario nutriuntur, tam ipsi quàm liberi eorum.*

Et ob id non confundentur, *nec spe sua frustrati pudefient* in tempore malo *& aduerso; sed contrà rebus omnibus iuuari se sentient*, & in diebus famis saturabuntur: *quod sane contrà impiis accidet*, quia peccatores *tam fame quàm aliis rebus aduersis* peribunt.

Nam pij perpetuò florebunt; inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati, *sicut monocerotes* deficientes, quemadmodum fumus deficient, *haud aliter atque adeps pinguium & pretiosorum agnorum, qui altari impositus igne ado-*

letur, ac consumitur, & in fumum euanescit.

Quinimo mutuabitur peccator *ab amico suo*, & nō *restituet nec* soluet *quod debet; quin præterquam quod impius & iniustus est, in summis etiam diuitiis semper indiget: contra* iustus autem, *quātumuis tenuis fortunæ videatur, non modò habet vnde soluat debitum, prout facit, sed & cùm superet etiam aliquid*, miseretur *aliorum egentium*, & *vltro* retribuet *ac dabit eis.*

4 *Quæ quidem res omnino sic continget vtrique à Domino*, quia benedicētes ei, *quod iusti faciunt, rursum benedicti ab eo, tanquam iure successionis paternæ*, hæreditabunt terram: maledicentes autem ei, *quod faciunt peccatores & iniusti, contrà maledicti ab eo succidentur ac* disperibunt, *nec vllis terræ bonis fruentur.*

Etenim apud Dominum gressus hominis *iusti* dirigētur, *sic vt nullum vestigium ponet, quod non ad voluntatem & nutum Domini, & iuxta legem eius dimetiatur, pendens totus & accipiens omnia ab eo*, & *ob id gratam habebit Dominus* viam eius, *&* volet, *& amabit eam.*

Et cùm ceciderit, *rebus aduersis afflictus*, non collidetur, *nec succumbet calamitati*, quia Dominus supponit manum suam; *qua tum quidem cauet ne lædatur, tum verò manum eius sustētat ne totus corruat.*

Enimuero iunior *ego* fui, *& vixi multis annis*, etenim *iam* senui, & *tamen* non vidi *vnquam*
iustum

iustum *à Deo* derelictum, nec semen eius quærens panem.

Imò verò contrà in re lauta constitutus, tota die *beneficum se ostendit erga alios*, *&* miseretur *eorum qui re & ope ipsius indigent*, & commodat *iis qui mutuum ab eo postulant*: & *non solùm ipse*, *sed & semen illius*, *rebus omnibus abundãs*, in *perpetua* benedictione erit, *dum munificẽtiam eius ac diuitias, omnes mortales prædicabunt*.

5. *Quæ quidem cùm ita se habeant*, *& tanta sit inter bonum & malum, iustum & iniustum differentia*: *tu*, *quicunque hæc audis*, *vtrumque tibi ob oculos ponens*, declina à malo, *cuius tanta sunt maledictiones*; & fac bonum, *cuius summa est benedictio*; & *sic* inhabita *terram hanc*, *& fruere perpetua felicitate* in sæculum sæculi.

Quia Dominus amat iudicium *quo iustitia cum æquitate exercetur*; & non derelinquet *vnquam* sanctos suos, *quos misericordia & beneficentia sua est complexus*, *sed diligenter custodiri*, in æternum conseruabuntur.

Contrà verò iniusti punientur, & semen impiorum peribit: iusti autem, *tanquam iure successionis paternæ*, hæreditabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

Sed & sic considera, os iusti meditabitur *ac tractabit* sapientiam, *ad iustum intelligendum*; & lingua eius loquetur iudicium, *ad ea quæ iusta sunt*

ſunt exequenda, ſic vt duas principes virtutes prudentiam ad intelligẽdum, & iuſtitiam ad agendum ſemper coniungat.

Ad quod efficiendum, Lex Dei eius, *per quam ſolam ſapimus, & iuſti ſumus,* in corde eſt ipſius: & *ſic* non ſupplantabuntur *nec nutabunt aut commouebuntur* greſſus eius, *ſiue vita contemplationem, ſiue actionem ſpectes.*

Quod autem cùm videt, conſiderat *quidem diligenter, & obſeruat curioſè* peccator iuſtum, *& omnes actiones eius*: & quærit *rationem, qua vel per falſas criminationes poſſit occidere &* mortificare eum.

Cæterùm Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, *vt tyrannide & calumniis ipſius opprimatur,* nec damnabit, *aut damnari patietur* eum, cùm iudicabitur *& ſententia de eo feretur accuſatori* illi *peruerſo; qui cùm ipſe ſit impius, impietatis eum, vt ſæpe fieri ſolet, inſimularit.*

6. Quod cùm ita ſit, iterum dico, exſpecta *patienter* Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te; vt *tanquam filius eius,* hæreditate capias terram: *&* cùm *contrà* perierint peccatores *aduerſarij tui,* videbis *id coràm, vt planè intelligas, quanta inter pium & impium ſit differentia.*

Etenim vidi *aliquando* impium ſuperexaltatum *robore virium ſuarum,* & eleuatum *ac florentem* ſicut cedros Libani, *& lauros quæ perpetua fronde virent.*

Et

Et *paulo pòst*, transiui, & ecce non erat, *tãquam qui euanuisset*; quæsiui eum, & non est inuentus *nec ipse, & ne* (locus *quidem* eius.)

7. *Quare vt tertiò etiam idem inculcem*, custodi innocentiam, *sic vt vita & moribus simplex & perfectus ab omni scelere absis*, & vide æquitatem, *ita vt ratione & intelligentia quod iustum rectumq́; sit cognoscas ac perficias*: quoniam *hæ* sunt *veræ* reliquię homini pacifico *siue iusto, cuius finis est pax & iustitia efflorescens.*

Contrà iniusti autem, *qui legem Dei transgrediuntur ac præuaricantur*, disperibũt simul *omnes, & verò non ipsi modò, sed &* reliquiæ *siue posteri* impiorum, *nec non fines, quos sibi habebant propositos, tanquam res vanæ & futiles succidentur, &* interibunt; *sic vt postera eorum nihil aliud sint, quàm perpetuum excidium & interitus.*

Salus autem iustorum à Domino *est*, *qui* & protector *est ac fortitudo* eorum in tempore *angustiæ ac* tribulationis.

Secundùm quod & adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos *ab afflictionibus in quibus versantur*, & eruet eos à peccatoribus, *qui afflictiones istas inferunt*, & saluabit eos, quia sperauerunt in eo.

EXPLANATIO.

Noli æmulari] Quoniam de lege & iustitia hîc agitur, digestus est hic Psalmus secundùm ordinem literarum alphabeti Hebraici, de quo suprà dictum est.

Quasi lumen iustitiam tuam] Duplex est lumẽ in sacris literis:

literis: vnum intellectus, quod prudentiæ est; de quo suprà dictum est: Et in lumine tuo videbimus lumen. alterum vitæ ac morum, quod iustitiæ: de quo hic agitur. Et Dominus in Euangelio, Tunc iusti, inquit, fulgebunt sicut Sol in regno Patris sui. Atque hinc quidem Sol iustitiæ apud Zachariam dicitur, origine inde ducta, quòd omnis iustitia in actione vitæ consistit, ex vitæ autem præstantia claritas existit; vnde viri iusti, clari & illustres vocantur. Et in Euangelio Ioannes, In ipso, inquit, vita erat, & vita erat lux hominũ. Et, Dominus: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.

Subditus esto Domino] Tota enim hominis iustitia non alia in re consistit, quàm in obedientia erga legem Dei, in qua magnum illud sacrificium consistit, quod iustitiæ vocari, suprà diximus; cuius respectu alia sacrificia exigua sunt: vnde melior obedientia dicitur quàm victima, quæ est victima victimarum.

PSALMVS XXXVII.

Titulus.

Psalmus Dauid *quem cecinit graui morbo afflictus*, in rememorationem *peccatorum suorum, propter quæ affligebatur, idq;* (die Sabbathi) *quo singulari Dei beneficio iam alleuationem & quietem à malis animi & corporis sentiebat.*

Argumentum.

Morbo correptus Dauid, & ab inimicis exagitatus ob adulterium Bersabeæ & homicidium mariti eius, implorat Dei misericordiam, vt à malo animi pariter & corporis possit liberari. 1. Ostendens primò quàm sit corpore afflictus: 2. Deinde quàm ab hostibus exagitetur, à proximis amicis derelictus: 3. Addens, licet

licet habeat quod hostibus respondeat, silere tamē, quia in vno Deo confidit, cuius auxilium cum multa exaggeratione gradatim inuocat. 4 In quo tandem concludit.

1. DOmine ne, *quæso*, in *primo indignationis* furore *ac motu* tuo, *quem zelo iustitiæ recta concipis*, arguas, *& accuses* me; *non enim potero consistere in iudicio*: neque in *merita* ira tua, *quæ post primum motum sequitur, vlteriùs* corripias *aut castiges* me.

Quoniam *ecce iam nunc* sagittæ *doloris & afflictionis* tuæ *descendentes* infixæ sunt mihi, *& me pungunt toto corpore*: & confirmasti *ac penitus depressisti* super me manum tuam, *qua me percutis*.

Non est *vlla omnino* sanitas, *nec quicquam integrum* in *tota* carne mea *exteriore, propter acutos radios quibus stimulor, qui* à facie iræ tuæ *procedunt, & tam animum quàm corpus pungunt*: non est, *inquam*, pax *aut quies vlla nec intimis* ossibus meis, *propter merita supplicia, & stimulos conscientiæ, qui* à facie peccatorũm meorum *prorumpunt, & in me reflectuntur*.

Quoniam iniquitates meæ, *quibus tanquam in profundissimam aquam immersus sum*, supergressæ sunt caput meum, *ita vt nec videre, nec respicere ampliùs possim*: & sicut onus graue, *quod capiti & humeris imponitur*, grauatæ sunt super me, *sic vt ampliùs ferre ac consistere prorsus nequeam*.

Putruerunt & *intus* corruptæ sunt *malè ob-*

ducta cicatrices meæ, *quas semper recrudescere faciunt terrores conscientiæ, procedentes* à facie insipientiæ *& stultitiæ* meæ, *cùm in errorum meorum liuores & fœditates intueor.*

Miser factus sum *omni genere afflictionis*, & *distorto corpore totus* curuatus sum vsque in *extremum &* finem, tota die contristatus, *omniq́ corpore & animo niger ac pullatus, tanquam habitu lugubri*, ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus *falsarum voluptatum*; *vnde ardores fœdissimos, & vlcera putidissima contraxerunt*; & non est *vlla* sanitas, *vt dixi, nec quidquam integrũ* in *tota* carne mea *peccatrice.*

Afflictus sum & humiliatus sum, *debilitatis & attritis omnibus viribus meis* nimis *vehementer*; *sic vt more leonum* rugiebam, *dum summa vi erumpit & effertur vox* à gemitu *& dolore* cordis mei.

2. *Hæc coram te commemoro* Domine; *quoniam antequam os meum aperiam, iam clarum, & manifestum est* ante te omne desiderium meum & *suspirium meum, ac* gemitus meus à te non est absconditus.

Nam cor meum *palpitans, & huc illucq́ se versans* conturbatum est *in me:* dereliquit me virtus *& robur ac fortitudo* mea, & lumẽ oculorum meorum, *tam mentis quàm corporis*, & ipsum non est mecum.

Sed & amici *olim* mei & proximi *sodales* mei, *non*

non audentes propiùs accedere ad auxiliũ ferendum, aduersum me, *è regione* (appropinquauerunt,) & *planè ociosi* steterunt, *nihil pro me molientes.*

Et qui iuxta me *priùs* erant *vicini & propinqui cognati mei,* de longè steterunt, & *interim irruentes in me,* vim faciebant *inimici mei,* qui *laqueos & retia sua tendentes* quærebant animam meam.

Et qui inquirebant *ac concinnabant* mala mihi, locuti sunt vanitates *& mendacia contra me*, & dolos tota die meditabantur.

3. Ego autem, *licet abundè haberem quod responderem; tamen dissimulans omnia,* tanquam surdus non audiebam, & *gessi me* sicut mutus, non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, *quibus obiecta aduersum se diluat.*

Quod quidem ideo feci, quoniam *non in viribus & defensionibus meis, sed* in te *solo* Domine speraui, *& exspectaui te:* tu exaudies me, Domine Deus meus, *& respondebis votis meis.*

Quia dixi, *cùm te rogarem ac supplicarem,* nequando *permitte, quaso, vt* supergaudeant mihi *& lætentur de me* inimici mei: *nam vsque adeò insolentes sunt, vt vel de minimis qua mihi aduersa accidunt, supra modum efferantur;* & dum *vel paululum* commouentur *ac lubricitant* pedes mei, super me *elati &* magna locuti sunt.

Et si hoc nondum sufficit ad te commouendum,

 Domine,

Domine, hoc saltem te flectat, quoniam ego *omni genere malorum vsq; adeò iam diu exagitor, vt planè videri possit, quòd* in flagella *& ad verbera accipienda* paratus *ac natus* sum, *trahens tanquā claudus vitam meam, sic vt numquam quiescam*, & *sit* dolor meus in conspectu meo semper.

Sed si nec illud quidem adhuc sat est, vel ob id, quæso, miserere mei, quoniam iniquitatem meam, *ob quam in grauissimum hunc morbum incidi, cognosco, &* annunciabo *palàm, ac profitebor*, & cogitabo *anxius* prò peccato meo, *quo pacto id queam expiare.*

Quibus omnibus & hoc accedit indignius, vt tanto magis mei te misereat, quòd inimici autē mei viuūt *ac valent*, & confirmati sunt *robore ac viribus*(super me,) & *quod magno numero* multiplicati sunt qui oderunt me *sine causa, & penitus iniustè, ac* iniquè.

Qui, *inquam, rependunt ac* retribuunt *mihi* mala pro bonis, *& prosequentes me odio*, detrahebant *ac aduersabantur* mihi, *nō alia de causa, quàm* quoniam *contra eorum institutum* sequebar *virtutem ac* bonitatem.

4. *Ergo hæc cùm ita se habeant*, ne derelinquas me, *quæso*, Domine Deus meus, ne discesseris, *obsecro, nec elongeris* à me, *sed contrà festinanter accurrens*, intende in adiutorium *& auxilium* meum, ô Domine, *qui es* (Deus) *meus, & adiutor* salutis meæ.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Domine ne in furore] Pœnitentialis hic est Psalmus: ac quatenus ab amicis se desertum, nec quidquam ad falsas criminationes respondere velle Dauid ait, Christi in passione personam repræsentat.

Oderunt me iniquè] Hoc dicit ad differentiam odij boni & iusti. vt, Odiui ecclesiam malignantium.

PSALMVS XXXVIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summos præfectos chori musici, ac nominatim* pro Idithun *insigni cantore conscriptum & decantandum missum hoc* canticum *siue Psalmus* Dauid.

Argumentum.

1. VI morborum, & hostium persecutionibus oppressus Dauid ait se initiò constituisse, vt tacitus omnia perferret, ne vel minimã cuiquam calumniandi occasionem præberet: Sed pòst vi doloris victum, non potuisse se ampliùs continere, quin in clamorem prorumperet, & à Domino quæreret, quisnam tandem malorum sic futurus finis; quandoquidem homo per se non immortalis, sed mortalis est, & sicut vmbra transiens, nisi à Deo iuuetur. 2. Vnde ad illum se conuertens, ipsum totam spem suam esse ait, rogatque, & quidem iteratò, vt à malis animi & corporis, per ipsum qui omnipotens est, & cui nemo resistere queat, possit liberari.

1 OPpressus graui hoc morbo, quo nunc laboro, dixi, & *quidẽ initiò constitui firmiter apud me, quòd* custodiã *diligẽter omnes* vias meas, *& totius vitæ rationem, ita* vt non *modò facto ipso non* delinquam, *sed nec* in lingua mea *peccem, ne quem-*

quam offendam, aut calumniandi occasionem prabeam, quasi impatiens sim dolorum.

Itaque posui ori meo custodiam, *tanquam capistrum & fiscellam illi iniiciens*, cùm consisteret *impius* peccator aduersum me, *versans mecum, vt obseruaret an aliqua in re me effunderem.*

Quinimo obmutui, *pressus silentio*, & *comprimēs me summa vi*, humiliatus sum, *& victus à me ipso; nam* & *ne quidquam omnino loquerer*, silui *ac etiam continui me* à bonis *sermonibus, ne quid esset quod in calumniam raperetur: sed hoc dum facio, ecce* & dolor meus *propter silentium exasperatus, & per multas vices* renouatus est.

Sed & concaluit cor meum intra me, *in medio corporis mei, dum sermonum vicissitudine se numquam refocillat*: &, *quantum video*, in *diutina hac* meditatione, *& silenti cogitatione* mea exardescet *tandem morbus tanquam* ignis.

Hac igitur re pressus ac compulsus, non potui me diutiùs continere, sed locutus *tandem* sum in lingua mea: *quaso*, notum fac mihi Domine finem meum.

Et *mensuram ac* numerum dierum meorum, *dic mihi*, quis *quantúsue* est: vt sciam quid desit *adhuc* mihi *temporis, ad finē his malis imponēdum.*

Ecce *enim non perpetuos & aternos, sed breues, &, vt fit, palma quatuor digitorum* mensurabiles posuisti dies meos: & *ipsa* substantia mea, *& aeuū totum meum, quod mihi constitutum ac determinatum*

natum est , tanquam nihilum ante te.

Verumtamen *& amplius dicam, aio enim hominem non solùm rem aliquam vanam ac inanem esse, sed est ipsa* vniuersa vanitas, omnis homo viuens, *quantumcumque aliquid esse, & firmiter stare videatur; dum nimirum à te se auertens, conditor est ac fabricator ipsius vanitatis, in quam se immutat. ita certè se res habet*, Sela.

Nam quòd quidquam eum quisquam esse existimet, nihil sanè est; quia nunquam re ipsa est, neque firmiter consistit: verumtamen in imagine *dumtaxat & vmbra quadam tenebricosa* pertrãsit, *& quasi perfluit* homo; sed & *amplius, quòd existimat, tametsi ipse perpetuò viuere nequeat, per propagationem tamen nominis, & successionem honorum id effici posse*, frustra *profectò laborat, & in vanum multa solicitudine* conturbatur.

Nam thesaurizat *magno studio, & per fas nefasq; congerit multa:* & ignorat *prorsus* cui congregabit ea, *heredibúsne sui nominis, an aliis exteris, qui mox cuncta sint dissipaturi.*

2. *Quod quidem cùm ita se habeat, & verò in cunctis hominibus, & omni tempore*, & nunc, *quo in extremo hoc periculo versor:* quæ est exspectatio mea? (nonne,) *repudiatis rebus illis vanis ac inanibus, solus* Dominus? *ita profectò; & sanè omnis spes* & substantia mea apud te est, *Domine, ad cuius imaginẽ sum factus, & ad quem cõuersus, similitudinem eius refero, quæ est sola veráque substantia mea.*

Tu igitur ab omnibus iniquitatibus meis, *ob quas in hac mala incidi*, erue me, *condonando mihi transgressiones meas, auferq́ à me ignominiam hāc*, *quòd* opprobrium *stulto homini & insipienti*, *qui non modò te non agnoscit, sed & eos qui agnoscunt ludibrio habet*, dedisti *ac posuisti* me.

Nam tu vtique scis, quàm patienter hæc ferens, prorsus obmutui, & nō aperui os meum: quoniam *non ignorabam quòd* tu, *qui Deus meus es, & in cuius manu sunt omnia, hoc* fecisti: *quare iterum te rogo*, amoue à me, *quæso*, plagas tuas.

Etenim quæ vis & potestas tua est, & mea contrà imbecillitas, iam à fortitudine *& robore* manus tuę, *qua me percutis, prorsus* ego defeci *& exanimatus sum*, *dum* in increpationibus *& obiurgationibus* propter iniquitatem *meam* corripuisti *ac castigasti me* hominem *infirmum ac imbecillum*.

Et tabescere fecisti sicut aranean, *quæ inedia consumitur*, animam *ac desiderium* eius, *dum quod maximè pretiosum ac desiderabile in illo est*, *qui est animi vigor ac præstantia, liquefieri ac mærore exedi sinis, haud aliter atque tinea veste corrodere, aut limax colliquescere solet: nam vt viribus tuis resistat, non solùm nihil magnum*, verumtamē *ipsa vanitas est*, *&* vanè *laborat ac* conturbatur omnis homo, *qui se robori tuo resistere posse existimat. ita sanè res est* Sela.

Ergo, inquam, vt rursum rogem, exaudi, *obsecro*, orationem meam Dn̄e, & deprecationē meam, *&* clamo-

clamorem auribus percipe, *ad* lachrymas *autem* meas

Ne *obſurdeſcas ac* ſileas, quoniam *non vt in ſempiternum in hac terra viuam, hanc vitam peto; ſed ad tantulum temporis dumtaxat, quo tanquam hoſpes per hanc terram transeo: nam* aduena ego ſum apud te *verum Dominum, vt ſcis*, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.

Quod conſiderans, remitte mihi, *& aufer à me manum plagæ tuæ*, vt refrigerer, *& reſocillet nonnihil, reſumens priſtinas vires meas*, priuſquam *hinc* abeam, & ampliùs *in hac terra* non ero.

EXPLANATIO.

Tanquam nihilum ante te] Quoniam ſolus Deus eſt qui eſt; quicquid extra Deum eſt, ad ipſum collatum, nihil eſt; nam non eſt ipſum id quod eſt, ſed eius imago dumtaxat, quæ mox tranſit, vt poſt dicitur.

Vniuerſa vanitas] Homo à Deo ſe auertens, non ſolùm vanus eſt, ſed ipſamet vanitas, quatenus pro peccato accipitur: quoniam vanitas peccati non conſiſtit per ſe, ſed eſt in ipſo peccante.

Subſtantia mea apud te eſt] Nam quemadmodum homo à Deo auerſus, vanitas fit, ita ad Deum conuerſus, & illi inſertus, ſubſtantiam ſuam ab illo accipit, poteſtque dici, hominem per ſe imaginem quandam eſſe; quæ cùm ad Deum ſe conuertit, ſubſtantiæ eius fit particeps; cùm ab eo ſe auertit, vanitati immergitur.

PSALMVS XXXIX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, decantandus missus* Psalmus *qui conscriptus est* ipsi Dauid.

Argumentum.

1. PRædicat ac laudat Deum Rex, quòd à præteritis malis illum eripuerit. 2. Quia quidem re fore ait, vt alij pij, id videntes, & ipsi rebus inanibus derelictis, ad Deum, & eius opera se conuertant: in quorum cōtemplatione non sic versabuntur, vt in iis extrinsecus acquiescant; sunt enim immunera; sed vt voluntatem Dei facere discant, ipsumque omni laude prædicent: quod se fecisse ait.
3. Vnde, quantum ad mala præsentia, & instantia, orat, vt ab iis liberetur, & hostes pudore suffundantur. Gerit Dauid personam Christi de resurrectione gratias agentis, quod quidem & de se in Lege scriptum ait, vt Dei Patris voluntatem faceret, & nomen eius ad homines deferret, eorumque peccata elueret.

1. EXspectans *omni solicitudine ac patientia* exspectaui Dominum, & *ecce iam tandem inclinans se* intendit mihi.

Et exaudiuit preces meas, *& clamorem meum*, & eduxit me de lacu *& puteo* miseriæ, *vbi horrens aquarum est strepitus, in quem incideram*; & de luto fęcis *denso ac cœnoso, in quo infixus eram.*

Et statuit *in alta rupe* supra *firmam* petram pedes meos, & direxit gressus meos, *vt rectà via incedam.*

Et immisit in os meum canticum nouum *ob noua beneficia in me collata*, *vt de iis* carmen *laudesq; canam ipsi* Deo nostro.

2. Vide-

2. Videbunt *id* multi, & *cum reuerentia* timebunt, & sperabunt in Domino, *idem ab eo exspectantes, quale in me contulit.*

Beatus *enim* vir cuius est nomen Domini, *ipseq́ Dominus,* spes *& fiducia* eius; & *qui* non respexit *nec admiratus est homines potentes ac fastuosos: nec* in vanitates *eorum,* & insanias falsas, *quæ licet aliquid esse videantur, nihil tamen reuera sunt, deflexit aut intendit animum suum, sed in te solum, & in opera tua.*

Etenim multa *& numerosa* fecisti tu Domine Deus meus, mirabilia *facta* tua, *ab hominum captu longè separata,* & *admirabilibus* cogitationibus *ac consiliis* tuis non est qui similis sit tibi, *vt vel narrando ea possit æquare; aut vllum in iis ordinem inuenire.*

Ego enim annunciaui *ea aliquando, & prædicare conatus sum,* & locutus sum *plurima, volens ea certis distinctionibus ac rerum ordinibus cõprehendere, &* multiplicati sunt *ordines illi* super *omnem* numerum; *sic vt ne minimam quidem partẽ eorum prædicando me assequi posse reipsa comperirem.*

Tu enim prædicationem illam exteriorem, ac sacrificium *hostiæ pacificæ,* & oblationem *similæ* noluisti; *nam non sunt illa præcipua quæ tu quæris: cæterùm* aures autem, *quibus verba tua percipiuntur ad faciendum ea, perforasti ac* perfecisti *aperuistiq́* mihi, *sic vt dicto tuo audiens sim, eiq́ obediam, meq́ totum tibi animo pariter & corpore perficiendum*

tradam, quod est illud quod maximè in nobis requiris.

Quinimo vt animaduerti quòd etiam ipsum holocaustum, *quod summum est sacrificium*; & *hostiam* pro peccato, *quod secundum*, non postulasti, *tanquam verè tibi gratum, sed aliud quod in promptitudine bonæ voluntatis consistit*, tunc dixi, ecce venio, *& adsum tibi paratus, vt id quod imperabis faciam.*

Nam in capite *ipsoq; primo volumine* libri *Deuteronomij* scriptum est de me, *quo pacto Rex vnctus tuus gerere se debeat: qua quidem in re* vt facerem voluntatem tuam, ô Deus meus, *id semper optaui ac* volui, & *secundùm hoc gessi semper* legem tuam, *non in sinu solùm vt Lege præcipitur, sed &* in medio *viscerum pectoris &* cordis mei.

Et sciens nullũ tibi sacrificiũ esse magis gratum, quàm sacrificium laudis, annunciaui *ac prædicaui palàm* iustitiam tuam, *quam in seruandis promissis præstas*, in *medio cœtu populi, &* ecclesia magna: ecce labia mea nõ prohibebo, *nec prohibui vnquã, quo minùs sic facerent. quod ita esse vtique* Domine tu scisti, *& cognitum habes.*

Etenim iustitiam, *dico*, tuam non abscondi in *medio* corde meo, *prohibens linguam meam ne loquatur* veritatem tuam, *& constantiam in promissis seruandis*: & salutare tuum, *quod reipsa præstas, publicè* dixi *& professus sum.*

Non abscondi, *inquam, nec celaui* misericor-

diam

diam *ac gratiam bonitatemq;* tuam, & veritatem *ac iustitiam* tuam à concilio multo, *& conuentu publico.*

3. *Quò quidem respiciens* tu autem Domine, ne, *quæso*, longè facias, *nec prohibeas* miserationes tuas à me, *haud aliter atque ad hoc vsque tempus*: misericordia *& bonitas illa* tua, & veritas *ac iustitia illa* tua semper susceperunt *ac custodierunt* me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, *& populi mei, quas in me suscipio, quæ tot sunt, vt oculis perlustrari nequeãt*; & *tam fœda, vt* non potui *nec quiuerim præ nausea ferre* vt *eas* viderem.

Multiplicatæ sunt, *inquam, numero* super capillos capitis mei, & cor meum *præ dolore & angustia* dereliquit me.

Quare complaceat tibi Domine vt eruas me, ô Domine ad adiuuandum me respice *ac festina.*

Confundantur *pudore*, & *erubescentes* reuereantur simul *ad vnum omnes*, qui quærunt animam meam, vt auferant *ac perdant* eam.

Conuertantur retrorsum *spe sua frustrati*, & *ignominia affecti*: reuereantur *simul omnes* qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, *sic vt infamia, qua me volebant afficere, in caput eorum redundet, & hoc sit præmium machinationis eorum, & sic pereant cuncti*, qui *insultantes* dicunt mihi

per

per cachinnum: Euge euge, *vah vah.*

Contrà autem, exultent & lætentur super te omnes quęrentes te, & *habeant vnde* dicant semper, magnificetur Dominus, *quotquot sunt* qui diligunt salutare tuum, *quod tu præstas.*

Nam ego autem *per meipsum* mendicus sum & pauper, *omnibus rebus ac virtutibus destitutus*: *sed* Dominus *de me cogitans*, solicitus est mei; *vt quæ necessaria sunt, tribuat; & in bonum quæ facio imputet.*

Etenim adiutor meus & protector *ac liberator* meus tu es, *ô Domine*: Deus meus, ne, *quæso, ampliùs* tardaueris.

Explanatio.

Timebunt, sperabunt] Primus gradus amoris Dei est timor filialis, secundus spes, & tertius charitas.

In capite] Describitur in Deuteronomio, quo pacto Rex qui Christum repræsentat se gerere debeat; & vt ad eam rem librum ipsum Deuteronomij, propria sua manu descriptum, semper secum ferat.

Psalmus XL.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missus* Psalmus, *vt decantetur* ipsi Dauid.

Argumentum.

1. Laborans graui morbo vir sanctus, ait beatum eum esse qui egenorum curam gerit: fore enim, vt si quid illi similę contingat, Dominus curam eius suscipiat. 2. Cuius quidem rei ipse sibi conscius, inuocat in morbo suo Dominum, enarrans quantis malis

malis affligatur, non à morbo solùm, sed & ab hostibus, qui tamen amicos se simulant, & olim summa necessitudine ipsi fuere coniuncti. 3. Vnde rursum ad precandum reuertitur, certò sperans facturum Dominum id quod postulat.

1. Beatus *vir* qui intelligit, *& cum cura & sollicitudine respicit* super egenum & pauperem, *qui morbis, & aliis rebus aduersis affligitur:* *quoniam* in die mala, *si quid calamitatis ipsi acci-dat*, liberabit *etiam* eum Dominus, *idem ei pra-stans, quod ipse proximo suo præstat.*

Dominus conseruet *ac custodiat* eum, & *dans bonam valetudinem*, viuificet eum, & beatum *ac rerum omnium copia circumfluentem* faciat eum in terra: & nō tradat, *nec cadere patiatur* eum in animam *ac potestatem* inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi, *& confortet ac fulciat eum* super lectum doloris eius, *si in morbum quandoque inciderit: imò, tu Domine*, vniuersum stratum eius, *in quo decumbebat*, versasti *ac discussisti* in infirmitate eius, *quo molliùs ac suauiùs cubaret.*

2. *Quod quidem cùm ita sit, & ego erga egenos me semper ita gessisse mihi sim conscius*; dixi *in his malis & ægritudinibus meis* : Domine, miserere mei, sana animam meam; quia *ob id scio in morbum corporis me incidisse, quoniam animi morbo ac vitio* peccaui tibi.

Ecce inimici mei dixerunt *& imprecati sunt* mala mihi: quando *tandem* morietur, *inquiunt*, & peribit nomen, *& fama gloriæ* eius?

Et

Et si *fortè quispiam ex illis* ingrediebatur *ad me* vt *me* videret, *& quasi officij causa viseret*; *nihil ex animo, sed* vana *& ficta omnia* loquebatur, *&* cor eius, *quod longè diuersum erat à verbis illis officiosis*, congregauit iniquitatem sibi, *vt sceleri simulata amicitia, aliud scelus adderet.*

Nam egrediebatur *à me* foras, & *ecce continuò* loquebatur *de me malè* in id ipsum, *quemadmodum priùs fecerat, iactans insuper se de verbis mihi datis.*

Et, quod amplius est, iungens se cum aliis, aduersum me susurrabant *ac murmurabant* omnes inimici *& osores* mei, *&* aduersum me cogitabant *ac struebant* mala mihi.

Sed & verbum *planè* iniquum, *quod ipsius Belial & diaboli erat*, constituerunt *& iactarunt* aduersum me: *dicebant enim, ecce ob peccatum quod commisit, verbum maledictionis Domini effusum est in eum, & inhæret illi, sic vt à morbo quo decumbit, nunquam omnino resurget. verùm tu Domine contrà ànne me adiuuabis?* nunquid qui dormit, *& ægrotus decumbit*, non adiiciet, *aut concedetur ei*, vt *aliquando* resurgat, *& de inimicis suis se vindicet?*

Etenim *vide quàm indigna sint quæ patiar:* homo pacis meæ, *cum quo arctissima mihi erat amicitia, &* in quo speraui, *fidens ei omnia, &* qui edebat panes meos, *de propria mensa mea*, magnificauit *& extulit* super me supplãtationem, *& calcaneum suum: vt quemadmodum mula matrem sublato*

lato pede calce me percuteret, & supra me se efferret.

3. *Ergò hoc considerans, & rationem eius habens,* tu autem Domine miserere mei, & resuscita me *de morbo, erigens me rursum in pedes,* & retribuam *ac reddam* eis *quod promeriti sunt.*

Nam in hoc *semper* cognoui quoniam voluisti *& dilexisti* me: quoniam nō gaudebit *vnquam nec causam habebit vt iubilet aut insultet* inimicus meus super me.

Etenim tu me autem propter innocentiam *& simplicitatem meam semper* suscepisti *ac fulsisti*, & confirmasti *ac statuisti* me in conspectu tuo in æternum.

Quare benedictus Dominus Deus Israël, *omnique laude prædicetur* à sæculo & *vsque* in sæculum: *ita* fiat, fiat.

EXPLANATIO.

Beatus] Gerit etiam in hoc Psalmo Dauid personam Christi, qui à Iuda Iscariote, vno de Apostolis suis, fuit proditus.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

PSALMVS XLI.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici; vt decantetur ad modulos cantilenæ, cuius initium maschil siue* intellectus, *& ad hoc tradatur* filiis *siue posteris* Core, *qui arte canendi præ cæteris præstant.*

Argumentum.

1. ABsens à patria Dauid ob hostium persecutionem, ostendit quanto desiderio teneatur redeundi, addens in quanto mærore versetur: à quo tamen se vinci non patitur, increpans ac superans ipse animũ suum. 2. Quod quidem tametsi omni studio faciat, dicit tamẽ dolorem sæpe recurrere, & ad inferiora animum trahere; à quibus iterum emergẽs, ad Deum rursum se applicat, & in eo spem suam omnem reponit.

1. QVemadmodum desiderat ceruus *glocitans ac mugiens* ad fontes *ac torrẽtes* aquarum: ita desiderat *& anhelans clamat* anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum, *ad Deum, inquam fortem, &* fontem viuum, *dicens secum*: quando veniam *& redibo ad meos*, & apparebo *cum reliquis bonis omnibus in templo* ante faciem Dei, *qui trinus est & vnus?*

In quo quidem desiderio dum versor, exspectans miseri-

misericordiam tuam; *enimuero* fuerunt mihi *languenti*, *& præ mærore ab omni cibo ac potu abstinenti*, lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie *ab hostibus meis*, *qui me subsannant*, vbi *nunc* est Deus tuus, *in quo tantum fiduciæ ac spei collocas?*

Hæc *tam indigna* recordatus sum, *& recordor sæpius*, & *pugnans cum iis totis viribus*, effudi in me animam meam, *subinde relaxans illam*, *vt indulgere possit dolori quantum velit*; *subinde contrà vincens ac suppeditans*, *ne supra spiritum efferatur*: quoniam, *quantumuis lõga mora est*, *certum tamen mihi est*, *quòd reuersus ad meos*, *cum omni piorum multitudine* transibo in *vmbraculum*, *&* locum tabernaculi admirabilis, *& deducam eos* vsque ad domum Dei.

Atque id in voce exultationis & *gratiæ* confessionis *benefactorum tuorum*, *cum qua coniunctus erit* sonus *multitudinis* epulantis *ac tripudiantis*, *diemq́ue festum agentis*.

Itaq́ue increpans eam, *dixi*, quare tristis *& tantopere deiecta & quasi incuruata* es anima mea? & quare *intra me tumultuans* conturbas me?

Spera in Deo, *exspectãs eum cum patientia*, quoniam *vtique* adhuc *tempus erit*, *& quidẽ breui*, *quo cum gratiarum actione* confitebor *& acceptam feram* illi *salutem meam* : *illi*, *inquam*, *qui vultu sereno me respiciẽs*, salutare *est* vultus mei, & *ipse* Deus meus.

2. *Hæc, ô Deus meus, tametsi sæpe ingeram, tamen semper contranitens* ad me ipsum anima mea conturbata est, *& tumultuans intra me, nimiumq́ se deiiciens non admittit consolationem*: propterea *ad veram tranquillitatem intra me constituendam, & animi motus superādos, non deorsum spectabo, sed sursum, &* memor ero tui de terra *hac* Iordanis & Hermonijm, *&* à monte *hoc* modico *Mizacer, vbi procul à meis nunc dego, nihil omnino dubitans, quin suauis illa recordatio tui, plenam consolationem mihi sit allatura.*

Nam si præsentes calamitates meas inspiciam, vna quidem abyssus *aquarum alteram* abyssum inuocat in voce *illa* cataractarum tuarum, *quæ vis venti vnam pluuiam post aliam inducit, & tanquam per canales de cælo diffundit.*

Atque hoc modo omnia excelsa *illa* tua *procellarum, quæ è nubibus cum fragore erumpunt*, & fluctus tui *nimborum & imbrium* super me transierunt *omni genere calamitatum oppressum.*

Sed contrà postquam sic cogito, ecce dispulsis istis nubibus, in die mandauit Dominus, *& mittet ad me* misericordiam suam, & nocte *cantabo* canticum eius, *gratias illi agens de summis beneficiis mihi præstitis.*

Tum continuò accurrit & stat parata apud me oratio *quam facio* Deo vitæ meæ: *tum bona spe plenissimus*, dicam Deo, *ecce tu* susceptor meus, *& firma rupes ac petra mea* es,

Quare

Quare *ergo* oblitus es mei, & quare contristatus *ac tanquam lugubri veste indutus* incedo, dum affligit *& quasi opprimit* me inimicus?

Quinimo ad maiorem fiduciam ostendendã, dum confringuntur ossa mea, *& quasi morte confici mihi videor*, *per hoc quòd* exprobrauerunt mihi qui tribulant *& in angustias redigunt* me inimici mei.

Dum *ridentes* dicunt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus? *qua exprobratione nihil potest accidere acerbius: tamen in his tantis malis reprimam ipse me, & cunctam desperationem à me repellens, dicam vt antè:* quare tristis *& tant opere deiecta* es anima mea, & quare *fremitu ac gemitu tuo* conturbas me?

Spera in Deo, *exspectans eũ cum patientia*, quoniam *vtiq;* adhuc *occasio dabitur & quidem breui, qua* confitebor *& cum gratiarũ actione acceptam feram* illi *salutem meam: illi dico qui vultu benigno me adspiciens*, salutare *est* vultus mei, & *ipse* Deus meus.

EXPLANATIO.

Sitiuit] Demonstrat magnum desiderium suum eodem modo quo in Euangelio esurire & sitire dicitur iustitiam: nã desiderij erga Deum & iustitiã eius, multi sunt gradus.

Ante faciem Dei] Addidimus autem, Qui trinus est & vnus, quia in Hebræo est ante facies Deorum. Et verò quotiescumque in sacris literis nomen Dei in plurali numero occurrit, quod in fonte Hebraico frequentissimum est, ad eum modum res est accipienda.

PSALMVS XLII.

Titulus. Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. EXulans à patria vir ſanctus hoſtium cauſa, orat Deum vt cauſam ſuam diiudicet & patriæ reſtituat. 2. Quod cùm fiet, promittit ſe gratias acturum, & laudes coram ipſo cantaturum.

1. IVdica me Deus, *tu, qui æquus iudex es omniũ:* & diſcerne *ac defende* cauſam *& litem* meam, *quæ iuſta eſt*, de gente non ſancta *& immiſericordi, quam iniuſtam & iniquam cauſam fouere cõſtat:* ab homine, *inquam*, iniquo *factis*, & doloſo *verbis*, erue me.

Quia *enim* tu es Deus fortitudo mea, quare *ergo nunc* me repuliſti *& elongaſti*: & quare triſtis *ac tanquam lugubri veſte indutus* incedo, dum affligit *& opprimit* me inimicus?

Emitte *quæſo*, lucẽ tuã *opis & auxilij contra tenebras afflictionũ*; & veritatem tuam, *qua opem illam promiſiſti: nam quemadmodum* ipſa *ſemper* me deduxerunt & adduxerunt; *ita & nunc deducent & adducent me* in *Sion* montem ſanctum tuum, *quò per inimicos nunc non poſſum accedere*; & in tabernacula tua, *vbi ſanctum templum tibi eſt*.

2. Et *hoc cùm facies*, introibo *porrò* ad altare Dei, *vbi ſacrificia & gratiarum actiones ei fiunt*; *& tandem* ad Deum *ipſum*, qui lætificat iuuentutem meam, *& auctor eſt magnæ & tanquam iuuenilis lætitiæ & exultationis meæ*.

Atque

Atq; ita coram te stans confitebor *& acceptam feram salutẽ meam* tibi, *cantans* in cithara, ô Deus Deus meus: *& increpans animam meam, dicam*: quare tristis *& tantopere deiecta* es anima mea, & quare *tumultuaris &* conturbas me?

Spera in Deo, *& exspecta eum cum patientia*: quoniam adhuc *tempus erit, quo* confitebor *& acceptam feram* illi *salutem meam*: *illi, inquam, qui vultu suo benigno me adspiciens*, salutare *est* vultus mei, & *ipse* Deus meus.

EXPLANATIO.

Montem] Nota gradationem, montem nempe Dei, tabernaculum, altare, & ipsum Deum: qui est ascensus ad Deum per quatuor gradus.

Quare tristis] Hîc vide quo pacto superior animi pars dominatum habet in inferiorem.

PSALMVS XLIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectũ chori musici*, pro filiis Core, *vt per eos hunc Psalmũ curet decantandum, idq;* ad intellectum, *hoc est, ad modulos carminis cuius initium est maschil, siue intellectus.*

Argumentum.

Populus Israëliticus seruitute oppressus, partimque in captiuitatem abductus, Deum pro auxilio rogaturus, 1. Primùm comemorat quanta olim bona patres ipsorũ à Domino acceperint. 2. Deinde

2. Deinde autem è contrà quanta ipsi in præsentiarum mala patiantur. 3. Cùm tamen legi ipsius semper adhæserint; n inimeque ad gentiles declinarint. 4. Ad extremū opem eius implorat.

1. DEus, auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis

Opus quod operatus es in diebus eorum, & *item alia quæ prius fecisti* in diebus antiquis.

Etenim manus tua gentes disperdidit *& expulit de sedibus suis*, & *in locum eorum* plātasti *ibi patres* eos *nostros: tu* afflixisti populos, & expulisti eos; *vt germinare ibidē faceres nostros progenitores.*

Nec enim in gladio suo posséderunt terram, & brachium eorum non saluauit eos.

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio *ac fauor benigni* vultus tui: quoniam complacuisti in eis, *amans ac diligens eos.*

Atque hoc modo, tu es *quoque* ipse Rex meus, & Deus meus, *qui sum populus Israël, descendens à primis illis patribus*: *tu es* qui mandas *ac disponis* salutes *populi* Iacob.

In te inimicos nostros ventilabimus *& feriemus* cornu, & in nomine tuo spernemus *ac conculcabimus omnes* insurgentes in nos.

Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.

Sed tu solus es qui nos conseruas ac defendis: saluasti enim nos de *hostibus* affligētibus nos, & odientes nos *pudore* confudisti, *dum spe sua decidunt.*

Quare in *solo* Deo laudabimur *ab aliis, & ipsi quoque*

quoque gloriabimur & nos efferemus tota die, & in
nomine tuo confitebimur *tibi ſoli cum gratiarum
actione, accepta ferentes omnia noſtra* in ſæculũ. *ita
ſanè eſt* Sela.

2. *Sed cùm ad hunc modum pro tua bonitate nos
ſemper tractaueris, ecce* nunc autem *contrà elongans
nos abs te*, repuliſti & *ignominia* confudiſti nos: &
offenſus nobis, non egredieris Deus *vnà nobiſcum*
in *exercitibus &* virtutibus noſtris, *cùm aduerſum
hoſtes erit pugnandum.*

Sed quod deterius eſt, auertiſti nos retrorſum, *&
*poſt *nos terga vertentes currere feciſti* inimicos no-
ſtros: & *hoc modo* qui oderunt nos, diripiebant *&
in prædam ſuam vertebant nos, & res noſtras* ſibi.

Dediſti *ac feciſti* nos *partim* tanquam oues
eſcarum, *quas ad mactandum ac comedendum pa-
tresfamilias & ad dilaniandum feræ eligere ſolent:*
& *partim* in gentibus, *inter homines impios ac bar-
baros, tanquam vento* diſperſiſti nos.

Atque ibi vendidiſti populum tuum *in ſerui-
tutem viliſſimè*, ſine *vlla re, quæ alicuius ſubſtantiæ
ſit, aut* pretio: & non fuit multitudo *mercium,
quibus rem tuam augeres*, in commutationibus
eorum.

Et ſi qui in terra noſtra adhuc manſimus, poſui-
ſti nos opprobrium *& in contumeliam* vicinis nõ-
ſtris, *& feciſti nos* ſubſannationem & deriſum
his qui ſunt in circuitu noſtro.

Poſuiſti, *inquã*, nos in *fabulam ac prouerbium*

siue similitudinem *omnibus* gentibus; *vt si quem vilem ac calamitosum dicere velint, cum nobis Israelitis eum comparent*: *& fecisti nos* commotionem capitis in populis, *sic vt omnes vbique populi cum capitis agitatione sannis nos impetant*.

Atque hoc modo tota die verecundia mea, *qua ego populus tuus affitior*, contra me est, *versaturq́ semper ob oculos meos*: & confusio *ac pudor* faciei meæ cooperuit me *rubore, toto vultu meo*.

Idq́ à voce *& propter linguam maledicam hominis* exprobrãtis *mihi miserias meas*, & *cum conuicio* obloquentis *ac blasphemantis mihi*, *&* à facie *ac propter sæuum intuitum* inimici *mei* & persequentis, *qui se vltorem ad pœnas à me exigendas constitutum iactat*.

3. *Ecce* hæc omnia, *Domine*, venerunt super nos, nec *tamen* obliti sumus te, & iniquè non egimus, *nec mentiti aut prauaricati sumus* in *sancto fœdere ac* testamento tuo, *quod tecum habemus, ad legem tuam seruandam*.

Et non recessit retro cor nostrum *ab eo quod semel tibi polliciti sumus, nec declinauerunt gressus nostri à semita tua*, *& tamen tu contrà ira percitus*, declinasti semitas *& res* nostras à via *& benedictione* tua.

Quoniam humiliasti, *& tanquam puluerem attriuisti* nos in loco afflictionis, *vbi ob impiorum ac sceleratorum multitudinem, non tam homines quàm feri dracones habitant*; & cooperuit nos *multitudo*

tribula-

tribulationum, tanquam vmbra *quædam* mortis.

Certè, si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum, *implorantes auxilium eius*:

Nonne *meritò* Deus *nos puniet, & inuestigabit ac* requiret ista? ipse enim nouit abscōdita cordis.

Sed nunc planè cōtrà res se habet: quoniā *nō solùm abs te non recedimus, sed* propter te *& confessionem nominis tui* mortificamur *& occidimur* tota die, *&* æstimati sumus sicut oues occisionis, *quæ ad hoc destinatæ sunt vt iugulentur ac mactentur.*

4. *Quod quidem cùm ita sit*, exsurge, *quæso, & euigila*: quare obdormis Domine, *dum nos impiorum libidini permittis*? exsurge, *dico*, & ne repellas *nos abs te perpetuò* in finem.

Quare faciem tuam auertis *& abscondis? cur* obliuisceris *afflictionis &* inopiæ nostrę, & tribulationis *oppressionisq́;* nostræ?

Quoniam humiliata *ac depressa* est in puluere anima *& vita* nostra, *&* conglutinatus est in terra venter noster, *dum præ multitudine afflictionum non tam verè viuimus & rectà incedimus, quàm vix trahentes animam humi repimus.*

Ergo exsurge, *inquàm*, (Domine) adiuua nos, & redime nos *à captiuitate hac miseriarū*, propter *immensam bonitatem ac misericordiam, ipsumq́;* nomen tuum.

EXPLANATIO.

Testamento] Hoc vnum de nominibus est Legis diuinæ, quam tanquam testamētum paternum nobis reliquit, vt voluntatem ipsius nobis testetur.

PSALMVS XLIIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt ad instrumentum quod Sosanni vocatur, hoc est, lilium, vel* pro iis qui commutabuntur, *tradat* filiis Core *decantandum* ad intellectum, *id est, modulos carminis, cuius initium est maschil seu intellectus, hoc* canticum *amatorium siue nuptiale quod* pro dilecto *& dilecta factum est.*

Argumentum.

1. DAuid spiritu Dei plenus, post breuem præfationem qua seipsum incitat, 2. Deum Patrem introducit loquentem, Primùm ad filium Messiam, cuius regnum ac triumphum pulcherrimè describit. 3. Deinde ad sponsam eius Ecclesiam ex ethnicis collectam, quam omni ornatu vestitam, antiquæ suæ legis paternæ obliuisci, & vni Christo sponso adhærere iubet, vt perpetua beatitudine fruatur.

1. ERuctauit cor meū, *diuinis epulis refectum,* verbum bonum, *præclarissimum quippiam efferre gestiens:* dico *enim* ego *ac decanto* opera *ac carmina* mea, *non cuilibet, sed* Regi *ipsi Messiæ, qui præ cunctis præcellit.*

Tu modò lingua mea *sis expedita ad pronūciandum ea quæ cor suggerit, & Deus Pater filio suo,*

eiusq́;

eiusq́; sponsæ locutus est haud aliter atque calamus
(scribæ) velociter scribentis, *qui dictata celeriter
excipit.*

2. Speciosus *es* forma, *inquit, ô dilecte fili, &
pulcher factus es* præ *cunctis* filiis hominum: dif-
fusa est gratia *orationis & sermonis* in labiis tuis,
propterea *quòd* benedixit te Deus, *omnibusq́; rebus
ornauit* in æternum.

Ergo accingere gladio tuo super femur tuum,
ô *Heros præualens ac* potentissime.

Et indue te specie *ac gloria* tua, *nec non decore* &
pulchritudine tua, *quam vi gladij & verbi tui com-
parabis: & cum hac ipsa pulchritudine ac splendore*
intende prosperè, *& gentes omnes peruadens*, prò-
cede *feliciter*, & regna.

Idq́; propter veritatem *& rectitudinem in di-
ctis ac factis tuis*, & mansuetudinem *ac misericor-
diam erga humiles & subiectos*; & iustitiam *ac se-
ueritatem contra elatos & superbos : nam currui
verbi tui insidens, cùm his tribus tanquam equis ve-
hêre; omnia ex animo succedent*: & deducet te mi-
rabiliter dextera tua, *docebitq́; ac monstrabit tibi
omnes nationes terræ.*

Nam verba & sagittæ tuæ acutæ *sunt, quibus
icti* populi sub te cadēt: *cadent ipsæ sagittæ* in cor-
da inimicorum *& hostis tui* regis.

Atque hoc modo potitus victoria, thronus ac se-
des tua, *ô tu qui* Deus *es populorum & subditorum
tuorū*, in seculum *erit, & vltrà in sæculum* seculi:
virga

virga *autem* directionis *&* *iustitiæ æquitatisq;*, *sceptrum erit*, *&* virga regni tui, *qua cũcta modereris ac gubernes.*

Quia enim dilexisti iustitiam, *per quam solam omnia regna reguntur*; & odisti iniquitatem, *per quam cuncta regna euertuntur:* propterea vnxit te, *qui* Deus *Christus es*, Deus *Pater* tuus oleo *maiestatis ac* lætitiæ *spiritus*, præ *cunctis aliis regibus ac* consortibus tuis.

Myrrha & gutta, *stactes siue aloës*, & casia *fragrant ac spirant* à vestimentis tuis, *quæ omnia deprompta sunt* à domibus *ac scriniis* eburneis, *vbi tanquam in templis adseruantur*, ex quibus *ea proferentes*, delectauerunt *&* *exhilararunt* te filiæ regum, *quæ tibi seruiunt* in *maiestate ac* honore tuo. *Quin* adstitit regina, *coniunx tua*, à dextris tuis, *cum diademate*, *&* in vestitu deaurato, *ex auro purissimo*, *quod ex regione Ophir adfertur* (circumdata varietate) *ob versicolores* *&* *variegatas vestes.*

3. *Atque vt ad te*, *quæ vxor filij mei es*, *conuertar*, audi filia, & vide *quid tibi sim dicturus*, *&* inclina aurẽ tuam, *vt facias quod dicã*; & *collocãs omnem amorem tuum in vno Rege*, *marito tuo*, obliuiscere populum tuum *externum*, *vnde huc venisti*, & domum patris tui.

Et concupiscet *vicissim* Rex *formam ac* decorem tuũ: quoniam ipse est Dominus *&* (Deus) tuus, & *tu*, *&* *omnes populi*, *corpore incuruato* adorabũt eum.

Et

Et *hoc si tu facias, venient* filiæ Tyri in muneribus, *cum donis suis, ad amicitiam tecum ineundam*; *&* vultum tuum deprecabuntur (omnes) diuites *ac potẽtissimi quique populi ac* plebis, *cupientes admitti ad conspectum tuum in gratiam ipsius Regis.*

Idq; ob hoc, quoniam animaduertent, quòd omnis gloria eius, *quæ in regno ipsius versatur, coniugi eius* filiæ regis, *ob praclarissimas animi sui virtutes & egregium erga Regẽ amorem, defertur* ab intus *per totam aulam, & intima eius penetralia, vbi ornata sedet in* fimbriis aureis, *vestibus auro intertextis induta, &* circumamicta varietatibus, *zona acu picta præcincta.*

Vbi & adducentur Regi virgines, *quas in comitatu reginæ, &* post eam *semper esse iubeat, &* proximę eius, *quas pro amicabus suis habere solet*, afferentur tibi, *& adducentur ad te, vt tibi seruiant.*

Afferentur, *inquam*, in lętitia & exultatione, *&* adducentur *in comitatu tuo vsq;* in *intimum thalamum ac palatium & quasi* templum Regis.

Quare oblita dico populi tui, & in vnum Regem omnem amorem tuum defigens, sic repula (& tu quoque fili mi eodem modo) nempe quòd pro patribus tuis nati sunt tibi filij, *& quòd* cõstitues eos principes super omnem terram.

Sed & ego ipse, qui pater tuus sum, memor ero nominis tui, *vt duret* in omni generatione, & *ab vna ad aliam* generationem.

Et propterea *omnes quoque* populi confitebũtur tibi,

tibi, *& celebrabũt te omnibus laudibus* in ęternum, & in sæculum sæculi, *vltra cunctas generationes*.

Explanatio.

Commutabuntur] Fit hîc & intellectus mentio, & commutationis: quoniã regnum Christi, quod hîc describitur, & prudentia constat, quæ intellectus est; & iustitia, quæ amoris: cuius ea vis est, vt hominem penitus commutet, & extra se ponat. quod nuptiali carmini est proprium.

Speciosus] Illud & amatorio carmini conuenit, nã amor propriè est pulchri; & iustitię. nam vt alio loco dictum est, ea splendorem & claritatem inducit.

Propter veritatem] Nota illis regna esse committenda, non qui armis sunt feroces, sed prudentia præstant, & iustitia, cum mansuetudine coniuncta. Porò cùm tres sint formæ iustitiæ, nempe, recta iustitia, moderata, & intensa: omniũ trium hîc meminit, sub nominibus veritatis, mansuetudinis, & iustitiæ. nam nusquam est iustitia, nisi præcesserit mansuetudo.

Dilexisti iustitiam] Idem hîc quoque animaduerte.

Audi filia] Ad Ecclesiam Christi, quæ sola speciosa & omni cultu virtutum ornata est, omnes aggregantur, Iudæi pariter & Ethnici, illique inseruire debent, ad veram felicitatem adipiscendam; cuius rei causa, reliqua omnia obliuisci & pro nihilo ducere oportet.

Psal-

PSALMVS XLV.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici; vt detur* filiis Core, *& per eos ad instrumentũ analoth, vel ad modulos carminis, cuius initium est almoch, siue* pro arcanis *decãtetur hic* Psalmus.

Argumentum.

GRatulatorium est carmen, quod ab omnibus malis liberatus Dauid canit: 1. Dicens, si quidem Deus nobiscum est, neque cæli tempestates, neque hostium impetus nocere posse, idque se re ipsa expertum fuisse. 2. Vnde ad Dei opera contemplanda homines inuitat. Ad Christi autem regnum nonnulli hunc Psalmum accommodant, & bene. Continetque ter verbum triumphi Sela.

1. DEus noster refugium *& spes protectioq́; nostra est*, & *fortitudo ac* virtus, adiutor *noster* in tribulationibus quę inuenerunt *& inuaserunt* nos: *atque is quidem non vulgaris adiutor, sed planè eximius, & omnino, ac* nimis *quàm exprimi queat, validus.*

Propterea non timebimus dum turbabitur *& ab imis fundamentis commouebitur tota* terra, & *dum* transferentur *ac se præcipitabunt* montes in cor *ipsum & medium* maris.

Etenim sonuerunt *aliquãdo cum magno strepitu*, & *intumescẽtes exundãtesq́;* turbatę sunt aquæ eorum, *terræ dico & maris: &* conturbati sunt *ac concussi*, montes in *superba elatione, ac motu terræ, &* fortitudine eius. *Et tamen eia eia* Sela, *vide quid factum sit.*

Tantum

Tantum abeſt vt mali aliquid ea re perpeſſi ſimus, vt planè contrà acciderit: nam fluminis *ille & aquarum* impetus *non ſolùm non nocet, ſed contrà, per riuulos diuiſus,* lætificat ciuitatem Dei *Hieruſalem, vbi* ſanctificauit tabernaculum, *& poſuit ſacrarium* ſuum Altiſſimus.

Eſtq́; Deus *ipſe* in medio eius, *vnde* non cõmouebitur, *ſed reſpiciet &* adiuuabit eam *ſuo tempore* Deus, *cùm oppugnabitur* manè *ab hoſtibus in ipſo* diluculo, *tenebris adhuc inuoluto, vti fieri ſolet.*

Sed & præter hæc conturbatæ ſunt *aliquando contra nos* gentes *ac populi,* & inclinata *ac concitata* ſunt *integra* regna: *&* dedit vocem ſuam, *ac fremuit, &* mota eſt *aduerſum nos, & tanquam liquefacta in nos effuſa eſt vniuerſa* terra.

Et tamen quidnam tandem contigit? Dominus virtutum *& exercituum* nobiſcum *ſemper fuit:* ſuſceptor *& protector* noſter *& tanquam arx ſublimis nobis fuit* Deus Iacob. *Eia eia triumphe: ita profectò ſe res habet,* Sela.

2. *Ergo huc agite quotquot eſtis mortales,* venite, & videte opera Domini, *& conſiderate* quę poſuit prodigia, *& quàm admiranda perpetrauerit* ſuper terram, *conſtituẽs vaſtas in ea ſolitudines hominum impiorum, qui nos affligebãt, &* auferens *à nobis* bella vſque ad *extremum* finem terræ.

Sed & arcum *hoſtis noſtri* conteret, & confringet *haſtas &* arma, & ſcuta *currusq́; bellicos* comburet igni.

Incre-

Increpans eos propria sua voce, ac dicens: Cessate mortales homines à conatibus vestris; & prophana negotia vestra deponentes, vacate *ab omni perturbatione animi, &* videte, *& planè cognoscetis* quoniam ego sum Deus, *Deus, inquam, qui sublimis super omnes* exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Quod quidem cùm ita se habeat, meritò vtique dicimus: Dominus virtutum *& exercituum* nobiscum, susceptor noster, *& tutissimum refugium* Deus Iacob. *Eia eia triumphe* Sela, *ita omnino res est.*

EXPLANATIO.

Vacate & videte] Ad Deum cognoscendum primùm opus est vt ab omnibus externis & profanis negotiis vacemus: deinde ad eum videndum nos conuertamus.

PSALMVS XLVI.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, pro filiis Core, *vt per eos iussu ipsius cantetur hic* Psalmus.

Argumentum.

EXsuscitat vir sanctus populum ad Deum laudandum ac prædicandum. 1. Primùm quia deuictis hostibus apud ipsos sedem elegit: 2. Deinde quia quotquot vbique sunt gentes, ad ipsum & Filium eius se conuerterunt, & quasi dij facti sunt: nam quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

1. OMnes *quotquot estis* gentes, plaudite manibus, iubilate Deo in voce *laudis &* exsultationis.

Quoniam Dominus *Deus noster* excelsus *est super omnes Deos*, terribilis, *&* Rex magnus super omnem terram.

Subiecit populos nobis,& gentes sub pedibus nostris.

Elegit,*ac segregauit ab aliis,& dedit* nobis hæreditatem suam *propriam, quam nostrã esse voluit, & in ornamentum ac* speciem *esse iussit gentis suæ* Iacob, quã *præ cæteris* dilexit. *Eia eia triũphe* Sela.

Adscendit *enim apud nos* Deus *in altum* in iubilo *cum summa acclamatione;adscendit, inquam,* Dominus in voce,*& cum clangore* tubæ.

Quare psallite,*dico iterum*,Deo nostro *in hymnis*,psallite,psallite Regi nostro,psallite.

Quoniam *enim* Rex *est* omnis terræ Deus *noster*:psallite *quotquot sapientiã & eruditione præstatis,psallite* sapienter *& erudite*.

Regnabit *quippe post hac* Deus super *omnes* gentes:*imò* Deus *iam* sedet super *thronum ac* sedem sanctam suam,*vt ius cunctis reddat.*

Et quidẽ principes *omnes* populorum *iam nunc* congregati sunt cum Deo Abraham,*eiq́ cum populo Israëlitico se subiecerunt: qua quidem re* quoniam,*vera religione suscepta,quasi* dij fortes *euaserunt,ita vt sint protectores ac tãquam scuta* terræ: *factum est quòd & ipsi per hoc* vehementer eleuati *& reuera decorati* sunt,*nec non & Deus noster,qui solus toto mundo celebris,Deum Deorum hoc modo se ostendit.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Psallite] Nota quater hic repeti verbum psallendi, non sine quaternarij numeri mysterio.

PSALMVS XLVII.

Titulus.

Psalmus *psalmi*, *siue* cantici, *destinatus* filiis Core, *vt ab iis decantetur* (secunda Sabbathi.)

Argumentum.

1. PRædicat vir sanctus Deum ob ciuitatem Hierosolymam contra hostes defensam, ipsosque in fugam coniectos. 2. Vnde vocem altiùs tollens, iterum laudat eum, & iubet spectari vrbem Hierosolymam, quàm bene ope Dei sit munita. Potest & de noua ciuitate Agni, quæ in Apocalypsi describitur accipi.

1. MAgnus Dominus, & laudabilis *valde* nimis, in ciuitate Dei nostri *Hierusalem*, & in monte *Sion* sancto eius.

Fundatur *& situs est, tanquam sponsa bene ornata, in loco pulcherrimo, & rebus omnibus florente, & tanquam in amœnitate &* exultatione vniuersæ terræ mons Sion, *qui* latera *tenet* Aquilonis, *Boream spectans, & iuxta eum est* ciuitas *Hierusalem* Regis magni.

Deus in domibus *ac palatiis* eius *vniuersis & singulis publicis & priuatis* cognoscetur, *ibiq; præsens esse intelligetur*, cùm *defendendam ac protegendam subleuandamq;* suscipiet eam.

Quoniam ecce *multi* Reges terræ *aliquando*

congregati ſunt *& conſpirauerunt aduerſus eam,& iungentes copias ſuas,* conuenerunt in vnum,*& obſederunt eam.*

Quam ipſi videntes,*ita vt adſpexerunt eam,*ſic *extēplo* admirati ſunt *aggeres ipſius, & mœnia, & reliqua munimenta,quòd Dei numine ita procurante, mox* conturbati ſunt, cōmoti,*& in præceps acti* ſunt,*&* tremor apprehendit eos.

Ibi *&* dolores *inuaſerunt eos grauiſſimi,* vt *mulieris* parturiētis *eſſe ſolēt: & diſiecti ac diſſipati ſunt quemadmodum fit ac fiet cùm* in ſpiritu vehementi *& vi vēti orientalis,tu Domine,*conteres *ac mutua colliſione confringes* naues *maris* Tharſis.

Certè ſicut audiuimus à *Prophetis ac Patribus noſtris,Deum populo ſuo nūquam defuturum*: ſic *reipſa* vidimus *& experti ſumus,* in *hac* ciuitate Domini virtutum *& exercituum,*in ciuitate,*inquam,* Dei noſtri.

Deus *enim* fundauit *ac fecit* eam *perpetuam,vt maneat* in æternum. *Ita profectò res eſt* Sela. *tollamus vocem altiùs.*

2. *Exſpectantes* ſuſcepimus,ô Deus,*gratiam ac* miſericordiam tuam,*eamq́ celebrauimus* in medio templi tui.

Et *quidem* ſecundùm *quod* nomen tuum Deus *nomen eſt fortitudinis, (nam El, hoc eſt, fortis vocaris)& per omnes mundi partes ſe extēdit:* ſic & laus tua, *quæ profligatis hoſtibus noſtris è ſtrenuis factis tuis proficiſcitur*, in *omnes* fines terræ *pertinet*:

quoniam

quoniam non solùm fortitudine, sed & iustitia plena est dextera tua, *dum in cūctis quæ facis, cum potentia ac robore iustitia ac bona voluntas est coniuncta.*

Quare lætetur mons Sion, *& tota ciuitas Ierusalem,* & exultent filiæ *omnesq́; vrbes tribus* Iudæ, propter iudicia tua (Domine) *quibus hostes nostros vindicas, & inuictos contra omnes nos reddis.*

Et verò circundate *vos exteri simul & Israëlitæ, obambulantes montem & arcem* Sion, & *contemplantes diligenter,* complectimini *ac circuite* eam, *&* narrate *ac cōsiderate* in turribus eius, *numerātes quotnā sint, & dispicientes quàm benè sint munitæ.*

Adhibentes, inquam, animum, ponite corda vestra, *& intuemini* in virtute *ac robore murorum & propugnaculorum* eius, & distribuite, *claréque & distinctè inspicite* domos *ac palatia* eius, *& considerate quàm admirabilia ea sint opera,* vt enarretis *ea filiis vestris* in progenie altera.

Et proculdubio comperietis reipsa; non humana esse opera, sed ideò tam esse mirabilia, quoniam hîc *in loco hoc ac ciuitate nostra* est Deus Deus noster, *qui regnat* in æternum & in sæculum sæculi. Ipse *verus Princeps ducet ac* reget nos *per omnem vitam & post mortem* in *sempiterna* sæcula.

Explanatio.

Psalmus cantici] Excellentiam hîc notat carminis.

Sabbathi] Vt post bellicos labores in Deo acquiescatur.

Iustitia] Bonus rex, non solùm armis, sed & iustitia, & quidem præcipuè, debet esse decoratus.

PSALMVS XLVIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt per eum detur* filiis Core *decantandus hic* Psalmus.

Argumentum.

1. POst procemium quo auditores exsuscitat & attentos facit, dicit Dauid, 2. omnes spes opesque in solo Deo reponendas esse, non autem in bonis corporis & fortunæ, quæ facilè hominem destituunt, & tanquam vmbra euanescunt. 3. Cui accedit, quòd & post mortem hominem ad perpetuum interitum trahunt. 4. Quare ad pios conuersus, nō admirandos eos esse ait, qui his opibus & honoribus circumfluentes, mox ex hac vita decedunt, & tam animo quàm corpore moriuntur.

1. AVdite hæc *quæ dicturus sum*, omnes gentes *ac populi*, auribus percipite omnes qui habitatis *nunc* orbem, *& sub temporis conuersione degitis.*

Quique terrigenæ *estis ignobiles*, & filij hominum *virorumq; præclarorum nobiles, quantum ad honores*, simul in vnum diues & pauper, *quantum ad facultates.*

Os *enim* meum loquetur sapientiam, *variasq; prodet scientias, quibus sapientia constat*; & meditatio cordis mei prudētiam, *ac multarum rerum intelligentiam, vnde prudentia conflatur.*

Inclinabo, *inquam*, in parabolam *ac similitudines rerum maximarum, quas Deus mihi inspirabit in* aurem meam, *vt audiam quid in me loquatur Dominus,*

Dominus, quo pacto aperiam *ac detegam porrò vobis* in psalterio *ac cithara* propositionem meam, *quam quasi sub ænigmate cum carmine suauissimo enarrabo.*

2. *Summa autẽ huc redibit, vt intelligatur vnum Deum esse, qui verè est, & in quo solo spes opesq; nostra debent esse sita, quicquid autem extra ipsum est, vanum esse & inane, nec quicquam habere firmũ aut stabile. Quod quidem cùm ita sit;* cur, *quæso,* timebo *aut animum despondebo* in die mala, *qui vulgo putatur esse, cùm diuitiis & honoribusq; amicisq; quis destituitur: id enim si faciam,* iniquitas *proprij* calcanei *& facti* mei circumdabit *& demerget* me.

Nam qui *omisso Deo* confidunt in virtute *ac fortitudine* sua, *quæ sunt bona corporis;* & in multitudine diuitiarum suarum, *quæ bona sunt fortunæ,* gloriantur *ac superbiunt.*

Hos si rebus istis culpa sua, vt ferè fit, vel aliter destitui aliquando contingat, omnium mortalium miserrimos esse necesse est; nã si homines spectes, etiã si frater *sit,* non redimit *eum: quo pacto igitur* redimet homo *aliquis externus? si verò Deum,* non *rogabit eum*, *nec* dabit Deo placationem *& propitiationem* suam, *recedendo à malo.*

Et *multo minùs* pretium redemptionis animæ suæ, *accedendo ad bonũ; cùm sit à Deo penitus alienus. & ideo quidnam de eo fiet? certè* laborabit *& cõflictabitur cum miseria sua* in æternum, & *sic ægrè trahens animam suam,* viuet adhuc in finẽ *vsque.*

Et sæpe mortem optans, non videbit interitum *cùm volet, sed* cùm *penitus demonstratum illi fuerit quàm inanis res sit, in alio quàm in Deo spem habere*; *&* viderit *etiam* sapientes *huius mundi* morientes, *qui specie quadam prudentiæ rem fecerunt ac diligenter conseruarunt : tum* simul *cum illis* insipiens *iste* & stultus *tanquam bestiæ* peribunt.

Et relinquent *vtrique* alienis *loco posterorum, substantiam &* diuitias suas , & *erunt* sepulcra eorum domus *intima* illorum in æternum.

Ac quantum ad alia ædificia ipsorum pertinet, tabernacula *autem & habitationes* eorum *in quibus degerant, alij possidebunt* in progenie & progenie : *nec aliud de illis supererit, quàm nudus sonus nominis, dum* vocauerunt *& imposuerunt* nomina sua in terris *& possessionibus* suis.

Qui & ipse honor nominis non durabit, sed breui tempore euanescet; ita vt nihil omnino remaneat, & *sic* homo *quoniam* (cùm) in *summo* honore *ac claritate* (esset) *factus ad imaginem ac similitudinem Dei, & ad eius contemplationem & cognitionem erectus*, non intellexit, *nec perstitit in eo; sed contrà ad honores, ac diuitias, & inanes rerum vmbras se conuertit* : comparatus est iumentis (insipientibus,) *dum nihil altum sapit*, & similis (factus est illis) *dum quemadmodum ipsa interit*.

3. *Ergo* hæc via *est* illorum *qui à Deo, qui verè est, auersi, opum ac diuitiarum potentiam, aliasq́ falsas imagines sequũtur, quæ stultitiæ & insipientiæ plena*,

plena, scandalũ *est* ipsis, & *pernicies posteris eorum, qui* postea *succedunt, dum patris vestigiis insistentes*, in ore suo *& sermonibus ipsius, quibus quo pacto res facienda sit, ipsos edocet*, complacebunt *ac delectabuntur, & secundùm hoc vitæ suæ cursum instituent. Ita profectò res est* Sela.

Nam sicut oues *siue potiùs greges ouium in magna multitudine* in inferno *ac sepulcro* positi sunt, *& quotidie ponuntur: vbi* mors *pastorem inter eos agens* depascet *& perpetuo interitu consumet* eos.

Et vbi extremi iudicij dies aduenerit, dominabuntur eorum iusti *ac recti, qui nunc ab illis opprimuntur*, in matutino *illo tempore quo noua lux lucebit*: & auxilium *ac robur* eorum, *inanisq́; illa rerum figura, qua nunc tantopere delectantur*, veterascet *ac conteretur* in inferno, *vbi perpetuum ipsis erit habitaculum, longè diuersum à præterita illa* gloria eorum.

Quod quidem planè aliter nobis, qui pij ac iusti esse studemus, accidet: nam non solùm non cõdemnabit, verumtamen, *quod magis est, resuscitabit me* Deus, *&* redimet animam meam de manu *ac potestate* inferi, cùm acceperit me, *& ab hac vita ad alteram transtulerit. Sic sanè se habet* Sela.

4. Quare ne *mireris, nec* timueris, *aut pœniteat te tuæ conditionis*, cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius, *quasi magni aliquid sit assecutus*.

Quoniam cùm interierit, non sumet secũ *quid-*

quam ex illis, sed relinquet hîc omnia, *quantum ad bona*; neque descendet cum eo gloria eius, *quantum ad honores.*

Quoniam anima eius, *nō post mortem, sed* in *sola* vita *& hoc corpore* ipsius benedicetur, *& felix iudicabitur, propter rerum copiam & affluentiam: vbi si quis exsistat qui honore eum prosequi & corpus illius molliter curare norit*, confitebitur tibi, *& gratias habebit*, cùm *ad hunc modum* benefeceris ei.

Cæterùm post hāc vitam introibit vsq; in progenies patrū suorū, *quorum vanam stultamq́; doctrinam est imitatus; vbi perpetuis tenebris erit circumfusus*, & vsque in æternum non videbit lumen.

Atque hoc modo homo *quoniam, vt dixi*, cùm in honore esset, *Deo similis creatus*, non intellexit, *nec agnouit auctorem suum*: comparatus est iumentis (insipientibus) *quæ nihil aliud sapiunt, quàm quæ ad corporis pastum pertinent*; & (similis factus est illis) *moriens quemadmodū illa intereunt.*

EXPLANATIO.

Comparatus est iumentis] Quemadmodum boni sicut Angeli Dei fiunt, adscendendo sursum: ita mali sicut bruta animalia fiunt, descendendo deorsum, vt suprà tactum est.

PSAL-

PSALMVS XLIX.

Titulus.

Psalmus *Dauidis cantandus traditus ipsi* Asaph.

Argumentum.

1. PRædicit Propheta, simulque alios Prophetas prædicentes inducit, fore sine dubio vt ad cunctos mortales iudicãdos Deus veniat. 2. Quem primùm bonos alloquentẽ inducit, ac docentem verum Dei cultum nõ in sacrificiis exterioribus, sed interioribus potissimùm consistere. 3. Deinde autem malos, quos frustra legem suam in ore habere ait, cùm facta sint contraria, quæ vtique nõ manebunt impunita.

1. DEus Deorum, *qui fortis ac potens est supra omnes Deos, omnesq́ principes ac iudices terræ,* Dominus, *inquã, noster, trinus & vnus,* locutus est *per se ac Prophetas suos,* & vocauit *in vnum totam* terram, *cunctosq́ habitatores eius.*

Idq́ à solis ortu vsque ad occasum *eius, ne quisquam prætermittatur qui non verbi illius fiat particeps, dicentibus ac clamantibus Prophetis: Ecce iam* ex *monte* Sion, *in quo perfectissima* species *& imago est* decoris *ac pulchritudinis* eius:

Ecce iam apparebit Deus manifestè, *cælesti splendore illustris:* veniet, *inquam,* Deus noster, & non *cunctabitur ampliùs, nec* silebit, *sed disertis verbis vobis ipse loquetur.*

Ignis *vorax, qui reliquas doctrinas omnes vanas ac falsas consumet,* in cõspectu eius exardescet, *ac tãquam de vultu ipsius erumpet:* & in circuitu eius tempestas

tempestas *erit* valida, *cum turbine, qua cuncta quæ in orbe sunt concutiantur.*

Sed & aduocabit cęlum, *& omnes exercitus eius* desursum, & terram *cum cunctis potentatibus suis de deorsum, quos sibi tanquam testes & cooperarios adesse iubebit, & vnà secum à Diaboli potestate & à filiis ipsius* discernere *ac segregare* populũ suum.

Cui præcepto vos potestates cæli ac terræ obtemperantes, cõgregate illi sanctos eius, qui *sacrum cum eo fœdus habentes* ordinant, *ac faciunt secundùm* testamentũ *& voluntatem* eius super sacrificia: *sic vt cum iis veram colendi Dei rationem coniungatis.*

Hæc cùm Prophetæ sic prædicant, nihil dubium erit, quin ita fiet: nam deorsum in terra nati omnes homines, mali simul & electi Dei, singuli separatim collocabuntur, & *sursum de superis* annunciabunt *& adducent* cæli iustitiam eius, *quam in bonos & malos exercebit:* quoniam Deus *ipse de cælo in terrã descẽdẽs,* iudex est *& erit inter hos bonos & malos, iustos & iniustos. Ita profectò res est* Sela.

2. *Ac primùm quidem ad bonos se conuertens, eosq́; alloquens:* audi populus meus, *inquiet,* & loquar *tibi: audi* Israël, & *adhibitis potestatibus istis cæli ac terræ* testificabor tibi: *nec verò tu ipse ignoras, quòd* Deus Deus, *inquam,* tuus ego sum, *quem pura mente super omnia colere & amare debes.*

Quare non in sacrificiis tuis *exterioribus* arguam *nec reprehendam* te, *quasi officium non facias, nec quantum ad* holocausta autẽ tua *pertinet, obiurgabo*

iurgabo te, quòd nõ in cõſpectu meo ſunt ſemper.

Sed nec ob id tibi iraſcar, quòd non accipiam de domo tua vitulos *& iuuencos*, neque de gregibus *& caulis* tuis hircos.

Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarum, iumenta in *mille* mõtibus, & boues *omnes mei ſunt*.

Cognoui *& in numerato habeo* omnia volatilia cæli, *volucreſq́; in montibus*, & *omnis* pulchritudo agri, *& quicquid in eo eſt ferarum*, mecum *& in poteſtate mea* eſt.

Si eſuriero, non *opus eſt vt* dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius.

Nũquid *enim putas quòd* mãducabo carnes *fortium* taurorũ, aut *quòd* ſanguinẽ hircorũ potabo?

Nequaquam profectò, nequaquam: nec eſt verò neceſſe quòd his mihi offerendis præcipua opera te occupes: ſed ſi verè mihi vis ſacrificare, vnde reliqua omnia dependẽt, immola *mihi* Deo *tuo* ſacrificium laudis, *quo cor mihi tuum offerens, gratias agas de beneficiis acceptis*, & redde *ac perſolue mihi* altiſſimo vota *ac promiſſa* tua, *tã generalia, quibus mandatis meis odedire pollicitus es; quàm ſpecialia, ſi quæ fortè feciſti.*

Et *hæc faciens* inuoca me in die tribulationis *& anguſtiæ*, & eruam te, & *magis magiſq́; materiam habebis ac cauſam qua* honorificabis me, *& omnibus laudibus efferas.*

3. *Hæc cùm ad bonos dixiſſet; ad alios ſe conuertens*, peccatori autem *& impio* dixit Deus: quare

tu

tu enarras *& quotidie verbis iactas* iustitias *& constitutiones* meas? & *qua fronte tu* assumis testamentum *& pactum* meum, *quod cum mortalibus habeo*, per os tuum?

Tu *enim nihil horum facis quæ præcepi*; *&* verò, *quod deterius est*, odisti *omnem rectam* disciplinam *& admonitionem*, & proiecisti sermones meos retrorsum.

Si videbas furem, currebas *& consentiebas* cum eo, & cum adulteris *inita societate* portionē tuam ponebas.

Os tuum *ad detrahendum alteri se componens*, abūdauit malitia, & lingua tua cōcinnabat dolos.

Sedens *in compitis ac circulis, non solùm contra alienos, sed &* aduersus *proprium* fratrē tuū loquebaris, & aduersus filiū matris tuæ ponebas scandalum, *probrosè de illo loquēs, & calūniam ei struēs*: hæc fecisti, & tacui, *exspectās ánne fortè resipisceres.*

Sed tantum abest vt id feceris, vt contrà in reprobum sanè sensum patientia mea te verterit: existimasti *enim sceleratè &* iniquè, quòd *dū dissimulo, & iustam punitionem differo*, ero tui similis, *approbans facta tua sed, tu, è contrà sic habe: ecce* arguam *& acriter corripiam* te, & statuā *me* contra faciem tuam, *& teipsum omniaq; adeò scelerata facta tua ordine tibi ob oculos ponam, vt te perpetuis suppliciis exagitent.*

Hoc tu omnino ita futurum certò scito: & aduertentes animum, intelligite hæc, *quotquot estis*

mortales,

mortales, qui obliuiſcimini *me* Deum *veſtrum*: ne quando *tamquàm fera deuorãdos, & exquiſitis ſupplicijs ſubiiciendos vos* rapiat, & non ſit qui eripiat.

Etenim ſi quis verè, & vt oportet, velit viuere, recedat à malo, & accedẽs ad bonum, non externas victimas, ſed ſacrificium laudis, *ſiue cõfeſſionis & gratiarum actionis, qua cũcta ſua mihi habeat accepta, offerat: & hoc faciens verè* honorificabit me, & *inueniet* illic *ſibi* iter, quò *deducẽs eum manu mea*, oſtendam illi ſalutare Dei.

EXPLANATIO.

Sacrificium laudis] Bis iſtud ponitur: primùm in medio orationis ad bonos; deinde in fine orationis ad malos. nempe vt vtrique intelligãt verum Dei cultum, neque in ceremoniis exterioribus, neq; in verbis, ſed in animo cõſiſtere.

PSALMVS L.

Titulus.

In finem, *ſiue ad ſummum præfectũ chori muſici, miſſus* Pſalmus Dauid, cùm venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethſabee.

Argumentum.

1. ADmonitus Rex à Propheta de grauiſſimo peccato in adulterio Bethſabeæ, & homicidio Vriæ mariti eius commiſſo, veniam à Deo precatur, varias adferens cauſas cur id facere debeat, & promittens gratiarum actionem, ſi id fiat. 2. Vnde & ſecundò ad precandum reuertitur, orans vt totus reparari ac reformari poſſit: addens, ſi id impetret, fore vt ſuo exẽplo ac doctrina etiam alij peccatores conuertantur. 3. Et quoniam trinum omne perfectum eſt,

redit

redit tertiò ad eandem orationem, supplicans ne sui peccati caussa toti ciuitati Hierosolymorum minùs Dominus faueat, sed contrà omnibus rebus eã augeat; vt cùm hoc fiet, gratias illi summas omnes agãt.

1. MIserere mei Deus: *nam si iudicio contendam, certò succumbam: miserere, inquam, mei, non pro ordinaria bonitate tua, qua mundum, & quæ in eo sunt, creasti; sed* secũdùm magnam *illam bonitatem ac* misericordiam tuam, *qua oblitus seueritatis iustitiæ, veniam peccatoribus dare consueuisti.*

Et secundùm *infinitam* multitudinem miserationum *& piarum actionum* tuarum, *quæ ex magna illa misericordia tanquam fonte profluunt*, dele *ex libro delictorum* iniquitatem meam, *qua legem tuam trangressus & prauaricatus sum.*

Imò ampliùs *multiplicans beneficentiam tuam, non solùm a malo libera me; sed & ad bonum adducens*, laua me *etiam atque etiam* ab iniquitate mea, *& vitio intellectus*, & à peccato meo *prauæ volũtatis* munda me, *ita vt totus purus nitidusq́; appareã.*

Quoniam *cùm nihil aliud à peccatore exigere soleas, quam resipiscentiam, ecce* ego iniquitatem *& trãsgressionem prauaricationemq́;* meam cognosco *& fateor*, &, *quod magis est*, peccatum meũ, *quod admisi, præ pudore ac dolore* contra me est semper, *pungens me, & ob oculos versans.*

Quin, quòd omnium grauissimum est, fateor, quod cùm homines mortales tanti facerem, vt coram illis peccare puderet, & ob id delictum meũ ipsis tegerem,

tibi

tibi *Deo immortali, atque omnia contuenti, tibi, inquam,* ſoli *peccare non ſum veritus, & reipſa* peccaui, & malum *hoc* coram te *atque adeò in oculis tuis* feci: *quare cùm hæc tam liberè confitear, quæſo, miſerere mei, idque non mea ſed tua cauſa, ſcilicet* vt iuſtificeris *& verax dicaris* in ſermonibus tuis, *quibus pœnitētibus veniam promiſiſti*; & vincas *& quaſi te purges in iudicio* cùm iudicaris *ab hominibus, vtrùm clemens ſis nec ne.*

Quod quidem vel eo minùs inuitus facere debes, quoniam non tam prauitate ſpontanea, quàm innata concupiſcentia deliqui: ecce enim in iniquitatibus *vt ſcis*, conceptus, *ac formatus, & in lucem editus* ſum, &, *quod amplius eſt*, in peccatis concepit, *& in vtero fouit ac caleſecit* me mater mea.

Cuius vtique rationem habere debes, nec non promiſſionis illius tuæ, quam dixi de condonando his qui reſipiſcunt: quoniam ecce enim veritatem *ſemper in intimis viſceribus ac renibus tuis* dilexiſti, *vt tam tu reipſa facias quod pollicitus es, quàm alij id ipſum firmiter abs te exſpectent: quæ ſanè ſunt duo illa vulgo ignota &* incerta & occulta *ipſa & intima penituſq; abſtruſa ſecreta* ſapientiæ tuæ, *quæ* manifeſtaſti mihi.

Quare adſperges *& expiabis* me (Domine) hyſſopo, *qua in ſacrificiis corporis cōtagiones elui ſolent*: & mūdabor *à peccatis meis*; lauabis me, & *indutus nouis ornamentis virtutum*, ſuper niuē dealbabor.

Atque hoc quidem faciens, ſimul etiam auditui

meo dabis gaudiũ & lætitiam, *si, quemadmodum offensionem animi tui, ita & placationem per prophetam aliquem nunciare digneris:* & exsultabunt *eo nuncio* ossa *mea tam* humiliata *& abs te contrita.*

2. *Igitur* auerte, *inquã, quæso, & absconde* faciem tuam à peccatis meis, *ne ampliùs ea videas & memineris:* & omnes iniquitates meas *de libro peccatorum, & rationum, quas à nobis exigis,* dele.

Imò quoniam totus nunc corruptus & inquinatus sum, cor mundum *& animum purum* crea in me Deus: & spiritum *vitæ, qui à corde procedit,* rectum *& integrum* innoua in *mediis* visceribus meis.

Quod vt fiat, ne, *obsecro,* proiicias me à facie tua, *sine cuius tanquam exemplaris adspectu cor mũdum haberi planè nequit*: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me, *absque quo nec mens, nec spiritus queat esse rectus.*

Sed contrà, redde mihi, *vt olim,* lætitiam salutaris *vultus* tui: & spiritu principali, *qui ad virtutem liber sit & sponte erectus,* confirma *& suffulci* me.

Quod quidem vbi feceris, non solùm me seruaueris, sed & ipse experiẽtia edoctus, docebo *porrò* iniquos, *& transgressores ac præuaricatores Legis tuæ* vias tuas; *quæ sunt, misericordia in condonãdo, & veritas in promissis præstandis: & hoc intelligentes* impij *& peccatores*, ad te conuertentur.

3. *Quare iterum te oro*, libera me, *quæso, de* sangui-

ſanguinibus, *& cæde iuſſu meo facta*, ô Deus, *qui auctor es &* Deus ſalutis meæ: & exultabit *ac reſonante voce & cantu celebrabit* lingua mea iuſtitiam tuam, *ob promiſſa pœnitentibus facta ſeruata.*

Nam vt id facere poſſim, tu Domine labia mea aperies, & *ſic* os meum annunciabit laudē tuam: *quæ res omnium maximè grata tibi eſt.*

Quoniam ſi *non hoc, ſed potiùs* voluiſſes ſacrificium *exterius*, dediſſem vtique: *verùm tu vel* holocauſtis, *quæ ſunt ſumma ſacrificia*, non delectaberis; *nec penitus ea voles, ſi animus verè pœnitens deeſt.*

Nam verum ſacrificium, *quod Deo fit, eſt* ſpiritus contribulatus, *qui per pœnitentiam tanquam victima quædā in partes confractus eſt: &* cor contritum & humiliatum, *tibiq́ pro hoſtia oblatum*, Deus non deſpicies.

Quo quidem ſubnixus, quoniam nunc ad te venio, benignè, *quæſo*, fac (Domine) in bona voluntate *ac beneuolentia* tua, *qua vti ſoles, monti tuo* Sion, *& Regi quem illi præfeciſti; vt ipſo florente*, ædificentur *ac floreant* muri Hieruſalem, *quos meorū ſcelerum cauſa, obſecro, ne tutari deſinas.*

Quod ſanè cùm fiet, & tam Rex Sion, quàm tota ciuitas Hieruſalem ad te & nomen tuum ex animo ſe conuertet, tunc acceptabis *& gratum habebis* ſacrificium *illud* iuſtitiæ, *quod in bona voluntate tibi oblata conſiſtit*: *nec non* oblationes, & holocauſta *externa, quæ cum bona voluntate coniuncta, vtiq́ tibi*

placere solent: atque illi id tunc *intelligentes, subleuabunt &* imponent super altare tuum vitulos *ac tauros, qui pro gratiarum actione secundùm legis tuæ præcepta offeruntur.*

EXPLANATIO.

Cùm venit ad eum Nathan] Nota Regem à Propheta admoneri, & quidem Prophetam maximum à minori.

Holocaustis non delectaberis] Tria sunt sacrificia; bonorum externorum, corporalium, & animi : sed sine vltimo non sunt grata priora, cum eo autem omnia grata.

Muri Hierusalem] Iam antè admonuimus, Regem non de se solũ, sed & de populo suo semper debere esse solicitũ.

Sacrificium iustitiæ] De hoc sacrificio suprà diximus. nec mouere nos debet quòd apud Hebræos sacrificia dicuntur, non sacrificium; quoniam idem sacrificium sæpe à multis repetitum, sacrificiorum nomen meritò habet.

PSALMUS LI.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt ad modulos carminis cuius initium est maschil, seu* intellectus, *decantetur hic Psalmus* Dauid, *quem fecit* cùm venit Doeg Idumæus, & annunciauit Sauli, & dixit: Venit Dauid in domum Achimelech *Pontificis.*

Argumentum.

1. INuehitur Dauid in Doeg ob proditionem, cui extrema ob id à Deo minatur. 2. Opponitque seipsum contrà illi, dicens: ob virtutem se omnibus rebus florere, Deoque gratias agere. Porrò gerit hîc Dauid figuram Christi, Doeg autem Iudæ proditoris.

1. QVid *tantopere* gloriaris in malitia, *tu* qui potens *ac validus* es in iniquitate, *dum bonos*

bonos ac ſanctos opprimis? quid? an neſcis bonitatem ac miſericordiam Dei ſemper mihi & illis adeſſe, nec vnquam eos derelinquere, licet ita ſubinde videatur?

Enimuero in opprobrium Dei tota Dei iniuſtitiam *ac prauitatem* cogitauit *& molita eſt peſtilens* lingua tua, *qua*, ſicut nouacula acuta, *quæ à mento aberrans, in iugulum incidit, ad alios proſcindendos vtens*, feciſti *ac ſtruxiſti* dolum.

Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, *vt facto noceas potiùs quàm bene agas*; *& in verbis dictiſq; tuis* iniquitatem *ac mendacium* magis *amaſti* quàm loqui ęquitatem *veritatemq; ac iuſtitiam. Ita ſanè res eſt*, Sela.

Etenim dilexiſti omnia verba præcipitationis, vt *bonos perdas ac deprimas, & de ſtatu ſuo deijcias* lingua *tua* doloſa.

Propterea *vide quid de te futurum ſit, & quis te caſus maneat*: *ecce* Deus deſtruet te in finem *ac perpetuũ*, euellet te, & emigrabit, *ac penitus abradet ac tollet* te de tabernaculo ſuo, & *exſtirpabit* radicē tuā de terra viuentiũ. *Sic profectò erit* Sela.

Atque id cùm fiet, videbunt *hæc* iuſti, *quos tantopere nunc opprimis*, & *laudãtes Deum* timebunt *& reuerebuntur eum, gratiáſque illi agent*: & ſuper eum *qui hoc patietur, & tanquam arbor peſtilens euelletur, qui tu es*, ridebunt & (dicent:) ecce *hic* homo *validus*, qui non poſuit Deum *fortitudinem &* adiutorem ſuum.

Sed ſperauit *ac confiſus eſt* in multitudine *opum*

ac diuitiarum ſuarum:& præualuit *ac robur ſuum poſuit* in vanitate *ac prauitate* ſua.

2. Ego autem *contrà*, *tantum abeſt vt ſimile quippiam patiar, vt rebus omnibus floream, & ſim* ſicut oliua *virens ac* fructifera in domo Dei: *quod ideo mihi contingit, quia non in rebus illis inanibus confiſus ſum, ſed* ſperaui in *vna* miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi.

Atque ob id celebrans nomen tuum Domine, confitebor *& accepta feram* tibi in ſæculum *ac perpetuum omnia quæ mihi bona, & hoſtibus meis mala acciderunt*, quia *tu ea* feciſti: & *quantum ad futura pertinet*, exſpectabo nomẽ tuum, *vt ei facta tua reſpondeant*, quoniam bonum eſt, *& à bonitate ipſa deductum. Atque hæc omnia profitebor palàm ac publicè* in conſpectu ſanctorum tuorum, *quos bonitate ac miſericordia tua ſemper complecteris.*

Explanatio.

Radicem] Præmium peccati, mors eſt; ſic vt non ipſe ſolùm, ſed & tota ſtirps eius pereat: cui contrà opponitur præmium iuſtitiæ, quod in florenti ſtatu conſiſtit, quem per oliuam virentem hîc Dauid exprimit.

PSAL-

PSALMVS LII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici,* pro *instrumento musico* amaleth *siue mahabath, vt ad id cantetur, ad modulationem carminis, cuius initium est* intelligentia, *hic Psalmus eruditiuus* Dauid.

Argumentum.

1. Conqueritur vir sanctus omnes homines à Deo auersos, & ad malum conuersos esse: 2. Vnde Deum ipsum loquentem inducit; qui quærit ânne tandem resipiscent, ita vt à tyrannide malorum populus liberetur. 3. Ad quod respondet id fore, cùm Deus opem populo suo feret, & à captiuitate malorũ eos liberabit.

1. DIxit insipiens *& agrestis* in corde suo, non est Deus: *propterea* corrupti sunt *in viis suis,* & abominabiles facti sunt *coram Deo* in iniquitatibus, *quas perpetrant: denique* non est *ex iis* qui faciat bonum.

Imò Deus de cęlo prospexit super filios hominũ: vt videat si est *aliquis* intelligens *ex iis qui hac stultitia nõ sit imbutus,* aut *qui* requirẽs *sit* Deum.

Et vidit quòd omnes declinauerunt, *& auersi sunt à Deo: atq; ita* simul *cuncti cõputruerunt, carentes Dei lumine, &* inutiles facti sunt: non est, *inquam,* qui faciat bonum, nõ est vsque ad vnum.

2. *Vnde admiratus,* nônne *resipiscent, inquit, aliquãdo, &* scient *vtique me Deum esse, qui rerum humanarum curam geram* (omnes) *illi mali, ac*

peruerſi qui operantur iniquitatem, qui *comedunt ac planè* deuorant plebem meam vt cibum *ac fruſtum* panis.

Certè, quia Deum non *agnouerunt nec* inuocauerunt, *non ſolùm alij, ſed & ipſimet pœnas ſcelerum à ſe exegerunt, viuentes in perpetua conſcientiæ perturbatione: vnde etiam* illic trepidauerunt timore vbi non erat timor, *nec cauſa vlla timendi.*

Quod quidem ideo illis accidit, quoniam Deus diſſipauit *ac diſperſit* oſſa eorum qui *Deum negligentes, eiq́ quaſi bellum inferentes, & Hieruſalem ſanctam eius ciuitatem obſidentes, ſolis* hominibus placent *& ſe accommodant*: confuſi, *dico*, ſunt, *& pudore affecti*, quoniam Deus ſpreuit *& abhorruit* eos.

3. *Etenim* quis *putatis* dabit ex *arce* Sion ſalutare, *& ſoluta hac obſidione Hieruſalem, ſaluum faciet populum* Iſraël *ab hoſtibus iſtis impiis ac ſceleratis? certè non alius quàm Dominus ipſe, qui diſſipat eos ac confundit: & ſic*, cùm conuerterit Deus *ac ſoluerit* captiuitatem *& obſidionem* plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſraël.

EXPLANATIO.

Non eſt Deus] Fons & origo omnium malorum eſt, putare non eſſe Deum, qui rerum humanarum curam gerat. Eſtq́; hic Pſalmus idē, pauciſſimis mutatis, cum Pſalmo decimo tertio.

Vt cibum panis] Tyrannorum hæc tribus verbis eſt deſcriptio.

PSAL-

PSALMVS LIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, *vt* in carminibus, *& cum plausu manuum, ad instrumentum quod vocatur Neginoch, & ad modulos cantilenæ, cuius initium* intellectus, *cantetur hic Psalmus eruditiuus* Dauid, *quem fecit* cùm venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul: Nonne Dauid absconditus est apud nos?

Argumentum.

1. INuocat Dauid auxilium Dei contra proditionem Ziphæorum.
2. A quo se mox exauditum iam ait, promittens gratiarum actionem pro salute quam petit.

1. DEus in nomine tuo, *quod à bonitate ac robore ducitur*, saluum me fac: & in virtute *ac fortitudine potētiaq;* tua iudica me, *& ius meum sustine ac vindica.*

Deus, *inquam*, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni; *quos sic voco, quia licet nomine Israëlitæ sunt, vita tamen & moribus se præstant alienos*; insurrexerunt aduersum me, & fortes *ac sæui terribilesq; tyranni* quęsierunt animā *& vitam* meā, & nō proposuerūt *te* Deum ante cōspectum suum. *Sed eia eia* Sela *iam nunc me sentio exauditū.*

2. Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus, *medius versans inter protectores ac sustentatores*

meos, ipse suſceptor eſt animæ meæ.

O Domine, auerte, *quæſo, ac retorquendo* mala *quæ illi mihi parant ,tribue ea ipſis* inimicis meis, *qui mihi inſidiantur:* & in veritate *fideq́, tua, quam in præſtandis promiſſis ſemper oſtendere ſoles,* diſperde *ac penitus ſubuerte* illos.

Quod cùm facies, eum ſumma animi liberalitate voluntariè ſacrificabo tibi *ſacrificium gratiarum actionis:* & *ferens tibi acceptam ſalutē meam,* cōfitebor nomina tuo Dñe, *celebraboq́, id omnibus laudibus,* quoniam bonū eſt, *& rebus ipſis conueniens.*

Quoniam *cùm à fortitudine, vt dixi, & beneficentia ducatur, tu* ex omni tribulatione *& anguſtia* eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus, *vltionem de iis vidēs, quam exſpectabam.*

EXPLANATIO.

Quoniam bonum eſt] Varia Dei nomina, variis ipſius actionibus ſunt accommodata.

PSALMVS LIIII.

Titulus.

In finem, *ſiue ad ſummum præfectum chori muſici: vt* in carminibus *& cum plauſu manuum ad inſtrumentum quod dicitur Neginoth, ad modulos cantilenæ, cuius initium* intellectus, *cantetur hic Pſalmus eruditiuus* Dauid.

Argumentum.

1. NArrat vir ſanctus in quantis angoribus ob hoſtium perſecutionem verſetur: 2. Vnde Dei opem aduerſum eos implorat,

implorat, commemorans quanta illorum ſint ſcelera, & quàm perfidè ſecum agāt, ex coniunctiſſimis amicis proditores facti. 3. Quod quidem cùm ita ſit, dicit omnino fore vt Deus eos diſperdat, ipſumque tanquam innocentem iuuet, cùm contra illorum reſipiſcentia ſit deſperata. 4. Atque ita ſeipſum alloquens, concludit non in hominibus, ſed in vno Deo eſſe fidendum. Gerit autem hîc Dauid perſonam Christi, qui à proprio Apoſtolo ſuo proditus & à propria gente Iſraelitica in crucem actus fuit.

1. EXaudi Deus, *& arrige aures tuas ad* orationem meam, & ne deſpexeris, *nec abſcondẽs te auerſeris* deprecationẽ meam: intende, *inquam*, mihi, & exaudi me.

Contriſtatus ſum *conquerendo ac lamentando, & nunc huc nunc illuc me verſando*, in exercitatione, *& clamore, ac oratione* mea, *in qua* & *totus* conturbatus ſum, *fremens ac ſtrepitum edens, idq́ à voce ac propter vociferationem & minas* inimici, & à tribulatione, *propterq́ toruum adſpectum hominis* peccatoris *& impij, & me perſequentis, & in anguſtiam redigentis.*

Quoniam *conſpirantes aduerſum me omnes* declinauerunt in me, *& falſis criminibus confictis impegerunt mihi* iniquitates *& delicta*: & in ira, *quaſi furore concitati*, moleſti erant, *& aduerſabantur, vnáque omnes imminent* mihi.

Quare cor meum conturbatum eſt *ac contremuit* in me, *& intra media viſcera mea*: & formido *ac terror* mortis cecidit ſuper me.

Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt *penituſq́ operuerũt* me tenebræ, *horroris ac pauoris plenæ.*

Et

Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & *certè* volabo *hinc ad tutum aliquem locum habitationis*, & requiescam.

Et ecce *sic mecum cogitans, quantum votis potui*, elongaui *me*, fugiens & *animo sedem fixi ac* mansi in solitudine, *procul ab hominibus. Sic profectò res est* Sela.

Atque ita solus agens, quoad cogitatione poteram assequi, expectabam (*vt cum festinatione veniret*) eum qui saluum *semper* me fecit, *& me liberauit* à pusillanimitate *ac deiectione* spiritus *& animi mei*, & *à* tempestate *quam mihi hostes excitabant: quos equidem & nunc vento ipso rapidissimo ac turbine citiùs effugere festinarem, si possem.*

2. *Sed quoniam id non humanæ opis est, sed prorsus diuinæ; tu, quæso*, præcipita *ac dissipa consilium eorum* Domine, & diuide linguas eorum, *vt alij alios non intelligant, sed in varias sententias distrahantur*: quoniam *certè digni sunt qui pereant, &* vidi *ipse* iniquitatem *eorum* & contradictionem *ac contentionem quam exercent* in *sua* ciuitate.

Quæ ciuitas si verè describenda est, vt intelligatur quàm sit ciuitati Dei contraria, inuenietur quòd hæc quam dico contentio ac discordia die ac nocte circumdabit *& circuiuit* eam super muros *eius, quodq́;* iniquitas & labor, *quo boni affligũtur & opprimuntur*, in medio *versatur foro* eius, & *denique omnis corruptela ac prauitas, ipsaq́; adeò* iniustitiâ, *in ipsis penetralibus est ac domibus eius.*

Et

Et *quantum ad vicos eius & vias attinet*, quòd non defecit *nec recedit vnquam* de plateis eius *impostura illa damnabilis* vsura, *qua se mutuò exedūt*; & *fraus ac* dolus, *quo se inuicem circumueniunt.*

Quem quidem dolum, cùm per mille machinationes fictas ac simulatas quotidie mihi intentent; *non est sanè ferenda tanta perfidia*: quoniam si *apertus* inimicus meus maledixisset *aut exprobrasset aliquid* mihi, sustinuissem vtique.

Et si is qui *manifestè* oderat me, super me magna locutus fuisset, *detrahēdo, & superbè minando mihi ore pleno*, abscondissem me (forsitan) ab eo: *quoniam facilè est effugere odium manifestum.*

Cæterùm, tu verò, *qui his grauissimis malis me nunc afficis*, homo *olim* vnanimis *mihi fuisti*, *quem fratris loco & æqualem mihi ducebam, quémque in tanto pretio ducebam, vt* dux meus; & *familiaris amicus ac* notus meus *esses.*

Qui simul mecum dulces capiebas cibos, *secretum nostrum suaui sermone delinientes, &* in domo Dei *vnà semper* ambulauimus cum *summo studio ac* consensu *sine vllo tumultu*; *sic vt diuina & humana omnia communia haberemus.*

3. *Quod quidem cùm ita sit*; veniat *ac irruat de repentè* mors super illos, *quæ debitum cum vsuris ab iis exigat*; & descendant in infernum viuentes, *nullo morbo præcedente.*

Quoniam *scelera* & nequitiæ in *ipsis sunt* habitaculis *& congregationibus* eorum, *& versantur*

in

in medio *penetralium cordium* eorum.

Ego autem *contrà, qui omnem vitæ innocentiam ſemper ſum ſecutus*, ad Deũ clamaui: & *ſcio quòd nihil aduerſum me hoſtes poterunt, ſed* Dominus ſaluabit me.

Veſpere, & manè, & meridie narrabo, & *tum quidem ſuſurrãdo, tum autem alta ac reſonanti voce* annunciabo *illi pericula mea, precaborq́; inſtanter vt ab iis me liberet*, & exaudiet, *ſat ſcio*, vocẽ meam.

Et redimet *ac* in pace *collocabit* animam meam, *liberans eam* ab his qui appropinquant *& imminent* mihi, *vt bellum mihi inferãt*: quoniam *tametſi* inter multos *hoſtes verſor*, *qui* erant *contra me*, *plures tamen ſunt numero qui ſtant* mecũ *& pro me*.

Exaudiet, *inquam*, Deus *deprecationem meam*, & humiliabit *ac affliget* illos *is* qui eſt, *& in cælis habitans rebus omnibus præſidet; iam inde ab initiò* ante *omnia* ſæcula. *Ita profectò res eſt* Sela.

Non enim eſt *vlla ſpes de* illis, *nec* commutatio *in iis à malo ad bonum*, & non timuerũt *nec timebunt vnquam* Deum *quemadmodum deberent: & ideò* extendit *Dominus* manum ſuam in retribuendo, *vt pro meritis eos caſtiget*.

Nam vide quid fecerint: miſerunt ſceleratas manus ſuas in eum quem Dominus ipſe pace ac fœdere ſuo comprehenderat, & cum quo amicitiam ſemper ſimularant: contaminauerunt *perfidia ſua* teſtamentum *& pactum* eius, *quod ipſi quoque ſeruare promiſerant: denique qui princeps inter eos eſt, ita ſimulatè*

ſimulatè ſe geſſit, vt ſi os & verba ſpectes, quæ quouis butyro leniora gerit, diceres : ecce iam diuiſi ſunt, *& penitus receſſerunt* ab ira, *minacia ora &* vultus eius:*ſi autem res & facta, contrà prælium meditatur,* & *iam ad pugnandum* appropinquauit *& ſe præparauit* cor illius.

Etenim molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, *ſiquidem exteriorem ſpeciem eorum ſpectes:* & *tamen ſi reuera eos conſideres, nihil aliud* ipſi ſunt *quàm gladij, &* iacula *acutâ.*

4. *Quæ quidem cùm ita ſe habeant, ne ponas vnquam, ô anima, in hominibus ſpem tuam: ſed ſi quid eſt quod tibi ſit moleſtum, ſuoq; pondere te premit,* iacta *ac penitus coniice* ſuper Dominum curam *ac ſarcinam* tuam, & ipſe te *ita vt oportet gubernans, ſuſtentabit ac* enutriet : & non dabit in æternum fluctuationem iuſto, *vt ſemper à malis oppreſſus, penitus labaſcat ac ſuccumbat.*

Cæterùm quantum ad impios ac ſceleratos attinet, tu verò Deus deduces *ac præcipitabis* eos in puteum *foueæ, ac voraginem* interitus.

Atque ita viri ſanguinum, & doloſi, *qui in manu ſanguinolenta & fraudibus ſuis confidunt,* non dimidiabunt dies ſuos, *ſed immatura morte peribunt, dum numquam ad moriendum ſe componunt, quantumcunque ætate ſint prouecti :* ego autem *non in alio* ſperabo *quàm* in te *vno ô* (Domine.)

EXPLA-

EXPLANATIO.

In ciuitate] Quemadmodum ciuitas Dei, iuſtitia; ita ciuitas Diaboli, iniuſtitia plena eſt: quæ tum quidem aperta vigraſſatur in dictis ac factis, quæ ſunt duo grauiſſima vitia quæ in hominum conuictum incidunt; tum autem tacita fraude per vſuram & dolum, quæ ſunt duo maxima mala quæ in commerciis hominum intercedunt.

PSALMVS LV.

Titulus.

In finem, *ſiue ad ſummum præfectum chori muſici*, pro *columba muta*, *quæ procul auolauerat*, & *conſtituta erat in locis longinquis à terra ſancta*; *nec nō pro* populo qui à ſanctis longè factus eſt, *miſſus Pſalmus* Dauid, *vt decantetur ad modulos cantilenæ*, *quæ* in tituli inſcriptione *habet Michtam*, *quem fecit* cùm *comprehenderunt* & tenuerũt eum Allophyli *ſiue alienigenæ Philiſthæi* in Geth.

Argumentum.

1. IMplorat Rex Dauid auxilium Dei contra hoſtes, dicens ea re fretum ſe non metuere quid faciat homo. 2. Qui quidem licet multa moliatur, nihil tamen efficiet, ſed contrà ipſe peribit.
3. Vnde ad Deum conuerſus, rogat vt ita fiat, & vota ſua quæ pro ſalute præſtita vouit, perſoluat.

1. MIſerere mei Deus, quoniam conculcauit *&* *abſorbere* me *vult* homo: tota die *ſine intermiſſione* impugnans tribulauit, *& in anguſtiam redegit*, *& penitus oppreſſit* me.

Conculcauerunt, *inquam*, *& abſorbere ſtuduerũt* me

me inimici mei tota die, quoniam multi *insidiatores* & bellantes aduersum me, *ô Excelse.*

Certè Domine, quoties ab altitudine *& locis superioribus me oppugnabūt, quod omni parte* diei *faciunt, non potero omittere quin* timebo: *sed tamen rediens* ego *ad me, &* verò *rem vti oportet expendens, mox abiiciam omnem timorē, &* in te sperabo.

In *te, inquam,* Deo *fiet proculdubio quod aliquando* laudabo *& approbabo hos* sermones meos *tanquam bene factos: quibus boni consulens quicquid à te mihi immittitur, dico quòd* in te Deo *immortali* speraui, & non timebo quid faciat mihi caro *mortalis: nam proficiscuntur hi sermones mei ex promissione & sermone tuo de auxilio mihi contra hostes præstando, quod non dubito quin sis facturus.*

2. Enimuero illi tota die verba mea execrabantur, *& calumniantur quicquid dicam & faciam: &* aduersum me *sunt* omnes cogitationes eorum in malum, *vt me funditus perdant.*

Inhabitabunt *& congregabuntur inter se,* & abscondent *se, vt delitescentes insidias mihi parēt:* ipsi calcaneum meum *& omnia vestigia mea* obseruabunt, *vt vitam mihi auferant.*

Sed sicut *ipsi* sustinuerunt *& exspectant* animam meam *vt eam tollant; an ita, tu Domine, illis peccātibus eris auxilio, vt euadant pœnam? non profectò, nequaquā: nam hoc plus quàm iniquum esset: sed cōtrà omnes conatus eorum eludes, &* pro nihilo *eos duces, nec vllo modo* saluos facies illos, *&, quod*

magis est, in *iusta* ira *tua omnes illos* populos confringes, *ac tanquam de gradu deiicies.*

Tu, ô Deus, *omnes fugas meas ab hostibus numeratas habes*: *nam omnem* vitam meam annunciaui tibi, *&* posuisti *omnes* lachrymas meas in cõspectu tuo, *quas tanquã in vtriculo quodã in vnum collegisti, & in libro rationũ tuarũ scripsisti. Annõ ita est?*

Ergo sicut & in *libro de* promissione tua *manifestè exstat*, *ita nihil dubito quin* tunc conuertentur *continuò* inimici mei retrorsum.

Vbi auxilium tuum implorauero, in quacunque *tandem* die *fuerit qua* inuocauero te , ecce *enim iam certè* cognoui, *& habeo penitus exploratũ*, quoniam *tu* Deus meus es.

Quare in *te* Deo laudabo verbum *meum*, in *te* Domino laudabo sermonem *meum*, *quo boni consulens quicquid à te mihi accidit*, *dixi*: in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus *& ob oculos mihi semper versantur*, *& ad onus meum pertinent* vota tua, *quæ tibi voui*: quæ *equidem sine dubio* reddam *ac persoluam in sacrificio longè gratissimo*, *quod est*, *cùm canuntur* laudationes *& gratiarum actiones* tibi.

Quas vtique ipse canam, quoniam eripuisti animam meam de morte, *quam hostes minabantur*; & pedes meos de lapsu *peccati*, *quod Diabolus machinabatur*: vt *viuus incedam*, *& purus à peccato* placeam coram *te* Deo in lumine viuentium; *qui cognitione tui illustrati*, *in te solo viuunt*.

EXPLA-

EXPLANATIO.

In lumine viuentium] Viuentium in Deo duplex esse lumen suprà diximus: vnũ intellectus; veluti cùm dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuũ, & lumen semitis meis. alterum claritatis vitæ ac morum; vt cùm dicitur: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.

PSALMVS LVI.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missus Psalmus, quem tibi Domine,* ne disperdas *ipsum, fecit* David *vt cantetur ad modulos cantilenæ, qui* in tituli inscriptione *habet Michtan, & cecinit eum* cùm fugeret à facie Saul *regis Israël* in speluncam.

Argumentum.

1. IAcens in spelunca vir sanctus cùm eum Saul persequeretur, implorat Dei auxiliũ: quod certò ita sperat futurum, quemadmodum sæpe factum est, quantumcumque hostes ferociant. 2. A quibus vt liberetur iterum orát: vt quemadmodum olim, ita & nunc gratias Deo agere possit. 3. Ad quam rem seipsum excitat, & de salute accepta gratias agit.

1. MIserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te *sperat ac prorsus* confidit anima mea.

Et *tanquam pullus* in vmbra *ac tegmine* alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas, *& tempestas calamitatum quibus nunc premor.*

Clamabo ad *te* Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi, *& perficit quod in me ad*

regiam dignitatem vocando incepit.

Nam sæpe misit de cælo *manum, & Angelum suum*, & liberauit me *à probro eorum qui me absorbere studebant: &, quod magis est*, dedit in opprobrium *& ignominiam* conculcantes *& absorbentes* me. *Ita profectò res est*, Sela.

Misit, *inquam*, Deus *frequenter* misericordiam suam, *pro bonitate sua:* & veritatem suam, *pro iustitia, quam exercet in promissis præstandis*, & eripuit animã meam de medio catulorum leonum: *quare & nunc cùm idẽ mihi contingat (etenim anima mea inter medios leones versatur, & iaceo inter inimicos ferocientes, & ira inflammatos & ardẽtes) accubui &* dormiui *securus, quantumcumque ab illis & eorum armis resplendentibus sim* conturbatus.

Qui quidem tametsi homines sint, & filij hominum, dentes *tamen* eorum *sunt tanquam ferarum, & tanquam* arma, *siue lanceæ*, & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

2. *A quibus vt liberer, adfer mihi, quæso, solitam opem tuam, &* exaltare, *& effer te* super cælos Deus, & *dispergatur* in omnem terrã gloria tua.

Etenim sæpe olim laqueum parauerunt, *& tetenderunt rete* pedibus *& gressibus* meis, & incuruauerunt *ac debilitari timore fecerunt* animã meam.

Et foderunt ante faciem meam foueam, *vt me caperent*: & *quid factum est? equidem ipsi* inciderũt in *mediã* eam, *qua de re tum triumphabã*, Sela.

Vnde & nunc paratum cor meũ Deus, paratum

cor

cor meum *ad ſimilem triumphum agendum de victoria quam certò mihi præbebis*: cantabo *voce*, & pſalmum dicam *in inſtrumentis muſicis tibi* Dño.

3. *Ad quod faciendum* exſurge *& expergiſcere*, *ô anima, omniſq́; virtus &* gloria *mea*, exſurge, *tu*; pſalterium & cithara: exſurgam *enim primo* diluculo *& ipſam auroram excitabo.*

Et cōfitebor *ac cantabo* tibi in populis Domine, *acceptam tibi ferens ſalutem meã*, & pſalmũ dicam tibi in gẽtibus, *prædicans apud omnes laudẽ tuam.*

Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia *& bonitas* tua *in me adiuuãdo*, & vſq. ad nubes veritas *& iuſtitia* tua *in promiſſis ſeruãdis.*

Quare exaltare *& effer te* ſuper cælos, ô Deus, & *expandat ſe* ſuper omnem terram gloria tua.

Explanatio.

Dentes & arma] Quemadmodum feris animantibus, ita & armis & ſagittis, quibus hominibus nocetur, mali comparantur.

Psalmus LVII.

Titulus.

In finem, *ſiue ad ſummũ præfectum chori muſici, miſſus Pſalmus, quem tibi, ô Domine*, ne diſperdas *eum, fecit* Dauid, *vt cantetur ad modulos cantilenæ, quæ* in tituli inſcriptione *habet Michtam.*

Argumentum.

1. INuehitur Dauid in hoſtes ſuos primores reipublicæ, qui Sauli adulabãtur, quos in malo ſuo vſque adeò iam inde à natiuitate inuete-

peruersi qui operantur iniquitatem, qui *comedunt ac planè* deuorant plebem meam vt cibum *ac frustum* panis.

Certè, quia Deum non *agnouerunt nec* inuocauerunt, *non solùm alij, sed & ipsimet pœnas scelerum à se exegerunt, viuentes in perpetua conscientiæ perturbatione: vnde etiam* illic trepidauerunt timore vbi non erat timor, *nec causa vlla timendi.*

Quod quidem ideo illis accidit, quoniam Deus dissipauit *ac dispersit* ossa eorum qui *Deum negligentes, eiq; quasi bellum inferentes, & Hierusalem sanctam eius ciuitatem obsidentes, solis* hominibus placent *& se accommodant*: confusi, *dico*, sunt, *& pudore affecti*, quoniam Deus spreuit *& abhorruit* eos.

3. *Etenim* quis *putatis* dabit ex *arce* Sion salutare, *& soluta hac obsidione Hierusalem, saluum faciet populum* Israël *ab hostibus istis impiis ac sceleratis? certè non alius quàm Dominus ipse, qui dissipat eos ac confundit: & sic*, cùm conuerterit Deus *ac soluerit* captiuitatem *& obsidionem* plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israël.

EXPLANATIO.

Non est Deus] Fons & origo omnium malorum est, putare non esse Deum, qui rerum humanarum curam gerat. Estq; hic Psalmus idē, paucissimis mutatis, cum Psalmo decimo tertio.

Vt cibum panis] Tyrannorum hæc tribus verbis est descriptio.

PSALMVS LIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt* in carminibus, *& cum plausu manuum, ad instrumentum quod vocatur Neginoch, & ad modulos cantilenæ, cuius initium* intellectus, *cantetur hic Psalmus eruditiuus* Dauid, *quem fecit* cùm venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul: Nonne Dauid absconditus est apud nos?

Argumentum.

1. INuocat Dauid auxilium Dei contra proditionem Ziphæorum. 2. A quo se mox exauditum iam ait, promittens gratiarum actionem pro salute quam petit.

1. DEus in nomine tuo, *quod à bonitate ac robore ducitur,* saluum me fac: & in virtute *ac fortitudine potētiaq́ꝫ* tua iudica me, *& ius meum sustine ac vindica.*

Deus, *inquam,* exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni; *quos sic voco, quia licet nomine Israëlitæ sunt, vita tamen & moribus se præstant alienos;* insurrexerunt aduersum me, & fortes *ac sæui terribilesq́ꝫ tyranni* quęsierunt animã *& vitam* meã, & nõ proposuerũt *te* Deum ante cõspectum suum. *Sed eia eia* Sela *iam nunc me sentio exauditũ.*

2. Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus, *medius versans inter protectores ac sustentatores*

meos, ipse susceptor est animæ meæ.

O Domine, auerte, *quæso, ac retorquendo* mala *quæ illi mihi parant, tribue ea ipsis* inimicis meis, *qui mihi insidiantur*: & in veritate *fideq́;* tua, *quam in præstandis promissis semper ostendere soles*, disperde *ac penitus subuerte* illos.

Quod cùm facies, cum summa animi liberalitate voluntariè sacrificabo tibi *sacrificium gratiarum actionis*: & *ferens tibi acceptam salutē meam*, cōfitebor nomina tuo Dñe, *celebraboq́; id omnibus laudibus*, quoniam bonū est, *& rebus ipsis conueniens*.

Quoniam *cùm à fortitudine, vt dixi, & beneficentia ducatur, tu* ex omni tribulatione *& angustia* eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus, *vltionem de iis vidēs, quam exspectabam*.

EXPLANATIO.

Quoniam bonum est] Varia Dei nomina, variis ipsius actionibus sunt accommodata.

PSALMVS LIIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*: *vt* in carminibus *& cum plausu manuum ad instrumentum quod dicitur Neginoth, ad modulos cantilenæ, cuius initium* intellectus, *cantetur hic Psalmus eruditiuus* Dauid.

Argumentum.

1. NArrat vir sanctus in quantis angoribus ob hostium persecutionem versetur: 2. Vnde Dei opem aduersum eos implorat,

implorat, commemorans quanta illorum sint scelera, & quàm perfidè secum agât, ex coniunctissimis amicis proditores facti. 3. Quod quidem cùm ita sit, dicit omnino fore vt Deus eos disperdat, ipsumque tanquam innocentem iuuet, cùm contra illorum resipiscentia sit desperata. 4. Atque ita seipsum alloquens, concludit non in hominibus, sed in vno Deo esse fidendum. Gerit autem hîc Dauid personam Christi, qui à proprio Apostolo suo proditus & à propria gente Israelitica in crucem actus fuit.

1. EXaudi Deus, *& arrige aures tuas ad* orationem meam, & ne despexeris, *nec abscondēs te auerseris* deprecationē meam: intende, *inquam*, mihi, & exaudi me.

Contristatus sum *conquerendo ac lamentando, & nunc huc nunc illuc me versando*, in exercitatione, *& clamore, ac oratione* mea, *in qua* & *totus* conturbatus sum, *fremens ac strepitum edens, idq́;* à voce *ac propter vociferationem & minas* inimici, & à tribulatione, *propterq́; toruum adspectum hominis* peccatoris *& impij, & me persequentis, & in angustiam redigentis.*

Quoniam *conspirantes aduersum me omnes* declinauerunt in me, *& falsis criminibus confictis impegerunt mihi* iniquitates *& delicta*: & in ira, *quasi furore concitati*, molesti erant, *& aduersabantur, vnáque omnes imminent* mihi.

Quare cor meum conturbatum est *ac contremuit* in me, *& intra media viscera mea*: & formido *ac terror* mortis cecidit super me.

Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt *penitusq́; operuerūt* me tenebræ, *horroris ac pauoris plena.*

Et

Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ? *& certè* volabo *hinc ad tutum aliquem locum habitationis*, & requiescam.

Et ecce sic mecum cogitans, quantum votis potui, elongaui *me*, fugiens & *animo sedem fixi ac* mansi in solitudine, *procul ab hominibus. Sic profectò res est* Sela.

Atque ita solus agens, quoad cogitatione poteram assequi, exspectabam *(vt cum festinatione veniret)* eum qui saluum *semper* me fecit, *& me liberauit* à pusillanimitate *ac deiectione* spiritus *& animi mei*, & *à* tempestate *quam mihi hostes excitabant: quos equidem & nunc vento ipso rapidissimo ac turbine citiùs effugere festinarem, si possem.*

2. *Sed quoniam id non humanæ opis est, sed prorsus diuinæ; tu, quæso*, præcipita *ac dissipa consilium eorum* Domine, & diuide linguas eorum, *vt alij alios non intelligant, sed in varias sententias distrahantur*: quoniam *certè digni sunt qui pereant, &* vidi *ipse* iniquitatem *eorum* & contradictionem *ac contentionem quam exercent* in *sua* ciuitate.

Quæ ciuitas si verè describenda est, vt intelligatur quàm sit ciuitati Dei contraria, inuenietur quòd hæc quam dico contentio ac discordia die ac nocte circumdabit *& circuiuit* eam super muros *eius, quodq́;* iniquitas & labor, *quo boni affligũtur & opprimuntur*, in medio *versatur foro* eius, & *denique omnis corruptela ac prauitas, ipsaq́; adeò* iniustitia, *in ipsis penetralibus est ac domibus eius.*

Et *quantum ad vicos eius & vias attinet*, quòd non defecit *nec recedit vnquam* de plateis eius *impostura illa damnabilis* vsura, *qua se mutuò exedũt*; & *fraus ac* dolus, *quo se inuicem circumueniunt*.

Quem quidem dolum, cùm per mille machinationes fictas ac simulatas quotidie mihi intentent; *non est sanè ferenda tanta perfidia*: quoniam si *apertus* inimicus meus maledixisset *aut exprobrasset aliquid* mihi, sustinuissem vtique.

Et si is qui *manifestè* oderat me, super me magna locutus fuisset, *detrahẽdo, & superbè minando mihi ore pleno*, abscondissem me (forsitan) ab eo: *quoniam facilè est effugere odium manifestum*.

Cæterùm, tu verò, *qui his grauissimis malis me nunc afficis*, homo *olim* vnanimis *mihi fuisti*, *quem fratris loco & æqualem mihi ducebam*, *quémque in tanto pretio ducebam*, *vt* dux meus, & *familiaris amicus ac* notus meus *esses*.

Qui simul mecum dulces capiebas cibos, *secretum nostrum suaui sermone delinientes*, & in domo Dei *vnà semper* ambulauimus cum *summo studio ac* consensu *sine vllo tumultu*; *sic vt diuina & humana omnia communia haberemus*.

3. *Quod quidem cùm ita sit*; veniat *ac irruat de repentè* mors super illos, *quæ debitum cum vsuris ab iis exigat*; & descendant in infernum viuentes, *nullo morbo præcedente*.

Quoniam *scelera* & nequitiæ in *ipsis sunt* habitaculis & *congregationibus* eorum, & *versantur*

in

in medio *penetralium cordium* eorum.

Ego autem *contrà, qui omnem vita innocentiam ſemper ſum ſecutus,* ad Deũ clamaui : & *ſcio quòd nihil aduerſum me hoſtes poterunt, ſed* Dominus ſaluabit me.

Veſpere, & manè, & meridie narrabo, & *tum quidem ſuſurrãdo, tum autem alta ac reſonanti voce* annunciabo *illi pericula mea, precaborq́ʒ inſtanter vt ab iis me liberet,* & exaudiet, *ſat ſcio,* vocẽ meam.

Et redimet *ac* in pace *collocabit* animam meam, *liberans eam* ab his qui appropinquant *& imminent* mihi, *vt bellum mihi inferãt*: quoniam *tametſi* inter multos *hoſtes verſor*, *qui* erant *contra me, plures tamen ſunt numero qui ſtant* mecũ *& pro me.*

Exaudiet, *inquam*, Deus *deprecationem meam,* & humiliabit *ac affliget* illos *is* qui eſt, *& in cælis habitans rebus omnibus præſidet; iam inde ab initiò* ante *omnia* ſæcula. *Ita profectò res eſt* Sela.

Non enim eſt *vlla ſpes de* illis, *nec* commutatio *in iis à malo ad bonum*, & non timuerũt *nec timebunt vnquam* Deum *quemadmodum deberent: & ideò* extendit *Dominus* manum ſuam in retribuendo, *vt pro meritis eos caſtiget.*

Nam vide quid fecerint: miſerunt ſceleratas manus ſuas in eum quem Dominus ipſe pace ac fœdere ſuo comprehenderat, & cum quo amicitiam ſemper ſimularant: contaminauerunt *perfidia ſua* teſtamentum *& pactum* eius, *quod ipſi quoque ſeruare promiſerant : denique qui princeps inter eos eſt, ita*

ſimulatè

ſimulatè ſe geſſit, vt ſi os & verba ſpectes, quæ quouis butyro leniora gerit, diceres : ecce iam diuiſi ſunt, *& penitus recèſſerunt* ab ira, *minacia ora &* vultus eius:*ſi autem res & facta, contrà prælium meditatur,* & *iam ad pugnandum* appropinquauit *& ſe præparauit* cor illius.

Etenim molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, *ſi quidem exteriorem ſpeciem eorum ſpectes:*& *tamen ſi reuera eos conſideres, nihil aliud* ipſi ſunt *quàm gladij*, *&* iacula *acutà*.

4. *Quæ quidem cùm ita ſe habeant, ne ponas vnquam, ô anima, in hominibus ſpem tuam: ſed ſi quid eſt quod tibi ſit moleſtum, ſuoq; pondere te premit*, iacta *ac penitus coniice* ſuper Dominum curam *ac ſarcinam* tuam, & ipſe te *ita vt oportet gubernans, ſuſtentabit ac* enutriet : & non dabit in æternum fluctuationem iuſto, *vt ſemper à malis oppreſſus, penitus labaſcat ac ſuccumbat.*

Cæterùm quantum ad impios ac ſceleratos attinet, tu verò Deus deduces *ac præcipitabis* eos in puteum *foueæ, ac voraginem* interitus.

Atque ita viri ſanguinum, & doloſi, *qui in manu ſanguinolenta & fraudibus ſuis confidunt*, non dimidiabunt dies ſuos, *ſed immatura morte peribunt, dum numquam ad moriendum ſe componunt, quantumcunque ætate ſint prouecti :* ego autem *non in alio* ſperabo *quàm* in te *vno ô* (Domine.)

EXPLA-

Explanatio.

In ciuitate] Quemadmodum ciuitas Dei, iustitia; ita ciuitas Diaboli, iniustitia plena est: quæ tum quidem aperta vi grassatur in dictis ac factis, quæ sunt duo grauissima vitia quæ in hominum conuictum incidunt; tum autem tacita fraude per vsuram & dolum, quæ sunt duo maxima mala quæ in commerciis hominum intercedunt.

Psalmvs LV.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, pro *columba muta, quæ procul auolauerat, & constituta erat in locis longinquis à terra sancta; nec nō pro* populo qui à sanctis longè factus est, *missus Psalmus* Dauid, *vt decantetur ad modulos cantilenæ, quæ* in tituli inscriptione *habet Michtam, quem fecit* cùm *comprehenderunt &* tenuerūt eum Allophyli *siue alienigenæ Philisthæi* in Geth.

Argumentum.

1. Implorat Rex Dauid auxilium Dei contra hostes, dicens ea re fretum se non metuere quid faciat homo. 2. Qui quidem licet multa moliatur, nihil tamen efficiet, sed contrà ipse peribit. 3. Vnde ad Deum conuersus, rogat vt ita fiat, & vota sua quæ pro salute præstita vouit, persoluat.

1. Miserere mei Deus, quoniam conculcauit *& absorbere* me *vult* homo: tota die *sine intermissione* impugnans tribulauit, *& in angustiam redegit, & penitus oppressit* me.

Conculcauerunt, *inquam, & absorbere studuerūt* me

me inimici mei tota die, quoniam multi *insidiatores & bellantes* aduerſum me, *ô Excelſe.*

Certè Domine, quoties ab altitudine *& locis ſuperioribus me oppugnabũt, quod omni parte* diei *faciunt, non potero omittere quin* timebo: *ſed tamen rediens* ego *ad me, &* verò *rem vti oportet expendens, mox abiiciam omnem timorẽ, &* in te ſperabo.

In *te, inquam,* Deo *fiet proculdubio quod aliquando* laudabo *& approbabo hos* ſermones meos *tanquam bene factos: quibus boni conſulens quicquid à te mihi immittitur, dico quòd* in *te* Deo *immortali* ſperaui, *&* non timebo quid faciat mihi caro *mortalis: nam proficiſcuntur hi ſermones mei ex promiſſione & ſermone tuo de auxilio mihi contra hoſtes præſtando, quod non dubito quin ſis facturus.*

2. *Enimuero illi* tota die verba mea execrabantur, *& calumniantur quicquid dicam & faciam: &* aduerſum me *ſunt* omnes cogitationes eorum in malum, *vt me funditus perdant.*

Inhabitabunt *& congregabuntur inter ſe,* & abſcondent *ſe, vt deliteſcentes inſidias mihi parẽt:* ipſi calcaneum meum *& omnia veſtigia mea* obſeruabunt, *vt vitam mihi auferant.*

Sed ſicut *ipſi* ſuſtinuerunt *& exſpectant* animam meam *vt eam tollant; an ita, tu Domine, illis peccãtibus eris auxilio, vt euadant pœnam? non profectò, nequaquã: nam hoc plus quàm iniquum eſſet: ſed cõtrà omnes conatus eorum eludes, &* pro nihilo *eos duces, nec vllo modo* ſaluos facies illos, *&, quod*

magis est, in *iusta* ira *tua omnes illos* populos confringes,*ac tanquam de gradu deiicies.*

Tu,ô Deus,*omnes fugas meas ab hostibus numeratas habes*:*nam omnem* vitam meam annunciaui tibi,*&* posuisti *omnes* lachrymas meas in cõspectu tuo,*quas tanquã in vtriculo quodã in vnum collegisti, & in libro rationũ tuarũ scripsisti. Annõ ita est?*

Ergo sicut & in *libro de* promissione tua *manifestè exstat*, *ita nihil dubito quin* tunc conuertentur *continuò* inimici mei retrorsum.

Vbi auxilium tuum implorauero,in quacunque *tandem* die *fuerit qua* inuocauero te , ecce *enim iam certè* cognoui,*&* *habeo penitus exploratũ*,quoniam *tu* Deus meus es.

Quare in *te* Deo laudabo verbum *meum*, in *te* Domino laudabo sermonem *meum*,*quo boni consulens quicquid à te mihi accidit*,*dixi*: in Deo speraui,non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus *& ob oculos mihi semper versantur*,*& ad onus meum pertinent* vota tua,*qua tibi voui*:quæ *equidem sine dubio* reddam *ac persoluam in sacrificio longè gratissimo* , *quod est*, *cùm canuntur* laudationes *& gratiarum actiones* tibi.

Quas vtique ipse canam,quoniam eripuisti animam meam de morte, *quam hostes minabantur*;& pedes meos de lapsu *peccati*,*quod Diabolus machinabatur*: vt *viuus incedam*,*& purus à peccato* placeam coram *te* Deo in lumine viuentium ; *qui cognitione tui illustrati*, *in te solo viuunt.*

Explanatio.

In lumine viuentium] Viuentium in Deo duplex esse lumen suprà diximus: vnũ intellectus; veluti cùm dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuũ, & lumen semitis meis. alterum claritatis vitæ ac morum; vt cùm dicitur: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.

Psalmvs lvi.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, *missus Psalmus*, *quem tibi Domine*, ne disperdas *ipsum*, *fecit* Dauid *vt cantetur ad modulos cantilenæ*, *qui* in tituli inscriptione *habet Michtan*, *& cecinit eum* cùm fugeret à facie Saul *regis Israël* in speluncam.

Argumentum.

1. Iacens in spelunca vir sanctus cùm eum Saul persequeretur, implorat Dei auxiliũ: quod certò ita sperat futurum, quemadmodum sæpe factum est, quantumcumque hostes ferociant. 2. A quibus vt liberetur iterum orat: vt quemadmodum olim, ita & nunc gratias Deo agere possit. 3. Ad quam rem seipsum excitat, & de salute accepta gratias agit.

1. Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te *sperat ac prorsus* confidit anima mea.

Et *tanquam pullus* in vmbra *ac tegmine* alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas, *& tempestas calamitatum quibus nunc premor.*

Clamabo ad *te* Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi, *& perficit quod in me ad*

cor meum *ad similem triumphum agendum de victoria quam certò mihi præbebis*: cantabo *voce*, & psalmum dicam *in instrumentis musicis tibi* Dño.

3. *Ad quod faciendum* exsurge *& expergiscere, ô anima, omnisq; virtus &* gloria *mea*, exsurge, *tu*; psalterium & cithara: exsurgam *enim primo* diluculo *& ipsam auroram excitabo.*

Et cõfitebor *ac cantabo* tibi in populis Domine, *acceptam tibi ferens salutem meã*, & psalmũ dicam tibi in gẽtibus, *prædicans apud omnes laudẽ tuam.*

Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia *& bonitas* tua *in me adiuuãdo*, & vsq. ad nubes veritas *& iustitia* tua *in promissis seruãdis.*

Quare exaltare *& effer te* super cælos, *ô* Deus, & *expandat se* super omnem terram gloria tua.

EXPLANATIO.

Dentes & arma] Quemadmodum feris animantibus, ita & armis & sagittis, quibus hominibus nocetur, mali comparantur.

PSALMVS LVII.

Titulus.

In finem, *siue ad summũ præfectum chori musici, missus Psalmus, quem tibi, ô Domine*, ne disperdas *eum, fecit* Dauid, *vt cantetur ad modulos cantilenæ, quæ* in tituli inscriptione *habet Michtam.*

Argumentum.

1. INuehitur Dauid in hostes suos primores reipublicæ, qui Sauli adulabãtur, quos in malo suo vsque adeò iam inde à natiuitate

inueteratos ait, vt ne audire quidem velint id quod rectum est. 2. Cæterùm, quantumcumque callidi videntur, fore tamen, & quidem breuissimè, vt in nihilum à Deo redigantur. 3. Quod videntes iusti, in sanguine eorum manus suas lauabũt, & Deum bonorum & malorum iustum remuneratorem esse agnoscent.

1. SI verè vtique *vos senatores, qui conuentum & concilium ciuitatis constituitis*, iustitiam loquimini, *&* rectè *meditamini in cordibus vestris; secundùm hoc ipsum iustè quoque & ex bono & æquo* iudicate *vos* filii hominum *ac primorum, qui nobilitate præcellentes, rempublicam regitis ac gubernatis*.

2. *Sed sanè res longe aliter se habet:* etenim, *quantum ad animum intus attinet*, in corde iniquitates operamini: *& quantum ad facta externa*, in *omni* terra *ac republica* iniustitias manus vestræ cõcinnãt *& appendũt; dum non æqua sed iniqua lance res & causas (& id tamẽ sub specie iustitiæ) trutinatis*.

Alienati *enim* sunt *isti* peccatores *& impii à Deo iam inde à tempore quo concepti fuerunt à matre in* vulua, *&* errauerunt *in omnibus viis suis* ab *eo vsq; tempore quo editi fuere ex* vtero: *unde* locuti sunt *semper* falsa, *ac mendacia fuco plena*.

Furor illis *est & venenum* secundùm similitudinem *iræ ac veneni* serpentis, *non communis quidem, sed* sicut aspidis surdæ, & *per astutiam* obturantis aures suas; *quarum vnam terræ admouet, & alteri caudam inserit*.

Quæ *quidem ne deposito veneno innocua fiat*, non exaudiet vocem incantantium, *& suauiter murmurantium*, & *non auscultabit ad carmina* venefici

nefici incantantis, *quantumcunque incantet, ac verba ad hoc pertinentia in vnum iungat artificiosè ac* ſapienter.

2. *Cæterùm quantumuis callidi in malitia ſua videantur, nihil ſani conſilij aut admonitionis admittentes*, Deus *tamen* conteret dentes *& conatus* eorum in ore ipſorum, molas *horum catulorum* leonum, *qui tantopere nunc ferociunt*, confringet Dominus.

Diſſoluti ac liquefacti ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens, intendit *Dominus* arcum ſuum, *& parauit ſagittas quibus eos iaculetur*, donec *omnes* infirmentur *ac pereant: & ſi quas ſagittas ipſi emittēt, fient inter volandum ac ſi eſſent confractæ.*

Sicut cera quæ fluit, *& limax qui inter repēdum colliqueſcit*, auferētur *ac pertranſibunt:* cecidit ſuper illos ignis *de cælo, quo mox conſumentur*, & *non apparebūt non magis quàm abortiuum mulieris, aut talpæ, quæ vno momento erūpentes è terra, & iterum ſe condentes*, non viderunt ſolem.

Imò priuſquam *fieret vt* intelligerent ſpinæ veſtrę *& creſcerēt in* rhamnum, *quod minùs ſit quàm momento temporis, cùm idem ſint ſpina & rhamnus, & non niſi ſono nominis differant, aut priùs etiā quàm ollæ veſtræ ſentirent ignem rhamni accenſæ, quæ illi ſit ſubiecta, quod in inſtanti accidit, diſſipabūtur planè ac peribunt iſti impij ac peccatores: nam* ſicut *crudum quid & immaturum, & carnes quæ*

adhuc viuentes *deuorantur*: ſic in ira *& cum vehementi turbine ac tempeſtate* abſorbet eos *Dominus, & tanquam poma de arbore decutit.*

Atque ita lætabitur iuſtus *in Dei gloria ac potentia*, cùm viderit vindictã *quam de malis & impiis Deus ſumet*: manus ſuas, *ac pedes*, lauabit *præ lætitia* in ſanguine peccatoris *& impij.*

Et dicet homo, *& percontabitur apud ſe*, ſi vtiq; eſt fructus iuſto *de iuſtitia ſua: & concludet ac dicet*, vtiq; eſt Deus, iudicans eos *(cùm ſit Iudex iudicum) & dans vnicuique iuſto & iniuſto pro meritis ſuis* in terra.

Explanatio.

Non exaudiet] Vltimum in malis, eſt non audire velle bonum.

Psalmvs LVIII.

Titulus.

In finem, *ſiue ad ſummum præfectũ chori muſici, miſſus Pſalmus, quem tibi, ô* Domine, ne diſperdas *eum, fecit* Dauid, *vt cantetur ad modulos cantilenæ, quæ* in tituli inſcriptione *habet Michtam, idq;* quãdo miſit Saul, & cuſtodiuit domum eius, vt interficeret eum.

Argumentum.

1. Obſeſſus vir ſanctus domi ſuæ à militibus Saulis, implorat Dei auxilium: 2. A quo mox ſe exauditum ait, nihilque hoſtes facturos. 3. Quos non vno impetu, ſed paulatim perire optat,

optat, vt resipiscant, & Deum agnoscant. 4. Et conferens se cum illis conatus eorum irritos fore dicit: se verò ob liberationem gratias Deo acturum.

1. ERipe me de inimicis meis Deus meus, *qui trinus es & vnus*, & ab insurgentibus in me libera *ac protege* me.

Eripe, *inquam*, me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum, *qui manus habent sanguinarias*, salua me.

Quia ecce *insidiis positis* ceperunt animam meam: & *conspiratione facta*, irruerunt in me *homines* fortes *ac feroces*.

Atque eius rei causam neque iniquitas mea *illis præbuit, quasi vlla re à me sint læsi*; neque peccatum meum *aduersum eos*, Domine; *quoniam* sine *vlla* iniquitate *semper* cucurri & direxi *gressus meos: sed illi nõ alia re quàm sola sua peruersitate incitati, cursitant & parãt ac instruunt se ad me inuadendũ.*

Quod considerans, exsuscita te & exsurge, *quæso*, in occursum meum, *vt mihi assistas*; & vide *quid isti homines moliantur*: & *cùm* tu Domine *sis* Deus virtutum *ac exercituum*, Deus, *inquam*, Israël;

Expergiscere, amabo, & intende ad visitandas omnes *istas* gentes *sceleratas ac peruersas, &* non miserearis *cuiusquam ex* omnibus qui *obstinatè & malitiosè* operantur iniquitatem. *Eia eia* Sela: *iam sentio Deum mihi propitium: tollamus vocem altius.*

2. *Venient illi quidem obsessum domum meam*

summo mane, *&* côuertentur *ac redibunt* ad vesperam, & *latrabunt*, *ac* famē *cupiditatis suæ* patientur, vt *rabiosi ac famelici* canes, & circumibunt *totam* ciuitatem *ad me comprehendendum*.

Et, quod amplius est, ecce loquentur in ore suo *multa scelerata ac nefanda contra me*, *quibus id abundabit*, & *erit tanquã acutus* gladius in labiis eorum: *quod tanto faciunt audacius*, quoniam *si quis eos reprehendat*, *continuò respondent*, quis audiuit? *& sic liberè effutiunt quicquid volunt*, *quasi nemo esset qui audiret*.

Sed tu, Deus meus, *aduersum hæc omnia mihi eris adiutor*, & tu Domine deridebis eos, *subsannabis eos*, *&* ad nihilum deduces omnes *istas* gentes *malas & impias*.

Et omnino fortitudinem meam, *si quod robur ego habeo*, *quod tibi acceptũ fero*, *non exseram solus absq́ te*, *sed* ad te *& in aduentum vsque tuum* custodiam *ac reseruabo*; *vt tunc viribus aduersarij mei*, *vires tuas opponam*: quia *tu*, Deus, susceptor *& protector* meus es, *& eleuatio mea*. Deus, *inquam*, meus *ipse est*, *&* misericordia *ac bonitas* eius præueniet *& anteuertet* me; *ita vt priusquam vel parem me ad resistendum hostibus*, *ipse iam confecerit eos*.

3. *Dum enim hæc loquor*, *ecce iam* Deus ostendit mihi *& videre me fecit quæ volui*, super inimicos meos: *cæterùm* ne occidas eos *subitò Domine*, nequãdo, *sublatis illis è medio*, obliuiscatur *statim* populus meus, *cui me Regẽ designasti*, *factũ tuum*,

nec

nec illi ampliùs seruiant pro exemplo virtutis & potentiæ tuæ.

Sed vt quàm diutissimè memoria rei duret, disperge *ac dissipa* illos in virtute *ac fortitudine* tua, *sic vt incertis sedibus huc & illuc vagentur*, & depone *ac deiice* eos de *statu suo, tu, qui* protector *& clypeus* meus, *es* Domine.

Idq́ propter delictum oris eorum, *quo malè de te & me sunt locuti*; *& propter elatum ac fastuosum* sermonem labiorum ipsorum, *quo supra cunctos se efferebant: vt sic capiantur* & comprehendantur in superbia sua.

Sed & de exsecratione & mendacio *interim* annunciabuntur, *& conuincêtur, manifesteq́ in eo deprehendentur, vt omnes intelligant* in cõsummatione *ac perditione eorum id nõ alia re fieri, quàm quia circa te contumeliosè versati sunt, & blasphemantes veritatem, non nisi mendacia docuerunt: qua ratione accidet, vt hominũ exsecratio facti, lenta tabe* in ira *ac furore* cõsummationis *tuæ cõficiantur, donec paulatim omnes perierint* & *ampliùs* nõ erunt.

Et *sic* scient *tam ipsi qui antè tam elatè ac contumeliosè se gerebant, quam reliqui mortales omnes*, quia Deus dominabitur, *& princeps est populi* Iacob, & *omnium* finium terræ. *Eia eia triumphe* Sela, *ita profectò res est.*

4. *Quin si illos & me inuicem compares, ecce illi manè, vt antè dixi, ad me circumsidentes exeuntes* conuertentur *& redibunt domum suam re infecta* ad vespe-

vesperam, & *latrabunt, ac* famem *inexpleta cupiditatis suæ* patientur, vt *famelici ac rabiosi* canes, & circuibunt *totam* ciuitatem, *tumultuantes aduersum me.*

Et dum hoc facient, passim vagabuntur ipsi *&* dispergentur *per omnes vrbis angulos, vt & hospitia inueniant* ad manducandum: *&* si verò non fuerint saturati, *frement* & murmurabunt, *famelicíq; concedent dormitum.*

Ego autem *contrà celebrabo ac* cantabo fortitunem tuam, *Domine, qua eos confecisti;* & *exsultãs laudabo &* exaltabo *summo* mane misericordiam *ac bonitatem* tuam, *quam mihi ostendisti.*

Quia factus es susceptor *&* *protector* meus, & refugium meum, in die *angustiæ &* tribulationis meæ.

Tu es, inquam, fortitudo mea, & adiutor meus: tibi *cantabo ac* psallam, quia Deus susceptor *& protector* meus es, Deus *auctor ac thesaurus* misericordiæ *& bonitatis* meæ.

EXPLANATIO.

Eripe me] Gerit in hoc Psalmo Dauid Christi personam, quem in horto Iudæi obsessum rapiebant, & morti tradebant, sed tertia die resurgebat.

Dispergentur] Hîc prædicit fore, vt Iudæi, grauioris pœnæ causa, ob mortem Christo illatam, non statim omnes pereant, sed per multas gentes dispergantur.

PSALMVS LIX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt ad instrumentum quod vocatur Susam siue Rosã, vel* pro iis qui cõmutabuntur, *& ad modulos cantilenæ, quæ* in tituli inscriptione *incipit Michtam, cãtetur* ipsi Dauid *hic Psalmus* in doctrinam, *quem fecit* cùm *iratus* succendit Mesopotamiam, *siue aram fluuiorum* Syriæ & Sobal, & conuertit Ioab, & percussit Idumæam in valle Salinarum *vsque ad* duodecim milia.

Argumentum.

1. REx Dauid orans pro felici be'li successu, dicit Deum sæpe quidem populo suo durum fuisse ob peccata, sed mox eius misertum, benignum se illi præbuisse: quod vt & nunc facere velit, precatur. 2. Vnde Deum in spiritu loquentem inducit, quo pacto iam omnes populos vicinos sibi subiecerit. 3. Quod cùm ita se habeat, vt & reipsa ad effectum deduci possit, optat.

1. DEus, repulisti nos *aliquando abs te*, & destruxisti *ac dissipasti* nos: iratus es *factus aliquoties*, & *tamen semper rediens iterum & conuertens te ad nos*, misertus es nobis.

Itaque & nunc quoniam commouisti, *& tremere fecisti* terram, & *diruptione facta* conturbasti *& quasi hiare fecisti* eam: *refice iterum, &* sana contritiones *& rupturas fissurasq;* eius: quia *sic* commota est, *vt planè vacillet, & ruinam minari videatur.*

Osten-

Oſtēdiſti *iam* populo tuo, *& exhibuiſti ei* dura *miſerandaq́ʒ ſpectacula*: potaſti nos vino *non hilaritatis, ſed* compunctionis, *quod pauoris & anxietatis amaritudine & veneno eſt plenum.*

Quare quemadmodum olim dediſti *& erexiſti* metuentibus te, *& ſanctum tuum nomē colentibus, certam* ſignificationem *& ſignum tanquam vexillum*, vt *id conſpicientes, & ſub eo militantes*, fugiant *ac ſalui euadant* à facie arcus *inimici, &, quod magis eſt, erigerent ſe, & praualerent aduerſum eos, iuxta veritatem promiſſionum tuarum: nam ſic illis eras pollicitus. Ita ſanè res eſt* Sela.

Ita & nunc, quaſò, facito, vt liberentur *hoc modo, & eripiantur ex omnibus periculis* dilecti tui : ſaluum *me* fac, *inquam*, dextera tua, & exaudi me, *votiſq́ʒ meis reſponde.*

2. *Sed ecce dum hac precor & oro*, Deus locutus eſt *mihi* in *Spiritu* ſancto ſuo, *ad hunc modum: deponens iram meam ac triſtitiam*, lætabor, *inquit*, & partibor *in hæreditatem meam* Sichem; & conuallem tabernaculorū *Suroth tanquam meā* metibor.

Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim fortitudo capitis mei, *in qua præcipuam vim bellicam conſtitutam habeo.*

IudaRex meus, *quem ducem ſub me feci, ac legiſlatorem ſuper populum meum, &* Moab olla *eſt* ſpei meæ, *quo tanquam vaſe lotionis pedum meorum vtor, ſi quando peregre rediens, laſſus ad ſperatum domicilium reuertor, adeò in omnibus vel abiectiſ-*

abiectissimis mihi obtemperant.

Sed & in Idumæam extendam calciamentum meum, *vt imperio ac pedibus meis eam subiiciam:&* mihi *iam Palestini* alienigenæ subditi *ac confœderati* sunt, *& cum plausu me suscipiunt.*

3. *Quæ quidem cùm ita se habeant, ô Domine,* quis deducet me in ciuitatem *istam* munitã, *quam tanto tempore iam teneo obsessam:*quis deducet me vsque in Idumæam, *cum qua tamdiu bellum gero?*

Nonne tu Deus, qui *hactenus* repulisti nos, & nõ egredieris Deus *vel tandẽ* in virtutibus, *& cum exercitibus* nostris: *vt te ducem nostrum præbeas ad expugnandam Idumæam, in quam te calciamentum tuum extensurum dixisti?*

Da *igitur tu, obsecro,* nobis auxilium de tribulatione: quia vana *& inanis est* salus hominis.

In *te* Deo faciemus virtutem, *& robur ac fortitudinem habebimus ad rem bene gerendam,* & ipse *conculcabit &* ad nihilum deducet *inimicos* tribulantes nos.

EXPLANATIO.

Partibor Sichem] Verè ad Christum hæc referre possimus, qui vi Euangelij cunctos populos sibi subiecit.

PSAL-

PSALMVS LX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, vt in hymnis, *& cum plausu manuum, ad instrumentum quod vocatur Neginoth, cantetur hic Psalmus* Dauid.

Argumentum.

1. Petit exaudiri vir sanctus à Deo, quemadmodum semper. 2. Quod iam tum cùm loquitur, ita factum esse, perpetuaque felicitate in Domino se fruiturum, ait.

1. EXaudi Deus *clamorem ac* deprecationem meam, intende orationi meæ.

A finibus *enim vltimis, & extremo* terrę *Iudeæ, vbi tanquam exsul delitesco, semper* ad te clamaui, dum anxiaretur, *& quasi collaberetur, penitusq́ deficeret* cor meum, *& tu* in *excelsam* petram, *quæ longè altior me erat, & quò meis viribus nequaquam poterā euadere, semper* exaltasti me, *vt ab hostibus ibi tutus esse possem.*

Deduxisti me, quia, *inquam, quibuscumque in periculis sum versatus, tu omni tempore* factus es *& reipsa fuisti protectio &* spes mea: *fuisti, dico, mihi* turris fortitudinis à facie inimici, *& aduersus eum, ne me expugnaret.*

Quod cùm ita sit, & in posterum fretus bonitate tua, non dubito quin breui ab hoc exsilio reuertar, & inhabitabo in tabernaculo tuo in *omnia & per*

omnia

omnia ſæcula, *ibique tanquam pullus confidam*, *ac* protegar, *ac deliteſcam* in velamento alarum tuarum. *Eia eia triumphe:ita profectò res eſt* Sela:*tollamus vocem altiùs*.

2. Quoniam *ecce vti ſemper, ita etiam dum hæc loquor, iã nunc* tu Deus meus exaudiſti orationem meã, *& vota mea, &* dediſti *hoc regnũ in* hęreditatẽ *mihi, & poſteris meis*, timentibus nomen tuum.

Quin & dies *alios* ſuper *alios* dies Regis *vncti tui* adiicies, *&* annos eius vſque in diem generationis & generationis *produces, & tanquam connexionem diuerſarum generationum ſtatues.*

Atque hoc modo ſedebit, & iam nunc reipſa permanet in æternum in conſpectu Dei, *perpetuò felix ac beatus:nam* miſericordiam *in peccatis mihi condonandis*, & veritatem eius *in promiſſis mihi præſtandis*, quis *vnquam* requiret *aut deſiderabit in me, quaſi ea ſim deſtitutus? certò nemo: nam ſemper vtrumque præparatum habet, vt iis me cuſtodiat ac tueatur.*

Quare gratias tibi hac de re agens, Domine, ſic pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi, vt *perſoluam ac* reddam *tibi* vota mea, *quæ tibi pro ſalute voui*, de die in diem.

EXPLANATIO.

In petram exaltaſti me] Quoniam viribus naturalibus ad diuina conſcendere non poſſumus, vt vi diuina Deus eò nos efferat, neceſſe eſt.

Dies super dies] Perpetuum Christi regnum describitur; quod quantum ad ipsum, plenum est gratię in peccatis per misericordiam condonandis, & veritatis in promissis præstandis, & quantum ad nos, tum quidem in veritate fidei consistit erga Deum, tum autem in misericordia bonorum operum erga proximum.

PSALMVS LXI.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, pro Idithum *insigni cantore, vt per eum cantetur hic* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. PRimùm Dauid se Deo dicit esse subiectum, & in eo spem omnem suam reponere, nec vim hostium curare, ad quod seipsum excitat. 2. Deinde & alios omnes hortatur vt non in vanis hominibus nec in seipsis, quantum ad ingenij, corporis, & externa bona, sed in vno Deo spem suam collocent.

1. NOnne Deo *soli* subiecta erit *ex toto* anima mea, *illumq; patienter cum silentio, sineq; vlla querimonia exspectabit & respiciet?* ab ipso enim *omne* salutare meum.

Nam & ipse *solus est* Deus meus, *& tamquam rupes & propugnaculum, scutumq; meum*, & *planè* salutaris meus, *&* susceptor *ac receptator* meus *fortissimus in omnibus aduersis*: *quare* non mouebor *vllis rebus* ampliùs; *aut si qua in re pro imbecillitate humana vacillem, non multum id erit, sed planè exiguum.*

Quod quidem cùm ita se habeat, quousque *tandem*

dem vos homines insani praua cogitantes, insidias mihi struitis,& irruitis in *vnumquemque* hominẽ, *alius in alium? enimuero id dum facitis,nihil aliud agitis,quàm quod ipsi* interficitis vniuersi vos, *& mutuis vulneribus conficimini,sic vt tota vestra respublica* tanquam *ruinam minetur,& similis sit* parieti inclinato,& maceriæ *manu* depulsæ,*quæ iam corruit.*

Verumtamen *ecce vnde nam odium suum conceperint contra me: videntes enim in quanto sim pretio apud Deum,& quomodo omnibus rebus augear ac crescam: propter hoc solum* pretium meum,*in quo ille me habet,dum tantis honoribus me cumulat,inito consilio* cogitauerunt *me* repellere,*& de sedibus meis deiicere: quare profugus ego factus* cucurri,*& errabi per deserta* in *fame &* siti,*ipsi autem mendaciis delectati,& in iis sibi placentes, foris* ore suo benedicebant,& *intus in medio* corde suo maledicebant,*omniáque mala aduersum me machinabãtur. Ita profectò res est* Sela.

Verumtamẽ *vt initiò dixi,tu his rebus nõ cõmota* Deo *soli omnino* subiecta esto anima mea,*eumq; cum silentio sine obmurmuratione respice & exspecta*: quoniam ab ipso *pendet & salus mea, & spes mea, &* patientia mea,*in exspectatione salutis.*

Quia ipse *solus firma mihi petra est, &* Deus meus, & saluator meus,*&* adiutor meus *: quare* non emigrabo, *nec vlla in parte rerum mearũ mouebor aut vacillabo.*

2. In Deo, *inquam,* ſalutare meum, & gloria mea: Deus *robur & tanquam rupes eſt fortitudinis &* auxilij mei, & *omnis* ſpes mea in *ſolo* Deo eſt.

Quod quidem videntes & vos, ſperate in eo *omni tempore, ô vos* omnis congregatio populi: effundite coram illo, *& reponite in ſinum ipſius tota* corda veſtra, *cunctaſq; curas ac ſolicitudines veſtras: nam* Deus adiutor noſter *& ſpes noſtra eſt* in æternum. *Sic ſanè eſt* Sela.

Verumtamen *quantum ad homines attinet, certè* vani *omnino & inanes, imò vanitas ipſa ſunt* filij hominum: *vani, dico, &* mendaces, *atq; adeò mendacium ipſum ſunt* filij hominum, *ſiue illi plebeij ſint, & terræ filij, ſiue nobiles, & à claris viris orti: nam ſi* in ſtateris *eos ponas, & contra vanitatem appendas, ſi quidem putas eos eſſe ponderoſiores, videbis fore* vt decipiant *te* ipſi, *etenim* de vanitate *reipſa comperies multo eam eſſe ponderoſiorem, & ipſa deſcendente, illos adſcendere, etiam ſi omnes ſimul & in vnum & quaſi* in id ipſum *collecti ſint.*

Porrò quantum ad ingenij & corporis vires attinet, nolite *quoque* ſperare in iniquitate, *quæ per dolum & calumniam exercetur*; & rapinas *quæ per vim extorquentur,* nolite concupiſcere: *quoniam & hoc ipſum eſt vanitas, quam appetere nullo modo debetis: & quãtum ad bona fortunæ attinet,* diuitię ſi *fortaſſe vltro quaſi germinantes* affluant, nolite *quoque* cor *iis* apponere.

Sed ſi veram rationem exſequi voletis, ad vnius

Domini

Domini verbum animum erigite : *Etenim* ſemel locutus eſt Deus, *& erit firmum ac ratum* : duo hæc *ab ipſo non ſemel dumtaxat, ſed iteratò* audiui: quia *nimirum* poteſtas *omnium rerum & imperium* Dei eſt, & *quòd* tibi Domine *eſt bonitas &* miſericordia, *& quòd ſecundùm hoc & potes & vis bonis qui in te ſperant benefacere, & malos, qui in rebus vanis ſpem ſuam reponunt, malè perdere:* quia tu *vtique* reddes vnicuique iuxta opera ſua.

Explanatio.

In ſtateris] Quoniam vanitas per ſe malum non eſt, vt antè diximus, peccatum autem malum: meritò homo peccator, ipſa vanitate leuior dicitur.

Psalmvs lxii.

Titulus.

Pſalmus Dauid, *quem cecinit Domino*, cùm eſſet in deſerto Idumęæ, *hoc eſt, in ea parte Iudeæ, vbi eſt deſertum Ziph.*

Argumentum.

1. Degens in deſerto Rex Dauid, non minùs ſe ibi quàm in ipſo templo Deum colere & celebrare ait; qui in omnibus rebus aduerſis eum ſemper defendit. 2. Quare hoſtes nihil aduerſum ipſum valituros, ſed perituros, ſeque Deo gratias acturum, ait.

1. O Deus, Deus meus, *& fortitudo mea es tu:* ad te de *prima* luce vigilo, *& te requiro.* Sitiuit in te, *tanquam ad fontem aquæ viuæ*, anima mea: *cõcupiuit* quã multipliciter, *tamquam*

fame pressa, vt tibi *iungatur*, caro mea.

Idque in terra *hac* deserta *&* inuia, *vbi nihil est quod comedatur*; & inaquosa *ac siticulosa, vbi nihil est quod bibatur: in qua degens licet procul à templo tuo absim*, sic *tamen atque si* in *ipso* sancto, *ac sacra ade tua essem, quotidie* apparui, *& sisto me* tibi, vt viderem *ac contempler apud animum meum fortitudinem ac* virtutem tuam, & gloriam *ac sanctam arcam* tuam, *anhelans ad te haud aliter atque terra hac sicca aquam & humorem appetit.*

Quoniam melior est *bonitas &* misericordia tua super *omnes* vitas, *quantumuis rebus omnibus circumfluentes: quare* labia mea laudabunt te.

Sic benedicam *& celebrabo* te, *etiam* in *hac* vita mea *solitaria*; & *ad eum modum* in nomine tuo leuabo *& extollam ad te, & ad res agendas admouebo* manus meas.

Sicut *si in medio regni mei degens, & rebus omnibus ad vitam necessariis abundans*, adipe & pinguedine *ad satietatem vsq;* repleatur anima mea: *nam* & *tum vel maximè etiam sine cibi & potus deliciis satiabor & pinguefiam, cùm rerum diuinarum contemplatione pastus, te* labiis exultationis laudabit *& canet* os meum.

Atque sic *suauiter degens, semper in his solicitudinibus* memor fui tui, *vel* super *ipsum* stratum meum, *&* in *ipsis* matutinis, *& vigiliis custodiarum noctis* meditabor in te, quia fuisti *auxilium meum, &* adiutor meus.

Et

Et in velamento *ac umbra* alarum tuarum *constitutus, lætus cantabo & exultabo: quoniam vti* adhæsit anima mea post te, *cupiens tibi adhærescendo se seruare, non solùm me non reiecisti, sed vltrò me* suscepit dextera tua, *& sustentauit me, cōtra omnes inimicos meos.*

2. Ipsi verò *frustra & in vanum per falsas delationes ac criminationes* quæsierunt *perdere, & ad nihilum deducere* animam meam, *quia nihil proficient, sed contrà ipsimet morientes* introibunt in inferiora terræ, *& coniecti in fugam* tradentur *vnà cum principe suo*, in manus gladij, partes vulpium erunt, *à quibus mortui dilaniabuntur, & quibus in fugiendo erunt similes.*

Rex verò *Israël, qui hæc loquitur*, lætabitur in Deo, *&* laudabuntur *ac seriò triumphabūt* omnes *de populo* qui *ad ipsum & eius nomen se conferentes* iurant in eo, *dum se illi subiiciunt, & iurant per salutem ipsius*, quia *obstruetur, & quasi iam* obstructum est os loquētium iniqua, *qui per mendacium eum calumniantur, & extrema illi minantur.*

EXPLANATIO.

Deus, Deus meus] Typum hîc gerit Dauid Christi, qui & ipse ob persecutionem Iudæorum in desertum subinde secedebat.

Psalmvs LXIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum praefectum chori musici, decantandus missus* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. IMplorat Dei auxilium vir sanctus contra vim hostium, quos aduersum se conspirasse, & insidias sibi tendere ait: 2. Addens, ad id efficiendum varia illos iniuisse consilia, sed Dominum ea fecisse irrita. 3. Quodquidem alij videntes, ab iis defecerunt, & ad Deum laudandum se conuerterunt.

1. EXaudi Deus *vocem &* orationem meam cùm deprecor, *& calamitates meas cum lamentatione tibi recenseo:* à timore *& minis* inimici, *serua &* eripe animam *vitamq́;* meam.

Protexisti *enim semper, & abscondisti* me à conuentu *& secretis conspirationibus* malignantium, *&* à multitudine *ac fremitu* operantiũ iniquitatẽ.

Quia exacuerunt vt gladium linguas suas, *&* intenderũt *vt* arcum *cum sagitta verba sua virulenta, &* rem amaram, vt *hoc modo* sagittent in occultis *insontem &* immaculatum.

Subitò *& de improuiso* sagittabunt eum, & non timebunt, *nec considerabunt Deum inspectorem & vindicem esse omnium*: firmauerunt sibi, *& animo prorsus obdurato firmissimè inter se constituerũt rem &* sermonem nequam *ac exsecrabilem.*

Et post omnia vltrò citroq́; consultata narrauerunt *ac decreuerunt inter se*, vt absconderent *ac*

tende-

tenderent mihi laqueos *secretos, &* dixerunt, quis videbit eos?

2. *Ad quos intendentes*, scrutati sunt iniquitates, *& quæsierunt varias nocendi occasiones, ambagesq́ue, & modos, & post cuncta deliberata* defecerunt *tandem & destiterunt ab vlteriori deliberatione postquàm diu multumq́ue* scrutantes, *finem denique* scrutinio *imposuerunt, & consultationem suam absoluerunt.*

In qua tractãda, mirum dictu est quo pacto vnusquisque intima quæque sua excusserit, & ad profundum vsque cordis sui inuestigando euaserit: sed tamen ita est, accedet homo *in consiliis suis capiundis* ad cor altum, *& profundissima quæque rimabitur, verùm Dominus mox omnia euertet*; & *coniiciens in eos de improuiso sagittas suas*, exaltabitur Deus *super ipsos.*

Quod quidem cùm & cõtra inimicos meos ostenderit, propriæ sagittæ paruulorum *illorum homuncionum* factæ sunt plagæ eorum: & infirmatę sunt contra *me, & corruerunt in* eos, *& impingere fecerunt illos propriæ* linguæ eorum.

3. *Qua quidem re* conturbati *& attoniti* sunt *ac fugerunt* omnes qui videbant eos: & timuit *ac contremuit* omnis homo *præ rei admirabilitate.*

Et *prædicare cœperunt ac* annunciauerunt opera Dei: & *quæ acciderant, non hominum, sed* facta eius *esse* intellexerunt.

Quare hæc considerans, lætabitur *semper* iustus in

in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur *ea dere & gloriabuntur* omnes recti corde.

EXPLANATIO.

Exaudi] Et hîc typum Chriſti gerit Dauid, contrà quem nihil valuerunt omnia conſilia Iudæorum.

PSALMVS LXIIII.

Titulus.

In finem, *ſiue ad ſummum præfectum chori muſici, miſſus hic* Pſalmus Dauid, *vt ſit in carmen ac* canticum *publicum, & (quemadmodum & fuit poſtea)* Aggæi, Ieremiæ, & Ezechiel, de *re &* verbo peregrinationis *ac* populo tranſmigrationis, quando incipiebant proficiſci.

Argumentum.

1. DAuid tum quidem ſuam, tum autem populi Iſraelitici in Babylonica captiuitate degentis perſonâ gerens, orat Deum vt ab ea per illum liberati poſſit. 2. Nempe qui ſpes eſt omnium bonorũ, & facit in cælo, terra, & mari, omne id quod vult. 3. Vnde turſum ad orandum rediens, reditum in patriam, eiuſque fertilitatem optat.

1. TE *manet ac* decet *laus &* hymnus, ô Deus, in Sion, *qui eſt locus ſolus tuo cultui deſtinatus*, & tibi *ſoluetur &* reddetur votum (in Hieruſalem) *vbi ab exilio hoc, in terram promiſſionis redierimus*.

Tu modò exaudi orationem (meam) *vt id quàm citiſſimè*

citiſſimè fieri poſſit: quo facto, nihil erit dubium, quin mox ad te *celebrandum ac laudandum* omnis caro *& hominum multitudo* venier.

Hactenus quidem, te ſic permittente propter peccata noſtra, verba *& vires* iniquorum *& impiorum hominum* prępualuerunt ſuper nos, *qui ab illis in hoc exſilium deducti ſumus; ſed, vt confidimus, aliquãdo nos reſpicies,* & impietatibus *ac prauaricationibus* noſtris tu propitiaberis, *vt per te expientur.*

O quàm beatus, quem *tu* elegiſti & aſſumpſiſti, *ſic vt tibi propinquus ſit, & iuxta te degat!* inhabitabit *enim* in atriis tuis, *& tecum tota die morabitur.*

Quod quidem cùm nobis contingent, replebimur *& ſaturabimur* in bonis domus tuæ, *vbi* ſanctum eſt templum tuum, *&* mirabile in æquitate: *ſic vt ſuauis illa tua ſanctitas ac bonitas, & terribilis ac admirabilis iuſtitia tua in eo vigeant.*

2. *Secundùm quam vtramque* exaudi, *quæſo,* nos Deus ſalutaris noſter, *tu, qui* ſpes *es* omnium finium terrę, & *eorum qui* in mari longè *ab aliis hominibus diuiſi degunt.*

Tu, inquam, qui præparãs montes *firmas ac ſtabilis eos* in virtute *ac fortitudine* tua, accinctus *vndequaque* potẽtia: qui, *cùm vis,* conturbas profundum maris; *& rurſum, cùm ſic videtur, compeſcis fremitum &* ſonum fluctuum eius.

Turbabuntur, *cùm ita tibi placuerit,* gentes, *& rurſum ſedabuntur cùm voles,* & timebunt *omnes*

qui

qui *vel extremos* habitant *terræ* terminos, à *sanctis ac cælestibus* signis tuis; *quos etiam, cùm sic tibi visum fuerit, per* exitus *stellarum* matutini *temporis*, & *sidera quæ* vespere *apparent*, delectabis *& exhilarabis, efficiesq; vt tam ipsæ stellæ quàm homines earum conspectu excitati, tibi cantent, & nomē tuum summis laudibus celebrent.*

Visitasti *semper, cùm tibi sic visum fuit*, terram *pluuia tua, & irrigasti*, & *quasi* inebriasti eam, *dum auidè aquam appetit & haurit*: *&* multiplicasti *beneficentiam tuam, dum variis modis tibi placet* locupletare eam.

Sed & flumen Dei *Iordanis, quod nomini tuo dedicatum est*, repletum est *aliquando* aquis *per te, sic vt exundaret, & terram sitientem irrigaret : quare* parasti *frumentū &* cibum illorum *qui iuxta flumen habitabant*: quoniam ita *se habet, &* est *natura terræ, &* præparatio eius, *vt flumine irrigata, vberem fructum proferat.*

3. *Quæ quidem cùm ita se habeant, age & nunc quoque, ô Domine, reuocans nos ab hoc exsilio, & in terram promissionis reducens*, riuos *& sulcos* eius *humecta &* inebria: *& descendere faciens aquam in liras eius, sic vt glebæ mollesiant, & æquetur terra*, multiplica genimina *& fruges* eius : *sed & suaui pluuia ac imbribus liquefac eam, & benedic germini ipsius: sic enim* in stillicidiis eius *guttatim cadentibus mirificè* lætabitur germinans, *& fructū suum producens.*

Quod cùm facies, benedices coronæ *& toti circuitui* anni, *sic vt per totum ambitum suum muneribus* benignitatis *ac bonitatis* tuę *ornatus sit*, *& quasi coronatus*: & *quãtum ad terram attinet*, campi tui replebuntur vbertate, *dùm ipsa vestigia tua, quaqua versum in cælis incedis, distillabunt, ac demittent pinguedinem in terram.*

Sed & pinguescent *&* speciosa *fient pascua & habitacula ipsius* deserti *aridi & sicci*: & exultatione, *tanquam vestimento induentur steriles campi, dum læto gramine virescent*, *& gregibus ouium infructuosi* colles *quasi* accingentur.

Et præter hoc, induti sunt *& erunt* arietes ouium *lana sua copiosè*, & valles abundabunt *& operientur* frumento: *denique, quæcunque vbique sunt, omnia vna voce cum summo iubilo ac lætitia* clamabunt, *clamabunt, dico*, *& hilarem vocem edent*, etenim hymnum *gratiarum actionis & laudis tibi* dicent, *& cum clangore canent.*

EXPLANATIO.

Te decet] Secundùm mysticum sensum de Ecclesia hic Psalmus accipitur, quæ liberationem à iugo Diaboli optat, & reditum in veram patriam cęlestem, vbi omnium rerum copia est & abundantia.

PSALMVS LXV.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missum hoc* canticum *cantici siue* psalmi resurrectionis, *pro his qui ab exsilio & captiuitate Babylonica domum sunt reuersi.*

Argumentum.

1. AGit vir sanctus (personam populi ab exsilio redeuntis gerens) gratias Deo de liberatione ab omnibus malis, ter vocem magis ac magis extollens, 2. 3. 4.

1. IVbilate *& clangite* Deo omnis terra; *& quotquot eam incolitis*, psalmum dicite, *& cantate laudes maiestati &* nomini eius, date gloriam laudi eius, *dum eam vbique prædicatis, & in ea sola gloriam vestram collocatis.*

Dicite Deo, quàm terribilia *ac stupenda* sunt opera tua, *& quàm item tu terribilis in iis* Domine: in multitudine virtutis *ac fortitudinis* tuæ, mentientur, *& spe sua frustratos se reperient, cùm* tibi *se opponent*, inimici tui, *putantes se aliquid posse aduersum te, & negantes te Deum esse omnipotentem.*

Omnis terra adoret te *incuruata*, & psallat tibi: psalmum, *inquam*, dicat *ac canat* nomini tuo. *Eia eia triumphe* Sela: *efferamus vocem altiùs.*

2. Venite *quotquot estis mortales*, & videte opera Dei, *videte quàm admirandus ac* terribilis *sit* in consiliis *& factis suis*, super filios hominum, *qui ab Adamo descenderunt.*

Qui

Qui conuertit (*olim*) mare *rubrum* in *terram* aridam, *&* in flumine pertransibunt *homines pede sicco, quemadmodum patres nostri quondam per Iordanem transierunt: quod cùm fiet*, ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur, *inquam*, in virtute *ac fortitudine* sua *toti mundo* in æternum, oculi eius super gentes respiciunt, *obseruantes quid rerum gerant, vt si qui sint rebelles*, qui *eum* exasperant, *& ab ipso deficiunt*, non exaltentur *in se*, *licet* in semetipsis *aliter sibi persuadeant. Ita profectò res est*, Sela: *iterum extollamus vocem.*

3, Benedicite, *dico*, ô gentes, *& laudibus extollite* Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius.

Eius, inquam, qui posuit animam meam *& vestram* ad vitam, *quam ipse nobis tribuit*, & non dedit in commotionem *nec permisit vacillare* pedes meos *& vestros.*

Quod quidem eo magis dicere possum, quoniam *vt explorares qualésnã essemus*, probasti nos Deus *rebus aduersis*, igne nos examinasti *& purificasti*, sicut examinatur *& purificatur* argentum.

Induxisti *& cadere permisisti* nos in *rete ac* laqueum *inimicorum nostrorum*: posuisti tribulationes in dorso nostro, *& angustias in lumbis nostris, dum cathenis vincti circumdamur*, *&* imposuisti homines super capita nostra, *qui quasi iumentis nobis inequitarent.*

Deni-

Denique transiuimus per ignem & aquam, *dum omni genere probationum nos exploras*: & *tandem videns constantiam nostram*, eduxisti nos *pro immensa tua bonitate* in refrigerium, *& terrã istam irriguam, & rebus omnibus abundantem.*

Quare introibo, *vt cœperam dicere*, in domum tuam in holocaustis, *qua cum gratiarum actione tibi offerã*: reddam *ac persoluam* tibi vota mea, quę distinxerunt, *& nominatim expresserũt* labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea.

Holocausta, *inquam*, medullata *& pinguia* offeram tibi, *qua adscendere faciam* cum incenso *ac suffitu* arietum: offeram *& faciã* tibi *in sacrificium* boues cum hircis. *Sic sanè se habet. eia eia triumphe* Sela: *intendamus vocem etiam tertiò.*

4. Vos autem gentes ac populi quos modò cõpellaui, venite, *&* audire: & narrabo *vobis*, *ô vos* omnes qui timetis Deum, quanta *Dominus* fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamaui, *inuocãs eum*: & exaltaui *illum* sub lingua mea, *coniungens laudes cum precibus.*

Idque feci animo puro, & nullius sceleris sibi conscio: *nam cogitabam intra me*, iniquitatẽ si adspexi in corde meo, *& alicuius flagitij mihi sum conscius*, non exaudiet *me* Dominus.

Propterea exaudiuit *me* Deus, & attendit voci deprecationis meæ.

Quare benedictus Deus, *omniq; laude prædicetur*, qui

qui non amouit *nec reiecit* orationem meam, & misericordiam suam *non auertit* à me.

EXPLANATIO.

Iubilate] Mysticè de Christo accipi potest hic Psalmus, postquam resurrexisset à mortuis.

PSALMVS LXVI.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici: vt* in hymnis *ad instrumentum quod dicitur Neginoth, cantetur hic* Psalmus cantici Dauid.

Argumentum.

1. Optat Dauid Dei misericordiam, vt ab omnibus nomen eius celebretur. 2. Quod cum vocis intentione repetens, iam terram fructum suum dedisse ait.

1. Deus misereatur nostri, & benedicat *ac benignè faciat* nobis, illuminet vultũ suum super nos, *ostendens adspectum suum beneuolum ac lucidum* (& misereatur nostri.) *Ita, quæso, facias, ô Domine*, Sela.

Nimirum vt *lumine tuo illustrati*, cognoscamus in terra, *quæ per se tenebrosa est*, viam tuam, *qua secundùm veritatem ambulatur & ad te itur: & pateſiat ac sentiatur* in omnibus gentibus, *qui iam perierunt*, salutare tuum, *& gratia tua.*

Et secũdùm hoc, confiteantur tibi populi Deus, *& cum gratiarũ actione tibi acceptam ferãt salutem*

Q *suam,*

ſuam, confiteantur, *inquam*, tibi populi omnes, *quotquot in vniuerſo orbe degunt.*

Lætentur, *dico*, & *cum laudum tuarum prædicatione* exſultent *cunctæ* gentes *ac nationes*: quoniam *pro immenſa tua bonitate* iudicas populos *non in rigore ſed* in *rectitudine, atq; adeò in* æquitate *ac miſericordia*: & gentes in terra *hac tenebroſa in lumine veritatis tuæ* dirigis. *Eia eia triumphe* Sela, *tollamus vocem altiùs.*

2. Confiteantur, *inquam*, *iterum* tibi populi Deus, *& cum gratiarum actione tibi acceptam ferant ſalutem ſuam*: confiteantur, *dico*, tibi populi omnes: *iam enim te largiente*, terra dedit *germen ac* fructū ſuum; *ex cuius pane viuo, qui de cælo deſcendit, paſcentur omnes gentes.*

Quæ quidem te ac nomen tuum celebrantes, dicūt vna voce: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, *trinus & vnus*, & metuant *ac reuereantur* eum omnes fines terræ.

EXPLANATIO.

Deus miſereatur] Optat vir ſanctus aduentum Chriſti, quem mox veniſſe, terramque fructum ſuum dediſſe ait: eſtque Pſalmus breuiſſimus, maximo myſterio plenus.

PSAL-

PSALMVS LXVII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectũ chori musici, vt hic* Psalmus cantici *cantetur* ipsi Dauid.

Argumentum.

CAnit hoc elegantissimum carmen vir sanctus contra hostes ob victoriam de iis partam. 1. Optans primò vt Deus exsurgat, & concitás homines ad laudes eius prædicandas, enumerat beneficia quæ cõtulit. 2. Vnde deinceps mulieres canentes inducit de spoliorum diuisione, & vrbis sanctæ supra omnes excellentia. 3. Qua de re iterum gratias agit Deo: 4. Quem triumphum agentem introducit, circum quem totus populus circumfunditur: 5. Qui tum quidem Deum precatur & laudat, tum autem alios, vt idem faciant, hortatur.

1. EXsurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à *conspectu &* facie eius.

Sicut *propellitur ac* deficit fumus, *propellantur ac* deficiãt: sicut *liquescit ac* fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores *& impij* à facie Dei.

Et *contrà* iusti *lætantes*, epulentur & exsultent in conspectu Dei, & *gaudeant ac* delectentur in lætitia.

Quod quidem vt exsequamur, age, cantate Deo *quotquot estis sancti ac pij*, psalmum dicite nomini eius, *exaltate eum, &* iter *præparate ac* facite ei qui *orbibus cælorum, tanquam vehiculo, insidens, ab Oriente* adscendit, *& defertur* super occasum:

Dominus, *& Lach, qui solus verè existit, & potest omnia*, nomen illi.

Exsultate, *inquam*, in conspectu eius: *nam id um facietis* (turbabuntur *impij* à facie eius) pat r is, *dico*, orphanorũ, & iudicis *ac vindicis* viduarum, *quos tot iniuriis oppresserunt*.

Deus *enim* in *habitaculo ac* loco sancto suo *est*, *vnde omnia videt*, Deus *est* qui inhabitare facit vnius moris *& instituti homines* in *vna eademq́* domo; *sic vt qui priùs solitarij vixerant, dulci propagatione sobolis in familiam excrescant.*

Deus, inquam, est, qui *pios & iustos* educit *è carcere, cathenis & compedibus* vinctos, in fortitudine *brachij sui*: *&* similiter eos qui *rebelles contra ipsum sunt, &* exasperant *eum, hos ab se abiicit, & procul ab hominibus in locis solis ac desertis aridisq́ habitare facit, ita vt viuentes sint quasi mortui*, qui habitant in sepulchris.

Etenim, ô Deus, cùm *tu* egredereris *& praibas exercitum* in conspectu populi tui, *proficiscẽtis ex Ægypto ad terram promissionis*; cùm, *inquã*, pertransires in desertum *desolatum. Certè verissimum est quod dicturus sum*, Sela.

Tum terra mota est *ac tremuit*; etenim cæli distillauerunt, *& quasi sudarunt imbribus* à facie *& ob præsentiam* Dei: *ipse mons* Sinai *concussus est* à facie Dei, *Dei* Israël, *qui trinus est & vnus.*

Ac quemadmodum tunc faciebas, ita & nunc pluuiam voluntariam *ac tempestiuam copiosamq́*

segre-

ſegregabis,*& ſpeciatim excitabis* Deus hęreditati tuæ *Iſraelitica, qua aliquando quidem afflicta* & infirmata eſt, *ſed* tu verò *ſemper recreaſti ac* perfeciſti eam.

Quare & animalia tua *per greges & armenta* habitabunt in ea: *qua, cùm ad præſidia vitæ ſint neceſſaria, tu* paraſti in dulcedine *ac bonitate* tua *populo tuo* pauperi, ô Deus.

2. *Quin porrò,* Dominus, *concedendo nobis victoriam,* dabit verbũ *& materiam ſermonis, ac cantus mulieribus* euangelizantibus, *qua cum gaudio & laude denunciant quid in exercitu contra hoſtes ſit factum fortiter &* virtute multa.

Dicent enim hæ ipſæ mulieres, Rex *ille* virtutum *& tot exercituum, hoſtis* dilecti *Dei*, dilecti *Regis noſtri, victus prælio fugit, fugit: & direptis bonis eius, iam noſtri occupati ſunt, quonam modo vnuſquiſq; eorum, vxori ſuæ nempe habitatrici,* & *decori ac* ſpeciei domus *ſuæ,* diuidere *poſſit* ſpolia *quæ accepit.*

Ac ſi hactenus ſordidi & pauperes, & in metu hoſtium ſemper verſantes, incommodè & inquietè dormiuiſtis inter ollas fuligine obductas, habentes breuem ſupellectilem: poſt hac eritis ſicut ſi *ſecuri, & nitidi, rebuſq; omnibus affluentes,* dormiatis *accubantes* inter medios cleros, *ac ſortes quæ vobis obtigerint, tanquam ſub vmbra & in medio duarum alarum molliſſimæ* pennæ columbæ *albæ ac* deargentatæ, & *cui* poſteriora dorſi *& alæ* eius *fulgent* in pallore *ac virore* auri.

Etenim dum *profligatis hostibus, ab hæreditate sua* discernit *ac constituit Dominus* cælestis *proprios* Reges *suos, quos regionibus inter se diuisos extendit* super eam: *tum sordibus omnibus depositis, tanquam* niue dealbabuntur *filij Israël, haud secus atque* in *monte* Selmon *fit, qui perpetuis niuibus candet: eritq́ mons Sion* mons Dei, *in quo ipse inhabitet*, mons, *inquam*, pinguis *tanquã Basan, quæ regio fertilissima est, & omnibus rebus abundans.*

Mons, *dico*, coagulatus, *qui tanquam caseus ex multis collibus coadunatus est, & excelsus valde*, mons pinguis *sicut terra Basan:* vt quid *vos alij montes excelsi, qui in vicinia estis, & principes qui in illis degitis*, suspicamini *& exsilitis, bellum mouentes cõtra* montes *illos nostros* coagulatos, *qui ex multis altis collibus inter se iunctis, vt dico, cõstant?*

Inter quos est & mons *Sion*, in quo bene placitum est Deo habitare in eo: etenim *quicquid faciatis ac moliamini, hoc certum habetote, quòd* Dominus *eum* habitabit in finem *vsq; ad perpetuum.*

Nam quòd vos multis curribus armatos aduersum nos in bellum vos108 prodituros minitamini, equidem vnus currus Dei, decem millibus *curruum vestrorũ, & eo ampliùs vsque ad duas myriades, & in infinitum, quantumcumque* multiplex *sit numerus vester, præualet, circum quem innumera versantur Angelorum* millia lætantium, *& canentium Deo laudes: ipse autem* Dominus *medius* in eis *emicat sublimis, haud aliter atq; olim* in Sinai, in *mõte, dico,*

dico, sancto *suo maiestatem suam populo Israëlitico ostendebat.*

Nam tu, Domine, adscendisti in altum, *vt pro nobis pugnares*: cepisti *ipsam* captiuitatẽ, *& duxisti eam captiuam*: *& subiugatis cunctis mortalibus*, accepisti dona in hominibus, *quæ in signum victoriæ & subiectionis cunctæ gentes tibi, à quo priùs datæ & profecta erant, obtulerunt.*

Etenim *non eos solùm qui aliquo modo te nouerunt ac celebrant, tibi adiunxisti, sed & penitus rebelles, &* non credentes *te ipsum verum Deum ac Dominum esse, subiecisti tibi &* inhabitare *te in Sion & verum* Dominum Deum *esse, agnoscere fecisti.*

3. *Quare* benedictus Dominus, *omniq; laude* quotidie *per singulos dies prædicandus: ille post hac* prosperũ iter faciet nobis *in omnibus viis nostris, portabitq; nos, & ingentibus beneficiis ornabit ipse qui est* Deus salutarium nostrorum. *Eia triumphe. ita profectò res est*, Sela: *tollamus vocem altiùs.*

Etenim Deus *ille* noster, Deus *est* saluos faciendi: & *est ipsius* Domini, Domini, *inquam, Dei nostri* exitus mortis, *quippe per quem à morte ad vitam reuocamur.*

Non enim patitur nos ab hostibus opprimi: verũtamen *è contrà* Deus *omnipotens cùm sit*, confringet capita inimicorũ suorum, *& comminuet* verticem capilli *hominum superborum, & erigentium cristas suas, &* perambulantium in delictis suis.

Quippe dixit *nobis* Dominus : *Quemadmodum* ex Basan *miracula mea olim vidistis, cùm potiti maxima victoria Og Regem mea opera occideretis: ita & nunc me* conuertā *ad auxilium vobis ferēdum;* conuertam, *inquam, me tanquam* in profundum maris *rubei, vbi olim Pharaonem cum toto exercitu delebam.*

Vt *hostibus cunctis occidione occisis*, intingatur pes tuus in sanguine *eorum, & rubescat* lingua canum tuorum ex inimicis *tuis, cùm eundem ipsum sanguinem illorum lambent.*

Hac cùm tam ingentia ac magnifica nobis prastiteris, viderunt *omnes mortales, pij pariter & impij*, ingressus tuos Deus, *quibus malis occisis, tam prosperum iter nobis aperuisti*, ingressus, *dico, & incessum triumphalem* Dei mei, Regis mei, qui *habitat &* est in sancto.

Ad quem triumphum celebrandum, præuenerunt *& praibant* principes *cantorum, qui voce cantabant* coniuncti psallentibus, *qui organis musicis canētes, ponè sequebantur, idq;* in medio *puellarum &* iuuencularum tympanistriarum, *qua manibus instrumenta sua pulsantes, vndequaque erant circumfusa.*

Qui omnes vna voce Dominū laudantes, & alios ad id suaui cantu adhortabantur dicentes : Quotquot estis homines sancti ac pij, in ecclesiis *ac cōuentibus vestris* benedicite *ac laudes canite* Deo : *benedicite, inquam*, Domino *quotquot estis* de *duodecim*

decim tribubus ac fontibus *ac venis* Iſraël.

Præter iſtos cantores aderat ibi *quoque* Beniamin adoleſcentulus, *tribus parua numero, & procedens ex minimo natu filiorum Iacob, qui præſidens cantoribus*, in *ſumma hilaritate, & quaſi* mentis exceſſu *verſabatur.*

Aderant etiam principes Iuda *&* duces eorũ *in veſtibus ſuis purpureis, & auro pictis: nec nõ* principes Zabulõ *&* principes Nephtalim, *ſic vt ad ſummã lætitiam ac triumphum nihil penitus deeſſet.*

5. *Atque omnes ſimul pari voce Dominum prædicantes*, manda Deus, *inquibãt, ac precipe fortitudini ac* virtuti tuæ, *& dilecto Filio tuo, vt nobis ſit ſemper auxilio: & ſecundùm id* confirma *ac robora* hoc Deus, quod *tam præclarè cœpiſti &* operatus es in nobis.

Id enim ſi facias, à templo *ſancto* tuo, *quod eſt* in Hieruſalem, *cuius viſendi cauſa omnes gentes eò venient*, tibi offerent Reges munera, *& te Regem Regum, & verum Deum eſſe, ibi confitebuntur.*

Increpa, *inquam, ac diſſipa* feras *illas beſtias, hoſtes tuos, qui magno numero congregati, & lanceis armati*, arundinis *ſpeciem præ ſe ferunt: diſturbetur, dico, abs te, & tributaria facta, cum fruſtis argenti ſupplex obuiam tibi venire compellatur* cõgregatio *illa* taurorum *agreſtium & principum, qui inter vitulos, ac nobiles, &* in vaccis *à plebeiis* populorum *dominantur, eoſq́; concitant aduerſum te ac tuos*, vt *perdant &* excludant *tributiſq́; exhauriant* eos

viros pios ac bonos, qui *per multa experimenta* probati sunt *esse tales, haud aliter atque in* argento *fieri solet*.

Iterum, dico, dissipa gentes quæ bella volunt: *nam si hoc facias*, venient *vltro principes ac* legati ex Ægypto, *pacem abs te postulaturi*, *&* Æthiopia *cum summa festinatione accurrẽs*, præueniet *omnes, vt* manus eius *fœdere iuncta sit* Deo.

Atque id vidẽtes, vos populi, & regna terrę, cantate Deo: psallite, *inquam*, Domino, *quotquot estis mortales. Eia eia, ita facite*, Sela.

Psallite, *dico*, Deo, qui adscendit super cælum cæli, *illiq; tanquam vehiculo insidet* ad Orientem, *iam inde à primo rerum omnium initio*.

Et quantum ad futurum attinet, ecce dabit voci suę, *quam per Verbum suum in hunc mundum est immissurus*, vocem virtutis *ac fortitudinis*; *sic vt quemadmodum cælos, ita & hominum animos commoueat: vos autem* date gloriam Deo, *agnoscentes fortitudinẽ eius* super *populum suum* Israël: *etenim* magnificentia eius, & virtùs *ac robur* eius in nubibus *quotidie apparet, vbi fulgur ac tonitru, vẽtosq; ac tempestates excitat*.

Certè mirabilis *ac terribilis* Deus in sanctis *habitaculis ac templis* suis: Deus, *inquam*, Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus, *dico*, Deus, *& omni laude ac gloria celebrandus*.

EXPLANATIO.

Exsurgat] De triumpho Christi mysticè exponitur apud Paulum hic Psalmus.

PSALMVS LXVIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt ad instrumẽtum quod vocatur Sosannim, siue Lilium, Rosáue, vel* pro iis qui commutabuntur, *cantetur hic Psalmus* ipsi Dauid.

Argumentum.

1. CONstitutus in grauissimis periculis Dauid, petit ab iis liberari, narrans quantas persecutiones iniustè, atque adeò ob Dei cultum patiatur. 2. Aduersum quas quia non mutuis iniuriis, sed oratione ad Deum certat, rogat illum, vt ab iis ipsum eripiat, quoniam vtique videt quàm indignis modis ab inimicis tractetur. 3. Quibus meritas pœnas infligi optat. 4. Quod cùm fiet, dicit se, & omnes bonos, ipsumque adeò cælum ac terram gratias Deo acturos. Gerit hîc Dauid personam Christi in cruce pendentis, vt multis locis videre licet, contigitque ob eum crucifixum Iudæis, id quod hîc iis optatur.

1. SAluum me fac Deus, quoniam *iam* intrauerunt aquæ *malorum & calamitatum* vsque ad animam meam, *ita vt in os ipsum influant.*

Quod amplius est, infixus sum in limo profundi *sub aqua*, & non est substantia, *nec quidquam stabile, vbi consistam, sed demergor magis ac magis.*

Et quidem veni in altitudinem *& summam profunditatem aquarum, tanquam ipsius* maris: & tempestas *superueniens in flumine penitus* demersit,

mersit, *& vndis obruit ac cooperuit* me.

Ad cuius rei remedium inueniendum laboraui *ac defessus iam sum* clamans *ad te, sic quòd aridæ ac* raucæ factæ sunt fauces meæ, *&* defecerunt oculi mei, dũ *in altum suspiciẽs* speroin *te* Deũ meum.

Enimuero multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis, *sine causa, & præter meritum meum.*

Confortati sunt *& penitus inualuerunt*, qui *ad internicionem vsque* persecuti sunt me inimici mei iniustè: *&, quod deterius est*, quæ non rapui, tunc *restituẽs* exsoluebam, *quasi scilicet manifestus essem latro, cùm nihil sim minùs.*

Nam tu, ô Deus, tu, *inquam, optimus es testis, vtrùm quid vnquã aut vitio intellectus, aut morum prauitate peccauerim, nec ne:* scis *enim* insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.

Quæ quidem cùm non ignoras esse nulla, tametsi illi falsò contrà iactitent; non erubescant, *quæso, nec pudore afficiantur* in me, qui exspectant te Domine, Domine *Deus* virtutum *& exercituum, qui omnia potes quæ vis.*

Non confundantur, *inquam, ignominia* super me, qui quærunt te Deus Israël, *dum me pro exemplo allegando, per irrisionem illis obiicitur, frustra te illos innocare, & ad nomen tuum se conuertere.*

Quoniã *& ego de illorũ sum numero qui in te omnes spes, opesq́; suas reponũt, &* propter te sustinui opprobriũ, *&* operuit *rubor ac* cõfusio faciem meã.

Propter

Propter te, dico, alienus & extraneus factus ſum *vel propriis* fratribus meis *germanis, dum tãquam hominem perditum ac ſceleratum me fugiunt ac contemnunt* : & peregrinus *habitus ſum* filiis matris meæ, *qui mihi fratres ſunt vterini.*

Quod ideo mihi contigit, quoniam zelus domus tuæ *totum affecit &* comedit me, *ita vt penitus ferre non poſſim quidquam iniuſtum aduerſum te, & domum tuam perpetrari* : & *ſic* opprobria exprobrãtium, *& iniuriam* tibi *inferentium,* ceciderunt ſuper me, *dum eos de malefactis ſuis reprehendo, & iniuriam tibi factã, tanquã meam, ad animã traho.*

Quare commotus fleui amarè, & operui *ac afflixi* in ieiunio animam meam, & factum eſt *& hoc ipſum* in opprobrium mihi, *dum ob id me deridẽt.*

Sed & poſui veſtimentum meum *ſaccum ac* cilicium: & *multo adhuc magis* factus ſum illis in *fabulam ac* parabolam.

Denique aduerſum me loquebantur *dicteriis etiam ipſi primores vrbis, & negocia publica tractantes,* qui ſedebant in porta : & *compoſitis canticis cum plauſu manuum* in me pſallebant qui bibebant *ſiceram &* vinum.

2, *Aduerſum quæ,* ego verò *non maledictis regerendis certaui, ſed conuerti* orationem meam ad te, ô Dñe, *exſpectans* tempus *recõciliationis, &* beneplaciti *tui, quo me à malis iſtis liberes, ô mi* Deus.

Tu igitur eius rei rationem habens, in multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, *votis meis reſpondens,*

ſpondens, iuua me in veritate ſalutis tuæ, *qua opem & auxilium pollicitus es omnibus inuocantibus nomen tuum.*

Eripe, *inquam*, me de luto *hoc, de quo antè dixi,* vt non *penitus* infigar, *ſic vt extrahi nequeam* : libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum, *in quibus ſum demerſus.*

Non me demergat *aut obruat* tempeſtas *aut fluctus* aquæ, neque abſorbeat me *in voragine* profundum, neque vrgeat *aut claudat* ſuper me puteus os ſuum.

Sed contrà, exaudi me Domine, quoniam *ſuauis &* benigna eſt miſericordia tua: *&* ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum *procedentium ab illa miſericordia* reſpice in me.

Et ne auertas *nec abſcōdas* faciem tuam à puero *ac ſeruo* tuo: *ſed è contrà*, quoniam *grauiſſimè* tribulor, *& in ſumma verſor anguſtia*, velociter exaudi me, *& reſponde votis meis.*

Accedens ad me propiùs, intende, *quæſo*, *curæ* animæ meæ, & libera eam, *& vel* propter inimicos meos, *qui quotidie te blaſphemant, & nihil poſſe aiunt, aut certè nullam mei rationem habere iactant,* eripe *ac redime* me.

Tu *enim* ſcis improperium meum *& opprobrium quod patior*, & confuſionem meã, & reuerentiam *ignominiamq́ʒ* meam, *qua cum pudore afficior.*

Nam in conſpectu tuo ſunt omnes *hoſtes mei, & tu vides cunctos* qui tribulant me, *nec ignoras* *quòd*

quòd improperium *ipsum, quod tam diu* exſpectauit *me, vſque eò tandem ſuperauit, quòd penitus contriuerit* cor meum, & *in ſummum dolorem ac* miſeriam *cum deſperatione me coniecerit.*

Etenim exſpectaui & ſuſtinui, *ánne quis eſſet* qui *commiſeratione motus*, ſimul *mecum* contriſtaretur, & non fuit; & qui cõſolaretur, & non inueni.

Imò &, *quod omnium miſerrimum ac indigniſſimum eſt, eſurienti mihi loco conſolationis* dederunt in eſcam meam fel, *quod pro maximo veneno eſt*, & in ſiti mea potauerunt me aceto, *quod me bibere fecerunt.*

3. *Quod quidem cùm ita ſe habeat*, fiat *contrà* menſa eorum, *quæ* corã ipſis *eſt omnibus lautitiis referta*, in laqueum, *ſic vt deglutiendo cibum, ſtrangulentur*; & *conuertantur conuiuia eorum, in quibus quietem ac voluptatem ſuam collocant*, in retributiones *pœnarum*, & in ſcandalum, *ſic vt mutuis cædibus ſe ibi conficiant.*

Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum *ac lumbos* eorum ſemper incurua, *ac viribus deſtitue, ne recti poſſint ambulare aut incedere.*

Denique effunde ſuper eos *iuſtam indignationem &* iram tuam: &, *quod magis eſt, ipſe ardor ac* furor iræ tuæ comprehendat eos.

Et fiat *palatium &* habitatio eorum deſerta: & in tabernaculis *ac tentoriis* eorum non ſit qui inhabitet *aut conſideat.*

Quoniam *me*, quẽ tu *amãs, & paternè caſtigare volens,*

volens percuſſiſti *nonnihil*, *ipſi planè hoſtiliter & ſceleratè* perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorũ, *quæ tu mihi inflixeras*, *ipſi cõſpirantes inter ſe alia vulnera* addiderunt, *idq́ aliis narrantes de eo etiam gloriantur*.

Quam quidem peſſimam viam iniquitatis quoniam ſemel ingreſſi ſunt, *tu ad pœnam eorum accumulandam* appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorũ: *ſic vt de peccato labantur in peccatum*, & non *reuertantur ampliùs nec* intrent in iuſtitiam tuam.

Et hoc modo deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis, *qui ſoli verè viuunt*, non ſcribantur.

4. *Quod quidem cùm fiet*, ego *qui iam* ſum pauper & dolens, *tum conſeruatus & exhilaratus dicam*, *quòd* ſalus tua Deus ſuſcepit *& erexit* me.

Et laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in *confeſſione ac* laude, *illi ſoli acceptam ferens ſalutem meam*.

Et placebit Deo *hoc ſacrificium laudis* ſuper *ſacrificium bouis*, *& magis quàm ſi illi offerrem* vitulum nouellum, *eumq́ iam tamquam taurum* cornua producentem & vngulas.

Atq́ hæc, obſecro, fac vt videant pauperes *ſpiritu*, & lætentur: *vos autem quotquot eſtis homines pij*, quærite Deum, & viuet *cor, &* anima veſtra.

Quoniam *ſemper* exaudiuit *& exaudiet* pauperes *ac mendicos* Dominus: & vinctos ſuos, *qui nomine illius vincula patiuntur & carceres*, non deſpexit *vnquam nec deſpiciet*.

Sed & laudent illum cæli & terra, mare *totum*, & omnia reptilia, *& se mouentia* in eis.

Quoniam *quantumcumque mali & aduersi patiamur*, Deus saluam *tamē* faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ.

Et inhabitabunt ibi *pij ac sancti*, & hæreditate acquirent *ac possidebunt* eam.

Et semen seruorum eius *hæreditate* possidebit eam: & qui diligunt nomen eius, habitabūt in ea.

EXPLANATIO.

Intrent in iustitiam tuam] Hoc est in te, nam solus Deus ciuitas est & domus iustitiæ: cuius portæ sunt Leges eius, per quas in iustitiam intratur.

Super vitulum nouellum] Quantumcumque magnum est hoc sacrificium externum, longè tamen maius est sacrificium laudis internum, cuius causa externum est constitutum.

PSALMVS LXIX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, *missus hic* Psalmus Dauid, *vt cantetur* in rememorationē, quòd saluum eum fecit, *& vt saluum eum faceret* Dominus.

Argumentum.

IMplorans vir sanctus Dei auxilium, optat 1. malos malè perire. 2. bonos dignis præmiis affici.

1. DEus in adiutorium meum (intende) *vt à malis istis me eripias*, Domine ad adiuuandum me festina.

R Confun-

Confundantur *pudore*, & reuereantur *ignominia affecti*, qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Auertantur, *dico*, statim, *& in ipso vestigio* erubescentes, qui *de me gloriantes*, dicunt (mihi) Euge euge, *iam vicimus eum*.

2. *Et è contrà* exsultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper: Magnificetur Dominus *Deus, quotquot sunt* qui *quærunt ac* diligunt *redemptionem abs te, &* salutare tuum.

Cum quibus & ego verò *me numerans*, *fateor quòd* egenus *per me* & pauper sum, *nec aliter quàm per te saluus fieri possum*: *quare*, ô Deus, *festina &* adiuua me.

Etenim solus adiutor meus, & liberator meus es tu: ô Domine, ne, *quæso*, *diutius* moreris.

EXPLANATIO.

Deus] Optat Dauid pœnas malis, & premia bonis: qui sunt duo vltimi effectus iustitiæ.

PSALMVS LXX.

Titulus.

(Psalmus Dauid, *conscriptus ex persona* filiorum Ionadab, & priorum captiuorum *in Babylonia, vt inde liberentur.*)

Argumentum.

1. INuocaturus Rex Deum, dicit se in illo semper sperasse, & ab illo semper fuisse adiutum. 2. Vnde vt & nunc idem fiat, rogat: 3. Addens,

3. Addens, summas gratias se acturum, si ita fiat: 4. Quemadmodum sæpe, cùm adiutum se à Deo sensit, factum est. Gerit hic Dauid personam Christi Deum collaudantis, & contra persecutiones in vita & cruce orantis, addita mentione resurrectionis.

1. IN te Domine speraui, non confundar, *nec pudore afficiar in spe mea* in æternum: in iustitia tua, *quæso, (nam auxilium inuocantibus te semper es pollicitus)* libera me, & eripe me.

Inclina ad me aurem tuam, & salua me.

Esto mihi in Deum protectorem, *rupemq́ue, & arcem fortem ac firmam*; & in locum munitum, *ad quem confugiam, & in quo iugiter tutus ambulem*: vt *hoc modo, quemadmodum decreuisti*, saluum me facias.

Quoniam firmamentum meum, *tanquam petra*; & refugium meum, *tanquã arx munita*, es tu.

Quare, Deus meus, eripe me de manu peccatoris *impij*, & de manu contra legem agentis, *eamq́ue per fraudem detorquentis*, & iniqui *ac violenti contra eam.*

Quoniam tu es patientia *&* *expectatio* mea Domine: *tu*, Domine, *inquam, es* spes *&* *fiducia* mea *iam inde* à iuuentute mea.

In te cõfirmatus *& innixus* sum ex *eo vsq́ue tempore quo in* vtero *concipiebar*: *&* de ventre *ac visceribus* matris meæ tu *me extraxisti, & inde semper* es protector meus.

Vnde & in te *laus ac* cantatio mea semper: *ac quanquam quidem homines me fugiant, &* tãquam

portentum ac prodigium factus sum multis: *tu tamen numquam me deseris*, *sed contrà semper* & *vbique* tu *spes mea*, *&* adiutor *meus* fortis.

2. Quod quidem & nunc demonstrans, & ex istis malis me eripiens, da occasionem, obsecro, vt repleatur os meum laude, *sic* vt cantem *manè* gloriam tuã, *&* tota die magnitudinem *ac maiestatẽ* tuam.

Ne, *quæso*, proiicias me in tempore senectutis: *&* cùm defecerit *robur &* virtus mea, ne derelinquas me.

Quia *loquentes aduersum me*, *multa* dixerunt inimici mei mihi *opprobria*, & qui custodiebant, *& obseruabant me*, *&* animam meam, *vt insidias vitæ meæ struant*, consilium fecerunt *& conspirauerunt* in vnum,

Dicentes: *Ecce* Deus dereliquit eum: persequini & cõprehendite eum, quia non est qui eripiat.

Quare, ô Deus, ne elongeris à me: Deus meus, in auxilium meum respice *ac festina*.

Confundantur *ignominia* & *amissis viribus suis* deficiant *omnes* detrahentes *ac aduersantes* animę *ac vitæ* meę, *amiciãtur &* operiantur *penitus* confusione & pudore qui quærunt mala mihi.

3. Ego autem *interim* semper sperabo, *& cum summa patientia exspectabo te*: & *qui hactenus nunquam prædicare cessaui*, adiiciam *& addam adhuc amplius* super omnem laudem tuam.

Os *enim* meum *manè* annunciabit *ac narrabit* iustitiam tuam *in promissis seruandis*, *& cantabit* tota

tota die salutare tuum *in piis ac bonis iuuandis.*

Ac quoniam non cognoui *numerum tuorum in me meritorum, nec* literaturam *quæ ad ea particulatim describenda sufficiat, aut qua ipse me queam extollere: referam generaliter, &* introibo *cātu carminum meorū* in potentias Domini; *dicens tam esse immensas, vt nullo sermone comprehendi possint: & oblitus operum meorum*, ô Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius.

Etenim si quid ego habeam aut scientiæ, aut rectè facti, ô Deus, *tu solus es qui* docuisti me, *iam inde* à iuuentute mea, & vsq; nunc: *quare nunquā cessabo, quin* pronunciabo *& annūciabo cunctis mortalibus* mirabilia tua, *quæ à communi hominum intelligentia longè sunt separata.*

Et *id faciam* vsque in senectam, & *canitiem, ac* senium *vltimū: tu modò* Deus ne derelinquas me.

Donec annunciem *fortitudinem ac* brachium tuum generationi omni, *tam præsenti, quàm* quæ ventura est.

Nec non potētiam tuam, & iustitiam tuā Deus, *quæ* vsque in altissima *pertingunt supra omnia* quę fecisti magnalia: ô Deus, quis similis tibi?

4. Quantas *enim* ostendisti mihi tribulationes! *quàm* multas, & *quàm* malas! & *tamen* conuersus viuificasti me, & *tanquam* de abyssis terræ iterum reduxisti me.

Multiplicasti *aliquando* magnificentiam, *& ostendisti potentiam* tuam, *in me castigando, &*

omnibus miseriis augendo, & conuersus *rursum* consolatus es me.

Nam *tantum abest vt tu pios ac bonos vnquam deseras, vt contrà vel minimas calamitates summis felicitatibus resarcias: qua re fit vt admirabilē illam potentiam ac iustitiam tuam nunquam prædicare, & laudibus in cælum extollere desinant: cum quibus* & ego *me coniungens*, cōfitebor *& acceptam feram* tibi in vasis psalmi, *& instrumētis musicis, salutem meam, & celebrabo organis* veritatem tuam *in promissis seruandis*, ô Deus: psallam tibi in cithara, ô *tu, qui* sanctus *& sanctificator es* Israël.

Atque ita vocem cum instrumento coniungens, exsultabunt *& gestient præ lætitia* labia meȧ, cùm *psallens* cantauero tibi; & *perfundetur gaudio* anima mea, quam *pro tua potentia* redemisti.

Sed & *verba instrumentis & voci addens*, lingua mea tota die meditabitur *& loquetur* iustitiam tuam, *quam vtique secundùm veritatem promissorum tuorum nobis ostendisti*, cùm *iam pudore* confusi, & *ignominia affecti*, *ac* reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.

Explanatio.

Potentiam tuā, & iustitiam tuam] Duo summa, id quod est, vnde potentia nascitur; & bonum, vnde iustitia, semper coniunguntur.

Psal-

PSALMVS LXXI.

Titulus.

Pſalmus in Salomonem, *quo David ea illi optat ac precatur, quæ verum Regem ac Principem decent, vt in verum Salomonem, hoc eſt, pacificum, euadat.*

Argumentum.

1. OPtat Rex pater, & vnà cum eo totus populus filio Regi futuro iuſtitiam & iudicium, vt ſecundùm legem Dei populum, ita vt oportet, gubernet. 2. Quod cùm faciet, obedient illi cum ſumma manſuetudine in regnum ſuum venienti omnes fines terræ. 3 Quoniam æquo iure cunctos regens, liberabit pauperes ab oppreſſione potentiorum. 4. Vnde cuncti munera illi offerent, ipſaq; adeò terra fructus copioſiſſimè profundet, ſic vt nomen eius toto orbe longè futurum ſit celeberrimum: 5. Quia de re Deo ad extremum gratias agit.

1. DEus, iudicium tuum, *quo legis tuæ iuſſa exſecutioni mandātur*, Regi da, *qui iam rebus præſidet:* & iuſtitiam tuam, *vnde leges omnes proficiſcũtur*, filio Regis, *qui in regnum pòſt eſt ſucceſſurus.*

Atque id quidem ad hoc, vt, quod proprium munus Regis eſt, iudicare *poſſit* populum tuum in iuſtitia, & *iuſtificare* pauperes tuos, *quorum præ ceteris curam gerere debet*, in iudicio.

Suſcipiant, *dico*, montes, *qui principes ac primores regni ſunt*, pacem *inter ſe, quæ ſoror eſt iuſtitiæ; & ferant eam* populo: & colles, *qui magiſtratus ſunt & iudices*, iuſtitiam; *vt eam plebi cum æquitate adminiſtrent.*

Hæc enim si illi tribuas, iudicabit, *& æquo iure cum diuitibus ac potentibus habebit* pauperes populi,& saluos faciet *ab omni oppressione* filios pauperum,& humiliabit *ac conteret* calumniatorem, *qui legum contortor, bonorum extortor, omniumq́ue defrandator esse solet.*

2. *Et cùm hoc modo se geret, timor illi ac reuerentia exhibebitur vt oportet*, & permanebit *securus in regno suo*,cum sole *ipso*,& ante lunam *in conspectu eius: sic vt quemadmodum cursus eorum, ita & regnum ipsius duret* in generatione & generationem.

Ac descendet *autem in regnum suum, non cum rigore & armorum strepitu, sed suauiter, & cum silentio*, sicut *descendit* pluuia in vellus *pratúmue recèns detonsum*, & sicut *suauis imbris* stillicidia, stillantia *sunt* super terram,*& irrigant eam.*

Ac quemadmodum terra sic humectata gratissimus est sol matutinus superueniens: ita post rempublicam sic constitutam,orietur in diebus eius *verus Sol reipublicæ,quæ est* iustitia: *qua nascente, & iustus vt palma florebit*,& abundantia *erit* pacis,*quæ perpetuò durabit*, donec *mundi cardinibus dissolutis*, auferatur luna,*& quicquid est siderũ cælestium.*

Et *sic ordinata bene republica, & iustitia in eam inducta* dominabitur à mari *Orientis* vsque ad mare *Occidẽtis*,& à flumine *Australi* vsque ad *Boreales* terminos orbis terrarum.

Coram illo procident *in genua* æthiopes *& quot-*

quotquot desertum aridum & siccum incolunt: & inimici eius *subditi facti, puluerem ac* terram lingent, *dum in signum obedientiæ, in conspectu ipsius eam deosculabuntur.*

Reges Tharsis, & insulę *maris*, munera offerẽt: Reges *Sceua, & Seua, siue* Arabum, & Saba, dona adducent.

Et *denique incuruabunt se &* adorabunt eum omnes Reges terrę, *&* omnes gentes *ac populi* seruient ei.

3. *Quæ omnia ideo ei contingent,* quia *iustitiam colens, æquoq; iure cunctos gubernans,* liberabit pauperem *ad se clamantem* à potente, *à quo opprimitur:* & *iuuabit* pauperem, cui *omni ope humana destituto* non erat adiutor.

Ac si quid secus quàm oportet eum fortè facere contingat, non mox pro summo iure pœnas exiget; sed misericordia motus, parcet pauperi & inopi, *qui culpam agnoscens, ad gratiam eius confugit:* & *hoc modo quas è medio tollere poterat* animas pauperũ, saluas faciet, *& in vita conseruabit.*

Quin præterquam quòd vim & oppressionem potentiorum ab illis amouebit, tum & ex vsuris, *quibus tanquam lenta tabe pauperes conficiuntur,* & *fraudulentia ac* iniquitate *qua circumueniuntur,* redimet animas eorum: & *erit* honorabile nomen eorum, *& preciosus sanguis ipsorum* coram illo, *& in oculis eius, sic vt neque vi effundi, neque dolo exsugi patietur.*

4. Et *ad hunc modum se gerens*, viuet *Rex filix ac beatus*, & dabitur ei de auro *Sceua siue* Arabiæ: & adorabunt *ac precabuntur Deum populi eius*, de ipso *ac pro ipso* semper, *&* tota die benedicent ei, *omnibusq́; laudibus eum prædicabunt*.

Sed & *terra fructus virtutibus eius respondebũt: etenim* erit *triticum, quod* firmamentum *est vita hominis* in terra, *in tanta abundantia, vt ex pugillo frumenti sati vel* in summis *cacuminibus* montium, *quæ plerumque sterilia esse solent, maxima messis excrescat, ita vt* superextolletur super Libanum fructus eius, *& concutientur inter se culmina frumenti, & sonum edent haud aliter atque arbores Libani solẽt, cùm vehemẽti vento agitantur:* & *præter hoc ciues eius* florebunt *& multiplicabuntur* de ciuitate, sicut *gramen siue* fœnum terræ.

Et dicent omnes: Sit *gloria Regis nostri, & celeberrimum* nomen eius (benedictum) *& duret* in *æterna* sæcula: *etenim* ante solem *creatum, conceptum fuit, & vnà cum sole* permanet, *& tanquam filiorum procreatio crescet & florescet semper* nomen eius.

Et benedicentur, *ac beatos factos se sentient* in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt *& beatum prædicabunt* eum.

5. *Quibus quidem cunctis de rebus* benedictus Dominus Deus, Israël *trinus & vnus*, qui facit *hæc omnia, & alia cuncta* mirabilia, *& ab hominum sensu remota*, solus, *nulla aliena ope adiutus*.

Et

Et *ſit* benedictum nomen *gloriæ & maieſtatis* eius in æternum, & *ſic* replebitur *gloria & maie-ſtate* eius omnis terra. Fiat, fiat.

EXPLANATIO.

Deus] Deſcribitur hîc regnum Chriſti, & verum optimi Regis officium.

ATQVE hæc quidem cum ſumma ſit votorum Dauidis, quæ filio Salomoni optabat, *defecerunt*, & finiunt hîc *Laudes Dauid filij Ieſſe*, quas ipſe ſolus fecit, & ad modulos redegit: & ex iis quæ ſequuntur nonnullas ipſe fecit, & ad modulos redegit; nonnullas ab ſe factas, per alios ad modulos redigi fecit, inter quas ſunt & nonnullæ, quæ penitus aliorum eſſe videntur.

LIBER

LIBER TERTIVS.

PSALMVS LXXII.

Titulus.

Psalmus Asaph *videntis, siue ipse eum fecerit, siue à Dauide factum ad modulos redegerit.*

Argumentum.

1. INcipiens ab immensa Dei bonitate vir sanctus, dicit se impiorum rebus secundis aliquando fuisse commotum, dum egentibus bonis ipsi rebus omnibus affluunt. 2. Qua quidem re fit vt boni id videntes & ipsi ad deteriorem partem sæpe se applicét, quod & sibi ferè accidisse dicit, nisi Deus pro summa sua bonitate opem tulisset. 3. Itaque ab hoc se abducens, & ad naturalem huius rei inuestigationem se conuertens, quam & ipsam inanem reperit, tandem sensit non posse penitus intelligi, nisi in Deum se totum quis coniiciat. 4. Quod cùm facit, clarissimè videt quàm tristis & infelix malorum sit exitus, quantumcunque felices videantur. 5. Cæterùm se inuidia, vt dictum est, aduersum eos cõmotum fuisse, quoniam in Deum se non coniecerat: in qua re periisset, nisi pro immensa bonitate illum extraxisset. 6. Vnde deposita illa æmulatione, in vno Deo totum se collocat.

1. ECce quàm bonus *ac beneficus est* Israël Deus
his qui recto *ac mundo* sunt corde.
Etenim accidit mihi aliquando, quòd mei autem
penè *loco* moti sunt pedes, *dum ambulo in via innocentia: & tanquam in lubrico* penè effusi sunt gressus mei, *desistens propemodum à cursu instituto.*
Quod ideo mihi contigit, quia *æmulatione & quasi inuidia quadam commotus*, zelaui super *insipientes &* iniquos, *prosperũ rerum omniũ successum,*

in

in quo gloriantur, & pacem *impiorum ac* peccatorum videns.

Quia *præterquam quòd in vita rebus omnibus affluunt, tum* non est *quoque difficultas, nec anxietas, cuius quidem aliquis sit* respectus, *aut quæ aliquo modo sit æstimanda* morti eorum; *sed tanquam ligaminibus paulatim solutis, leniter diem suum obeunt;* & *si quid aduersi aliquando accidat, id tam est breue, vt nulla sit mora, nec* firmamẽtum in plaga eorum: *& sic sani ac salui viuentes, & viuidum est robur corporis eorum, & alta ac firma sunt palatia ipsorum, quæ liberis suis relinquunt.*

Porrò in labore *& miseriis* hominum nõ sunt; *nihil enim huiusmodi sentiunt:* & cum hominibus non flagellabuntur, *nec vlla plaga afficientur.*

Et ideo tenuit eos, *ac instar torquis circumdedit ipsos* superbia, *dum supra reliquos mortales tam felices se vident: & tanquam vestimento quodam & ornatu pretioso amicti &* operti sunt iniquitate & impietate sua.

Sed & prodiit *ac prominet præ pinguedine,* quasi ex adipe *superbus oculus, &* iniquitas eorum, *dum opibus ac potentia florentes, alios despiciunt:* transierunt *toti* in affectum cordis *sui, dum suprà quàm sperauerant felices effecti, non aliud quàm propria desideria sequuntur, & in iis quasi liquescunt.*

Hinc dissoluti facti, & in peccatis suis obsordescentes, pios ac bonos, quos derisui habent, affligere ac perdere cogitauerunt: & *id cùm nequaquã secretum habeant,*

habeant, sed publicè profiteantur, palàm locuti sunt *aduersum eos* nequitiam *ex puris mendaciis consutam, & ,quod omnium impudentissimũ ac pessimum est*, iniquitatem *ac calũniam etiã aduersum Deum ipsum, qui* in excelso *habitat, clarè & apertè & tanquam ex alto* locuti sunt.

Etenim posuerunt in cælum os suum, *ad Dominum ipsum blasphemandum*: & lingua eorum transiuit *& ambulauit* in terra, *ad bonos ac iustos maledictis lacerandos.*

2. *Quæ quidem cùm boni videbunt, incipientes nutare, fiet* ideo *quòd propè derelinquẽtes viam iustam*, conuertetur populus *ille* meus *ad malos illos ac impios, quos tãtoperè florere ac omnibus dominari cernunt, vt iisdem cum illis* hîc *in mundo deliciis fruantur*, & *continget quòd* dies *hilares inter se quoque fruentes, quemadmodum mali solent, aquæ fontis ac calicis* pleni inuenientur in eis; *sic vt mutuo adbibentes, & se tam potu quam malis opinionibus inebriantes, id felix ac beatum existiment, & in eo quæstum vberrimum ponant.*

Etenim iam sæpe audiui, quòd nutantes illi dubitauerũt, & dixerunt *inter se*: Quomodo scit Deus *quid inter mortales agatur? & quis certò nobis dicat*, si est scientia in excelso, *quinam boni sint vel mali?*

Ecce *enim isti* ipsi *quos quotidie videmus*, peccatores *sunt & impij*, & *tamen* abundantes *sunt pace ac ocio* in *hoc* sæculo, *& ingentes* obtinuerunt *ac possident* diuitias: *quod vtique non fieret, si Deus sciret,*

sciret, aut illi curæ esset, quid rerum inter homines agitetur.

Et ne de aliis solùm dicam, sed & de me ipso, certè & mihi aliquando vsu venit, quòd impiorum felicitatem videns, & meas è contra miserias, dixi apud me: Ergo frustra penitus & sine causa iustificaui ac mundaui cor meum circa interiora; & laui inter mundos & innocẽtes manus meas circa exteriora.

Sed & frustra fui flagellatus tota omniq; die, dum inflictis plagis ac vulneribus carnem meã coercere conor, & frustra est castigatio mea in matutinis, dum manè surgens, me ipse & factis castigo, & verbis increpo, deterrendo à malo, & exhortando ad bonum: quoniam totum hoc nihil mihi prodest; quin florentibus impiis, & rebus omnibus circumfluentibus, ego miseriis & calamitatibus opprimor.

3. Denique nihil propè iam aberat, quin derelicta via virtutis, ad impiorum societatẽ me conferrem, nisi Deus pro immẽsa sua bonitate, qua eos qui recto sunt corde, vt initio dixi, complectitur, opem tulisset: ille enim, si quando dicebam apud animum meũ, Certè narrabo sic, nempe impios meliùs habere quàm pios; itaque sequar eorum vestigia, contrà alias cogitationes suggerens, & ob oculos ponens, causa mihi erat vt diligentiùs, & in omnes partes rem expendens, mox ab altera parte dicerem: Ecce si hoc facio, iam vtique nationem ac generationem filiorum tuorum, ô Domine, dereliqui ac reprobaui, legemq; tuam præuaricatus sum.

Qua

Qua quidem re deterritus, mox subsistebam, & non me conferebam ad impios: cæterùm hoc mihi adhuc manebat vanitatis, quòd existimabã *naturali inuestigatione fieri posse,* vt cognoscerem *quidnam causæ sit, quòd in tanta bonorũ afflictione impij tantopere florerẽt: sed in eo dum versor, reipsa comperio, quòd* hoc *ivanis* labor est ante me, *& in oculis meis, huiusmodi cogitationibus torqueri:*

Et reuera non posse me hæc Domini secreta antè animo comprehendere, quàm donec *supra inuestigationes naturales elatus,* intrem in sanctuariũ *ipsius* Dei, & *ibi* intelligam in nouissimis eorum, *quemnam tandem finem atque exitum habeant peccatores atque impij, qui hîc nobis vsque adeò fœlices ac beati videntur.*

4. *Quæ quidem res si diligenter expẽdatur, inuenietur nihil fixum ac firmũ eos abs te accepisse:* verumtamẽ *è contrà, quòd* propter dolos, *ac fraudes, vitámque turpem suam, viam* posuisti eis *dolosam ac lubricam, dum in bonis externis, quibus abundãt, nihil firmi inest, sed omnia fluxa sunt ac caduca, quodq́ reuera* deiecisti *ac cadere fecisti* eos *in ruinam ac interitum,* dum alleuarentur, *& honoribus ac diuitiis se efferri putarent, cùm contrà reipsa nihil est illis nec deiectius, nec infirmius, nec inanius.*

Quod quidem ita se habere, vel ex eo intelligi potest, si consideres quomodo, *qui heri omnibus rebus florebant, hodie rebus omnibus destituti,* facti sunt in desolationem *ac vastitatem, &* subitò, *veluti*

vno

vno momento temporis defecerunt, *& denique repentinis horroribus exterriti in totum* perierunt, *& ad nihilum redacti ac consumpti sunt* propter iniquitatem suam.

Adeò vt velut somnium surgentium *& euigilantium, quo dormientes perbeati sibi videbantur, euanescit ac perit; sic tu* Domine in *sancta* ciuitate tua imaginē *gloriæ ac felicitatis* ipsorum *euanescere, ac tanquam rem vilem contemni facies, &* ad nihilum rediges.

5. *Sed hæc tanta tua mysteria antea penitus ignorabam,* quia *in sanctuarium tuum nōdum intraram: & ideo non ferens prosperitatem impiorum,* inflammatum est, *& dolore velut coacuit* cor meum, *in quo ira residet;* & *lumbi ac* renes mei, *in quibus cupiditas inest,* commutati, *& vt ignis fumigans acuti facti* sunt; & *denique* ego *totus insipiens & ignorās effectus,* ad nihilum redactus sum, &, *quod adhuc deterius est, hoc ipsum malū meum penitus* nesciui.

Denique vt iumentum factus sum apud te, *& sic proculdubio periissem, nisi vna res auxilio mihi fuisset; quæ erat, quòd quantumcumque vanis cogitationibus exagitabar, ad te tamen semper receptum meum habebam,* & *quòd* ego semper *in omnibus rebus* tecum *esse cupiebam.*

Quod tu pro immensa tua bonitate gratum habens, tenuisti *semper* manum dexteram meam, *ne nimium prolaberer in cogitationibus meis:* &, *quod amplius est,* in *bona* voluntate tua *in consilium illud*

arcanumque deduxisti me, *vt intelligerem qua de causa fiat, quod impij prospere agere nonnumquam videantur*: & *sic postea denique ex omnibus calamitatibus me eripiens*, cum *summa* gloria *& honore* suscepisti me.

6. *Quare deposito zelo illo super prosperitate impiorũ, totus tibi vni adhærere statui.* quid enim mihi est *vel* in *ipso* cælo, *quod à me præter te*, & à te, *sineq; tuo numine*, quid *vnquam* volui *aut expetiui* super terram?

Certè defecit *præ amore tui* caro mea, & cor meũ, *ô* Deus, *qui robur ac fortitudo es* cordis mei: & pars *ac hæreditas* mea Deus in æternum.

Quia ecce *iam scio quòd* qui elongant se à te, peribunt: *& quòd semper* perdidisti, *& quasi succidere fecisti* omnes qui fornicantur abs te, *dum te derelicto, ad alios amores se conferunt.*

Qui quidem id faciant quod animo ipsis est collubitum; nihil enim inuideo: cæterùm mihi autem *appropinquare &* adhærere *vni* Deo bonum est, *&* ponere in Domino Deo spem meam.

Vt *enarrem omnia mirabilia opera tua*, *&* annunciem omnes *laudes operum tuorum*, *ac* prædicationes tuas (in portis *vrbis Ierusalẽ* filię Sion.)

EXPLANATIO.

In sanctuarium Dei] Ad res diuinas cognoscendas neque sensus hominis sufficit, vnde carnalis huius mundi sapientia oritur: neque intellectus, vnde animalis, principium huius mundi; sed opus est spiritu Dei, vnde diuina, spiritualis.

PSAL-

PSALMVS LXXIII.

Titulus.

Psalmus eruditiuus siue intellectus, *scriptus ipsi* Asaph, *vt decantetur ad instrumentum musicum, cui nomen Maschil.*

Argumentum.

1. INuocans Propheta Deum contra ciuitatis Hierosolymitanæ euersionem, enumerat quanta ibi mala hostes perpetrarint. 2. Contra quæ, eius petit auxilium, enarrans quanta olim pro populo suo fecerit. 3. Quare vt & nunc opem rebus ferre velit, precatur.

1. VT quid Deus repulisti *ac dereliquisti nos* in finem *& perpetuum? cur tantopere* iratus est furor tuus, *& quasi accensus de naribus fumigat* super *gregem &* oues pascuæ tuæ, *quas in tuis pratis ipse pascendas suscepisti?*

Memor esto, *quaeso, &* recordare congregationis *ac multitudinis* tuæ, quam *tibi olim selegisti, & vt tuam* possedisti *iam inde* ab initio.

Et cogita quòd eam redemisti *ex seruitute qua premebatur, vt in ea erigeres sceptrum ac* virgam *regni, &* hæreditatis tuę; *quodq́; in ea* mōs *est* Sion, in quo *tantopere delectaris, sic quòd sedem ibi elegisti, &* habitasti in eo.

Leua *ergo* manus tuas in superbias eorum *qui nos affligunt; & exaltans gressus tuos, progredere ad deuastandū ac desolandū eos* in finem *ac perpetuum: quoniā tu scis*, quāta malignatus est, *& qua scelera*

perpetrauerit inimicus in *templo* ſancto *tuo*.

Et *quòd frementes ac rugientes* gloriati ſunt *de impiis factis ſuis, hi* qui oderunt te, *idq́ non ſecretò nec ſeorſim, ſed* in medio *habitationis ac* ſolennitatis *feſtiuitatiſque* tuę.

Sed & poſuerunt ſigna ſua, *tanquam* ſigna *victoriæ, in trophæū ſuper habitatione ac domo tua*, & non cognouerūt *nec æſtimauerūt eam ampliùs pro templo tuo: ſed diſturbauerunt ac diſſipauerūt ipſam ab imis fundamentis vſque ad ſupremum faſtigium, ita vt* ſicut in *infimo* exitu *eſt diſturbata ac dilacerata, ita ſit &* ſuper ſummum.

Denique quaſi in ſilua lignorum, *ſic* ſecuribus exciderūt ianuas, *& pulcherrimas ſculpturas* eius, *quas omnes pariter* in idipſum *diſturbarunt; ac quantum ad domum ipſam attinet*, in ſecuri & aſcia, *bipennique & malleò* deiecerunt *ac contriuerunt* eam.

Quin immiſſis flammis, incenderunt igni ſanctuarium tuum: *& deiectum* in terra, polluerunt *ſuis ſpurcitiis, ac prophanarunt* tabernaculum nominis tui.

Dixerunt *enim* in corde ſuo: *Age depopulemur & perdamus poſteritatem &* cognationes *filiorum* eorum ſimul *omnes, & comburamus omnia templa, &* quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra.

Atque in his tantis & extremis malis conſtituti, nullam adhuc, ô Domine, ſignificationem ſalutis cerni-

cernimus: etenim ſigna noſtra, *quæ olim patribus noſtris ad ſalutem oſtendere ſoles*, non *adhuc* vidimus; iam non eſt *ampliùs* propheta, *qui futura nobis prædicat*, & *inter* nos non *eſt quiſquam qui* cognoſcet ampliùs *quamdiu hæc ſint duratura, adeò vt nec Deus ipſe nos ampliùs noſſe videatur.*

2. *Quod quidem cùm ita ſit*; vſque quò Deus, *vſque quo* improperabit *& omnibus contumeliis te ac nos afficiet* inimicus? *an, quæſo, blaſphemabit, & vis quòd* irritat aduerſarius nomen tuum *vſq; in* finem *& perpetuum*?

Vt quid auertis *ac retrahis* manum tuam & dexteram tuam? *cur non proferis eos* de medio ſinu tuo, *& perdis impios iſtos funditus* in finem?

Etenim tu Deus autem *&* rex noſter *es iam inde ab initio* ante ſæcula, *qui in omnibus miſeriis & calamitatibus noſtris ſemper* operatus eſt, *& attulit nobis* ſalutem in medio *cunctorum populorum, & conſpectu vniuerſæ* terræ.

Tu *diſſipaſti ac ſecuiſti in duas partes, & tãquam muris vtrimque* confirmaſti in virtute *ac fortitudine* tua mare *rubrum, vt patres noſtri pedibus illic pertranſirent*; *& contriuiſti ibi ac* contribulaſti capita draconum in aquis, *ne tranſeuntibus nocerent*.

Tu cõfregiſti capita draconis, *& cete Leuiathã, Pharaonis, dico, regis magni, quem maris fluctibus obruiſti, &* dediſti eum *& cadauera & ſpolia gentis ipſius* eſcam populis Æthiopum, *iiſq; qui in deſertis aridis ac ſiccis littora maris rubri accolunt.*

Tu *in deserto è media petra* dirupisti *ac dissecuisti* fontes, *eosq́; tam copiosos, vt* & torrẽtes *inde deduceres: & contrà in ingressu in terram promissionis* tu siccasti *vehementissimos* fluuios Ethan *in transitu Iordanis.*

Denique tuus est dies, & tua est nox, tu *ordinatione tua ad hoc* fabricatus es *luminaria minora, nec non* auroram & solem.

Tu fecisti *ac statuisti* omnes terminos terræ: æstatem & *hyemem ac* ver tu plasmasti, *& inter se opposuisti* ea.

3. *Quæ quidem cùm ita se habeant; & nunc, quæso,* memor esto huius *nostra miseria & contumelia tam insignis: quoniam* inimicus *eò vsq́; peruenit audacia, quòd* improperauit, *& conuitia ingessit ipsi* Domino, & populus *stultus ac* insipiens *agrestisq́;* incitauit *ac blasphemauit* nomen tuum.

Ne tradas, *obsecro, feris illis* bestiis animas *innocentium, imbecillium quasi turturum,* cõfitentium tibi, *& in lege tua eruditas*: & animas *ac congregationes* pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem *& perpetuum.*

Sed contrà diligenter scrutando respice in testamentũ tuũ *ac fœdus quod cum patribus nostris pepigisti:* quia *res iã eò redacta est, vt nihil inter mortales ampliùs exstet sani aut integri: verùm è contrà penitus* repleti *ac referti* sunt *quotquot reperiũtur tenebricosi,* qui obscurati *& sine lumine* sunt, *anguli* terræ, domibus *ac societatibus hominum violentorum,*

lentorum, ipſarumq́; adeò iniquitatum: *vnde ex inſidiis exſilientes, impetum in hominem iuſtum ac innocentem faciunt.*

Cuius tu rationem habens, ne *permittas amabo, vt egreſſus domum ſuam ad te orandū,* auertatur *ab illis impiis, & ſic redeat* humilis factus *& oppreſſus, & pudore ignominiaq́;, te permittēte* cōfuſus: *etenim quos putas veros tuos eſſe cultores? an diuites illos ac potentes? nequaquam, ſed* pauper & inops; *hi ſunt qui* laudabunt nomen tuum.

Quare exſurge Deus, *& defende ac* iudica cauſam tuam; *quæ cùm eos ſpectet quos tu in fidē tuam recepiſti, vtique tua propria dicenda eſt*: memor eſto improperiorum tuorum, eorum, *inquam,* quæ ab *impia ac* inſipiente *agreſtiq́; illa gente* ſunt *& exſiſtunt tibi* tota die.

Et ne obliuiſcaris *impias illas ac contumelioſas* voces inimicorum, *nō dico noſtrorum, ſed* tuorum, *quo minùs eas vindices: etenim* ſuperbia, *& faſtus, conuitioſaq́; vociferatio, ac fremitus* eorū qui te oderunt, *& aduerſum te inſurgunt*, adſcendit *& creſcit* ſemper, *ita vt tardādo ac conniuendo nihil ampliùs ſani ab iis ſit exſpectandum.*

EXPLANATIO.

Vt quid] De qua euerſione vrbis Hieroſolymitanæ hic Pſalmus accipiēdus ſit, valde quæritur: ſed credo ad omnes non malè accommodari poſſe.

PSALMVS LXXIIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt ad modulos cantilenæ, cuius initium* Ne corrumpas, *vel, disperdas, cantetur hic* psalmus cantici Asaph.

Argumentum.

1. GRatias agens vir sanctus Deo, Christum loquentem inducit de extremo iudicio suo. 2. Qui increpat impios ne suis viribus fidant, quoniam Deus certò illos est puniturus. 3. Cùm contrà ipse nomen Dei patris sui prędicaturus sit omnibus gentibus, ad depressionem malorum, & exaltationem bonorum.

1 COnfitebimur tibi, ô Deus, *omnia nostra cum gratiarum actione accepta tibi ferẽtes;* confitebimur, *inquam,* & *præsentia numinis tui excitati,* inuocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua, *quæ olim facturus es. nam ipse dixisti nobis, & locutus est Christus tuus his verbis: Ecce,* cùm accepero tempus, *& iudicij mei dies aduenerit,* ego iustitias *& quæ recta sunt,* iudicabo, *sic vt boni pariter & impij digna meritis suis premia accipiant.*

Liquefacta est *& dissoluetur* terra, & omnes qui habitant in ea; *verùm* ego *qui feci &* confirmaui columnas eius, *quibus innititur, maneo in æternum, & ne apex quidem de verbis meis peribit. Ita profectò res est,* Sela, *tollamus vocem altiùs.*

2. *Ego* dixi iniquis *& gloriosis, qui mentis errore &*

re & insania laborãt, Nolite *insanire*, *&* iniquè *aut gloriosè* agere; & delinquentibus, *qui impia facta sequuntur*, Nolite exaltare cornu; *& erigere cristas vestras.*

Nolite, *inquam*, extollere in altum *ad cælum excelsum* cornu vestrum, *&* nolite loqui *ceruice dura & præfracta, vt soletis*, aduersus Deum iniquitatẽ.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus *Australibus vel Borealibus*, *quisquam veniet mortalis, qui verè vos exaltare & amplificare possit*; quoniam *harum rerum omnium solus* Deus iudex est *& arbiter.*

Ille hunc *deprimens* humiliat, & hunc *erigens* exaltat, *prout ei placet ac videtur*, quia calix *est* in manu Domini, vini *quidem* meri *rubri optimi*, *sed qui idem* plenus *quoque sit* misto, *propter feces quæ insunt.*

Et inclinauit *se*, *& miscuit partem illius cum altero*, *effundens* ex hoc in hoc; *& propinans*, *aliis dat quidẽ merum ad gloriam*, *aliis feces ad pœnam*, *aliis ex vtroque mixtum. Ac vtrumque biberunt quidem omnes omnino mortales ex vna fece & alia*; verumtamen fex *suppliciorum* eius non est *adhuc* exinanita; *sed surgent*, *&* bibent *in extremo iudicio ex ea* omnes *impij ac* peccatores terræ, *ad iustas delictorum suorum pœnas luendas.*

Et è contrà, ego autem, *qui filius eius sum vnigenitus*, *bibens merum ad gloriam*, annunciabo *nomen eius inter mortales*, *ita vt duret ac celebretur*

in sæculum *ac perpetuum* : *&* cantabo *psalmos & hymnos ipsi patri meo* Deo Iacob.

Et omnia cornua peccatorum *impiorumq́, quæ tantopere nunc ipsi erigunt*, confringam : & *contrà* exaltabuntur cornua iusti, *quæ nunc confracta videntur.*

EXPLANATIO.

Calix] Calicis nomen in sacris scripturis duobus modis accipitur: in præmium, veluti, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. & in pœnam, vt, Pater, sine vt à me transeat calix iste. hîc vtroque modo accipitur, sic vt vinum merum ad præmia bonorum pertineat, fex autem ad supplicium malorum.

PSALMVS LXXV.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, *vt* in laudibus *ac carminibus ad instrumentum, quod dicitur Neginoth, cantetur hic* Psalmus Asaph, *continens* canticum (ad Assyrios *deuictos pertinens.*)

Argumentum.

1. CElebrat vir sanctus victoriam vrbis Hierosolymorum contra hostes. 2. Iterum atque 3. iterum vocem intendens, & triumphum canens.

1. NOtus *ac celebris* in Iudæa Deus: in Israël magnum nomen eius.

Et factus *ac constitutus* est in *Salem*, *cui à* pace *nomen est*, locus *ac tabernaculum* eius: & habitatio

ac domus eius in *monte ac arce* Sion.

Ibi confregit potentias *& volantes sagittas*, arcum, *nec non* scutum *&* gladium, & *conficit totum* bellum. *Eia eia triumphe*, Sela: *tollamus vocem altiùs.*

2. *Etenim* illuminans tu *tamquam fulgur* mirabiliter *& cum summa potentia apparuisti, & venisti nobis in auxilium* à montibus *tuis* æternis, *vbi feræ bestiæ, quæ ex præda viuunt, stabulantur: quo facto* turbati, *& in prædam dati* sunt omnes *hostes nostri, qui* insipientes corde *& ceruice duri, mirè fortes ac robusti antè sibi videbantur.*

Occidione occisi, dormierunt somnum suum: & *cùm pugnandũ esset*, nihil inuenerũt *roboris* omnes *illi* viri diuitiarum, *qui tam fortes ac potentes se putabant* in manibus suis, *quas nec ipsas reperiebant.*

Nam ab increpatione tua, ô Deus Iacob, *morientes* dormitauerunt, *& tamquam somnium euanuerunt omnes* qui adscenderunt *currus &* equos.

Quippe tu (terribilis) es, & quis resistet tibi? *vel etiam consistere potest coram te* ex tunc *cùm exarserit* ira tua.

Mox enim vbi tu de cælo auditum fecisti iudicium, *& ostendisti iustam vindictam te sumpturum, continuò* terra *cum suis inhabitatoribus, inimicis nostris*, tremuit, & *silens* quieuit, *ita vt ne hiscere quidem auderet.*

Nempe cùm *videret quòd seriò rem agens*, exsurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret, *& à tyran-*

tyrannide liberaret omnes manſuetos *& afflictos* terræ. *Ergo, eia eia, canamus triumphum Domino* Sela: *tollentes iterum vocem altiùs.*

3. Quoniam *vtique, Domine, ferocitas illa & ira hoſtium noſtrorum abs te retruſa, occaſionem dabit,* quòd cogitatio hominis *ſuperior, quæ intus eſt*, confitebitur tibi, *& gratias aget, acceptam tibi ferens ſalutem ſuam*; & reliquiæ cogitationis, *quæ inferiores ſunt in homine & foris prominent*, diem feſtum agent tibi, *dum ad id quod reſtat ſuperbiæ & ferocitatis hoſtium conſumendum, iratus te accinges.*

Et vos quidem quotquot eſtis pij, hoc cõſpicientes, vouete & reddite *ac perſoluite* Domino Deo veſtro, *ea quæ voueritis*; *atque* omnes *vos* qui *viſitantes templum ſanctum eius* in circuitu eius *eſtis*, afferte *ei* munera *veſtra.*

Ei, inquam, Deo terribili, qui *cùm vult* aufert ſpiritum principum, terribili, *dico*, apud *omnes* Reges terræ.

EXPLANATIO.

In pace locus eius] Melchiſedech, qui regem ſignificat iuſtitiæ, ciuitatem pacis, quæ eſt Salem, condidiſſe, ibíque ſedem Dei eſſe, alio loco admonuimus.

Principum reges] Reges eſſe, apud quos ſumma rerum eſt; principes ſecundos ab illis, antè quoque diximus.

PSAL-

Psalmvs LXXVI.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici*, pro *insigni cantore* Idithun, *vt per eum canatur hic* Psalmus Asaph.

Argumentum.

1. NArrat vir sanctus, in quantiscunque malis fuerit versatus, semper à Deo se fuisse exauditũ. Atque id quidẽ altiùs repetẽs. 2. Primùm quæ mala passus sit cõmemorat, & quàm desperatè propemodũ ad Deum sit locutus. 3. Post quod ad se rediens, seipsum consolatur. memoria repetẽs, Deum nunquam suos, ac potissimùm quidem Israelitas, ex toto deseruisse, sed iuuisse semper. 4. Vnde, quid illis olim fecerit, & quàm mirabilia circa eos ostenderit, enarrat.

1. VOce mea ad Dominum *Deum* clamaui,
voce, *inquam*, mea ad Deum; & *tandem*
post multa aurem præbens, intendit mihi.
Etenim in die tribulationis *& angustiæ* meæ,
Dominum Deum exquisiui, *idq́ extensis* manibus
meis *tota* nocte, *cùm malum meum recrudesceret*
contra eum *in altum sine cessatione ac relaxatione*,
& non sum deceptus *in spe mea*.
2. *Nam initio quidem* renuit consolari anima
mea; *sed mox vbi* memor fui Dei, *redij ad me*, & de-
lectatus *ac recreatus* sum: *quin, vt rem totam ordi-
ne complectar, ego versans in angustiis ac tribulatio-
ne, loquendo & meditando mecum conturbatus*; &
vociferando ad te, mirificè exercitatus sum *& exagi-
tatus, sic vt tandem dereliquit me*, & defecit, *& col-
lapsus*

lapsus est spiritus meus. *Ita profectò res est*, Sela.

Sed & anticipauerunt *ipsas* vigilias oculi mei, *magis vigiles, quàm eorum oculi qui nocti excubias agunt, dum tu, Domine, vehementia dolorum quasi apprehendis palpebras oculorum meorum, ne claudi possint: vnde planè consternatus ac* turbatus sum, & nõ sum, *ne verbum quidẽ, præ nimio dolore* locutus.

Sed intrò me recipiens, & præterita memoria repetens, ad me consolandum, cogitaui dies antiquos *ab initio:* & annos æternos *sæculorum superiorum reuolui, &* in mente habui.

Et meditatus sum nocte cum corde meo, *ad memoriam reuocans psalmos & cantica mea, quibus me & alios consolari soleo, & loquẽs mecum cum corde meo,* exercitabar *in illis*, & *scrutando mundans me,* scopebam, *& ad intima mei peruadens, quasi fodiebam* spiritum meum.

Dicens: Nunquid in æternum *me* proiiciet *Dominus* Deus, aut non apponet *nec addet quidquam amplius ad præterita in me beneficia*: vt complacitior *& propitius mihi* sit adhuc, *quemadmodum esse solet?*

Aut in finem *ac perpetuum* misericordiã suam abscindet, *& iam cessauit & penitus consumptum est, verbum promissionis eius, quo misericordiam se inuocantibus pollicitus est non vno sæculo, sed* à generatione in generationem?

Aut *est iam res eò redacta, quòd planè* obliuiscetur misereri Deus, aut *quòd prorsus* continebit *ac clau-*

claudet in ira sua misericordias suas? *non potest sic fieri, non profectò; quare eia*, Sela.

3. Et *sic me ipse incitans, resumpsi animum, ac* dixi: *Quòd hæc tã desperata ac mortifera cogito, nihil aliud in causa est, quàm mea ipsius culpa & imbecillitas: itaq; re ad summam desperationem adducta*, nunc *iterum* cœpi *in spem meliorem erigi, & ad salutẽ me conuertere*. hęc *est* mutatio dexteræ *ipsius* excelsi, *qua à morte ad vitam me nunc incipit reducere, quemadmodũ annis ac sæculis superioribus cum patribus nostris, si quando laborarent, per vices facere solet.*

Et sic magis ac magis cogitando progrediens, memor fui *antiquorum* operum Domini, *dicens*: quia memor ero, *& iam inde* ab initio *percurrens omnia, recordabor* mirabilium tuorũ, *quibus occulta quadam ratione bonos ac iustos in calamitates incidere sinis, vt cum maiore gloria illos inde eruas.*

Et *hoc modo* meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus *admirandisq; consiliis* tuis exercẽbor, *loquẽdo de iis coram vniuerso mũdo.*

Nam vtique, ô Deus, *licet duriùs nonnunquam agere videare*, in sancto *tamen est* via tua, *estq; semper bonum ac iustũ quod facis, tametsi nobis aliquando secus videatur: etenim* quis Deus magnus, sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia, *quæ ab hominum intelligentia sunt remota.*

Tu manifestè ostendisti & notam fecisti in populis virtutem *ac fortitudinem* tuam: *tu* rédemisti

in

in brachio tuo *robusto* populum tuum, filios, *dico*, Iacob & Ioseph. *Ita certè res est*, Sela.

4. *Nam* viderunt te aquę, Deus, viderunt, *inquam*, te aquę *maris rubri*; & *trementes* timuerũt, & turbatæ sunt abyssi.

Sed & ingens fuit multitudo sonitus aquarum, *quas in solitudine cum ingenti pluuia nubila effuderunt, cum qua &* vocem dederunt nubes *dum tonitru cælum concutitur.*

Etenim sagittæ *& fulgurationes* tuę, *cum summa vi* transeunt *ac discurrunt*, *&* vox tonitrui tui in rota, *siue mundi sphæra*, *totam eam fragore implet.*

Et sic postquam illuxerunt *fulgura &* coruscationes tuæ orbi terrę, commota est & contremuit terra, *& omnes qui habitant in ea.*

Ac fuit in mari *rubro* via tua, & semitæ tuæ in *Iordanis fluuij* aquis multis; *ita vt itinera* & vestigia tua non *fuerint ab hostibus agnita*, *nec* cognoscentur *vnquam.*

Atque hoc modo rebus quantumuis desperatis, deduxisti sicut oues populũ tuum in manu Moysi & Aarõ, *cuius simile non dubito quin & nobis facies.*

EXPLANATIO.

Obliuiscetur misereri] Quoniam nihil magis proprium Deo, quàm clementia: nec quicquam duriùs agit, nisi ex ea ipsa clementia, vt per hoc homines ad se redeant, & misericordiam eius implorent; ideo hoc tantoperè exaggerat Propheta.

PSAL-

PSALMVS LXXVII.

Titulus.

Intellectus *siue Psalmus eruditiuus* Asaph, *decantandus ad modulos cantilenæ, cuius initium est Maschil.*

Argumentum.

ADhortaturus Propheta suos ad bonum, & dehortaturus à malo, commemoratione rerum olim gestarum, Primùm inuitat ad auscultandum, proponens quanta sit vtilitas historiæ ad prosequendum bonum, & fugiendum malum: 2. Deinde ad historiam accedens, quam hysterôs proterôs ferè prosequitur, primò quàm admirabiliter ex AEgypto Deus populum per mare rubrum duxerit, narrat, antecedens eos die in columna nubis, & nocte in columna ignis in deserto. 3. Qua quidem re ipsi non commoti, tamen peccant contra eum, & tentantes eum, petunt carnes in deserto. 4. Quod ille audiens, primùm dat illis quod petunt abundanter, ad potentiam suam demonstrandam. 5. Deinde autem punit eos grauiter, ad iram ostendendam. 6. Quo autem flagello tametsi nihilo reuera fiebant meliores, nisi quòd foris id simularent, tamen Dominus pro immensa bonitate sua cessauit ab ira, recordatus quàm fragilis res sit homo, & quàm facilis ad peccandum. 7, Qua quidem re etiam factum est, quòd immemores Israelitæ miraculorum quæ Deus fecerat contra AEgyptios; vt inde illos abduceret, & Cananæos vt in eorum terra ipsos collocaret, quæ omnia graphicè hic depinguntur: 8. Tamen aduersum eum peccarent, atque adeò falsos Deos pro illo colerent. 9. Ob quod factum indignissimum, primùm quidem grauissimè eos punit: 10. Sed mox misericordia motus, in gratiam eos recipit, Dauidemq; regem optimum iis constituit. Conuenit autem hic Psalmus gratiæ & misericordiæ Domini cùm numero septuagesimo septimo, quoniam est numerus plenissimæ condonationis peccatorum.

1. ATtendite popule meus legem *ac doctrinam* meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Aperiam in parabolis os meum,*repetens historias antiquas, quæ ob rerum magnitudinem fabulis propemodum sunt similes*; *&* loquar propositiones *ac ænigmata, in quibus maximarum rerum ac mysteriorum abundantia inest, iam inde* ab initio *ac priscis temporibus deducta.*

Etenim omnia quæ & quanta *sunt iam* audiuimus, & cognouimus ea *literis prodita*, & *insuper* patres nostri narrauerunt *illa* nobis.

Et sic non sunt occultata à *nobis* filiis eorum,*nec sanè nos celabimus ea quo minùs cognoscantur* in generatione altera,*quæ post nos futura est : sed quantũ in nobis erit,posteris prodere conabimur*, narrantes laudes Domini , & *fortitudinem ac* virtutes eius,& mirabilia eius,quę *supra sensum humanum posita* fecit.

Et *enim super hoc* suscitauit *ac statuit voluntatis suæ* testimonium in Iacob,& *expressam* legem posuit in Israël.

Per quam constat quæ & quanta *illa sint quæ* mandauit patribus nostris , nota facere ea filiis suis,vt cognoscat generatio altera.

Nempe filij qui nascentur, *qui* & *ipsi* exsurgẽt, & narrabunt *ea porrò* filiis suis.

Idq; ad eum finẽ,vt, *cognitis rebus præteritis*, ponant in Deo spem *ac fiduciam* suam , & non obliuiscantur operum *ac consiliorum* Dei, & mandata eius exquirant *ac custodiant.*

Et ne fiant sicut patres eorum,generatio praua

&

& exasperans, *qua deficiens à Domino Deo suo, rebellis illi esse, & ad iram eum prouocare solet*:

Generatio, *inquã*, quæ nõ direxit cor suũ *ad ea quæ recta sunt cognoscenda & amãda*: & nõ est creditus, *nec fuit fidelis* cũ Deo spiritus eius, *vt in eum quemadmodũ oportet, crederet, illiq́ue se totũ fideret.*

Ex quibus filij Ephraim, *qui custodiam arcæ fœderis in Silo habentes, principatum belli inter omnes tribus Israël subinde obtinuerunt, armati euntes ad prælium, ibiq́ue* intendentes & mittẽtes *iaculantésq́ue* arcum *suum*, conuersi sunt, *& terga vertere coacti sunt* in die belli.

Quod ideo illis contigit, quoniam non custodierunt testamentum Dei, *& pactum ac fœdus quod cum eo inierant*; & in lege eius noluerunt *& apertè renuerunt* ambulare.

Et *quod deterius est, ingratos se exhibentes*, obliti sunt *operum &* benefactorum eius; & mirabilium eius, quæ ostendit eis.

2. *Etenim, vt rem ordine commemorem*, coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo *metropolis* Taneos, *siue Zohon, vbi Nilus in mare soluitur.*

Interrupit *ac diuisit* mare *rubrum*, & perduxit eos: & statuit aquas *natura sua fluidas*, quasi in vtre, *in molem ac aceruum, vti murum.*

Et deduxit eos in nube diei, *quæ luce præibat castra*: & tota nocte in illuminatione ignis, *qui tum antegrediebatur ipsos.*

Interrupit *ac ſcidit* petram in eremo, & adaquauit *ac potauit* eos velut in abyſſo multa, *quæ ingentem vim aquarum eructat.*

Sed & *ſecunda vice* eduxit aquam *& riuos* de petra: & deduxit *ac deſcendere fecit de montibus*, tanquam *ingentia* flumina aquas.

3. Et *tamen his rebus nihilo facti meliores*, appoſuerunt adhuc *& perrexerunt* peccare ei, in iram excitauerunt *Deũ* excelſum in *deſerto* inaquoſo.

Et, *quod peius eſt*, tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt *præter potum*, peterent eſcas animabus ſuis, *non ad neceſſitatem, ſed voluptatem ac delicias.*

Et malè locuti ſunt de Deo *& contra eum*: dixerunt *enim*, Nunquid poterit Deus, *qui tam potens dicitur*, parare *nobis* menſam in deſerto, *vbi tanta rerum omnium eſt penuria?*

Quoniam *ecce* percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & *ſicut* torrentes inundauerunt.

Nunquid & panẽ poterit dare, aut parare menſam *carne inſtructam* populo ſuo?

Ideo *poſtquam hæc* audiuit Dominus, *iraſci cœpit*, & *tamen diſſimulãs principiò*, diſtulit *adhuc, & reiecit in aliud tempus zelum vindictæ ſuæ, qui paulo pòſt tanquam flamma* & ignis accenſus eſt in Iacob, & *ſimul grauiſſima* ira *& furor* adſcendit in Iſraël.

Quia *ſubſannantes ac ridentes Dominum*, non crediderunt in Deo, *quòd talia poſſet facere*: nec ſpera-

ſperauerunt *ac fiduciam ſuam poſuerunt* in ſalutari eius, *quod, etiam ſi poſſet, vellet.*

4. Itaque vt primùm potentiam ſuam oſtenderet, antequã ad vindictam veniret, præcepit & mandauit nubibus deſuper, *vt in vnum ſe cogerent*: & ianuas cæli aperuit, *vt in ſuauẽ imbrem ſolueerentur.*

Et *hoc modo* pluit illis manna ad manducãdum, & panem *de tritico* cæli dedit eis.

Panem *fortium & immortalium* Angelorum, *quem in nubibus illi coxerant*, manducauit *vir & homo mortalis*: *etenim* cibaria miſit eis *Dominus* in abundantia *vſque ad ſaturitatem.*

Sed & tranſtulit Auſtrum, *Eurumq́ ventum* de cælo, & induxit in virtute *ac fortitudine* ſua Aphricum.

Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes: & ſicut arenam maris, volatilia pennata. *tanta erat multitudo.*

Et *ne neceſſe eſſet longè quærere*, ceciderũt in medio caſtrorum eorum, circa *propria* tabernacula eorum.

Et manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis *valde, vſque ad nauſeam*: & *ſic* deſiderium eorũ *quod habuerant de comedendo pane & carnibus*, attulit *ac tribuit* eis, *&* non ſunt *vllo modo* fraudati à deſiderio ſuo.

5. Caterùm cùm hæc ad potentiam ſuam oſtendendam feciſſet, vide nunc quid fecerit ad eos de rebellione ſua puniendos: ecce enim adhuc eſcæ eorum

erant in ore ipsorum, & *subitò* ira Dei adscendit super eos.

Et occidit pingues eorum, *qui opibus & potentiâ florentes, primatum inter ipsos obtinebant.* & electos Israël, *qui magistratus gerebant*, impediuit *ac incuruatos prostrauit.*

Quibus rebus tametsi meritò admoneri deberent ad vitam & mores corrigendos, tamen in omnibus his peccauerunt adhuc: & non crediderunt *Deo* in *cunctis* mirabilibus eius.

Quod ille videns, consumi eos fecit, & defecerunt *hoc modo* in *externa* vanitate, *in qua versabantur*, dies eorum, & anni eorum cum *maxima* festinatione *& terrore, dum horribilibus mortibus plerique omnes pereunt.*

16. *Qua quidem re nihilo adhuc fiunt meliores, nisi quòd tum fortè* cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur *nonnihil ad meliorem mentem*: & *surgentes* diluculo *supplices*, veniebant ad eum.

Sic vt viderentur quasi pœniterent, & *quod ex animo* rememorati sunt, quia Deus *verus creator &* adiutor *& quasi petra* est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est.

Sed si bene introspiceres, nihil erat eiusmodi, etenim dilexerunt eum, *& lactantes illum blanditi sunt ei per simulationem* in ore suo; & lingua sua mentiti sunt ei.

Cæterùm cor autem eorum nõ erat rectum *nec candi-*

candidum cum eo : nec *permanserunt, aut* fideles habiti sunt in testamēto, *& pacto, aut fœdere* eius, *quod cum eo pepigerant de mandatis eius seruandis.*

Et tamē ipse autē, *qui sua natura suprà quàm dici queat* est misericors, *suam potiùs bonitatem quàm eorum peruersitatē respiciens; & quodammodo satis habens quòd licet non corde, saltem ore meliora promitterent: statuit quòd vltro ignosceret*, & propitius fiet peccatis eorum, *ad ea expurganda*, & non *in totum* disperdet eos.

Et *sic vim sibi quodammodo inferens, & à fœditate peccati ad pulchritudinem ac diuitias bonitatis suæ se conuertens, prorsus in eo genere* abundauit, vt *hac ratione* auerteret iram suam : & non accendit omnem iram suam.

Et recordatus est, *reputauitq́; apud se*, quia *homines, quātum ad inferiorem sui partem, nihil aliud quàm* caro sunt *infirma, quæ facilè labitur; &* spiritus *animalis*, vadēs, & non rediens, *qui facili momento huc & illuc impellitur.*

Quoties *enim* exacerbauerunt eum in deserto, *& molestantes irritanteśq;* in iram concitauerunt eum in *solitudine &* inaquoso?

Et rursum, quoties pœnitentiā de peccatis agentes, mox redierunt & conuersi sunt *ad pristinos mores suos*, & *potentiam Dei certis locis ac temporibus circumscribentes, quasi non omnia posset omnibus locis ac temporibus*, tentauerunt Deum, & sanctum Israël exacerbauerunt.

7. *Ac* non sunt recordati *auxiliatricis* manus eius, *qua tam potēter eos iuuerat: nec* diei *illius*, qua redemit eos de manu tribulantis *Pharaonis*.

Immemores sicut posuit *& quo pacto statuit* in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo *metropolis eius* Taneos *siue Sohan*.

Et conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres *distillantes, ac riuos* eorum, ne biberent.

Misit in eos cynomyiam, *omneq́ genus muscarum & insectorum*, & comedit eos: *misit* & ranam, & disperdidit eos.

Et dedit ærugini *ac brucho* fructus *& germina* eorum, & labores eorum locustæ.

Et occidit *ac perdidit* in grandine vineas eorū, & *sycomoros & ficus* eorum in pruina *ac rubigine*.

Et tradidit grandini iumēta eorum, & possessiones *ac greges* eorum *fulmini, &* igni *carbonibúsque, tanquam iaculis ignitis*.

Misit *quoque* in eos iram indignationis suæ, indignationem, *dico*, & iram, & tribulationem, *quæ sunt omnes* immissiones, *quas facere solet* per angelos malos, *qui ob punitionem, quam inferunt, tales vocantur, aut etiam reuera sunt, dum ad homines puniendos Deus pro instrumento iis vtitur*.

Et sic re grauiter vti oportet ponderata: viam fecit semitæ iræ suæ, & non pepercit *nec abstinuit* à morte animarum eorum, & iumenta eorum in *peste ac* morte conclusit.

Et percussit omne primogenitū in terra Ægypti, primi-

primitias omnis laboris *& fortitudinis* eorum, *quam habebant in generādo* in tabernaculis Cham, *à quo Ægyptij sunt progeniti.*

Et abstulit *ac abduxit* sicut oues populū suum: & perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe *bona, tutò ac securè*, & nō timuerunt: & inimicos eorum operuit mare.

Et induxit eos in montem *ad fines ac terminos* sanctificationis suæ: montem, *dico*, quem acquisiuit *& sibi possidendum asseruit* dextera eius.

Et eiecit à facie eorum, *expulitq́ ante eos* gentes, & sorte diuisit eis (terram) *earum* in funiculo *mensorio* distributionis, *vt in hæreditatem eam sibi possideant.*

Et *collocauit ac* habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israël.

8. Et *tamen in his tantis beneficiis, quibus eos affecit, vide, quæso, quidnam fecerint, quidue pro illis rependerint. certè* tentauerunt, &, *ad iram prouocantes eum*, exacerbauerunt Deum excelsum: & testimonia *voluntatis* eius, *quæ per legem ipsius apparet*, non custodierunt.

Et *conuersi ad res malas ac peruersas*, auerterunt se *à Deo*, & *præuaricantes* nō seruauerunt pactum *initum cum eo de lege ipsius custodienda*: quemadmodū *olim* patres eorum *quoq́ fecerant*, conuersi, *inquā*, sunt *sicut* in arcum prauum *ac dolosum; qui à scopo aberrās, non solùm aliud ferit quàm voluerat iaculator, sed & ruptus ipsummet percutit.*

Et sic in iram concitauerant eum in *lucis falsorum Deorum, & excelsis* collibus suis, *vbi eos colebant* : & in *idolis ac* sculptilibus suis ad *zelosam* ęmulationem eum prouocauerunt.

9. Audiuit *& cognouit hac* Deus,& *commotus ira* spreuit *& abominatus exsecratusq́; est*,& ad nihilum redegit valde Israël.

Et repulit *ac dereliquit* tabernaculum *vrbis* Silo, *quam ab hostibus capi passus est*: tabernaculum, *inquam*, suum, vbi *quoniam arca fœderis erat*, habitauit in hominibus, *& in medio eorum.*

Et tradidit in captiuitatem *omnem fortitudinem ac* virtutem *exercitumq́;* eorum:& *decorem, ac veram* pulchritudinem eorum, *quæ in arca fœderis præsentia consistebant, dedit* in manus inimici.

Et conclusit in gladio *ac obiecit morti* populum suum: & *exardescens irâ*, hæreditatem suam spreuit *& exsecratus est.*

Sed & iuuenes eorum comedit, *& absumpsit vis belli, tanquã* ignis: & virgines eorum, *quoniam innuptæ manebant*, nõ sunt *à quoquam nec* lamentatæ *carmine lugubri, ad virginitatem in nuptiis deflendam; nec laudatæ, nec celebratæ carmine nuptiali ad epithalamium cantandum.*

Quin sacerdotes *quoque* eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorũ non plorabantur, *tanquam suis maritis destitutæ: quoniã iam ante maritos ipsos occubuerant, quos ob id nec ipsæ lugubribus fletibus prosequi poterant.*

10. *Atque*

10. *Atque hæc quidem cùm iratus deserto populo suo ita fieri permisisset, mox sponte sua ad misericordiam commotus est*, & excitatus est tamquam dormiens Dominus, *&* *grassatus* tamquam *vir* potens *ac fortis*, crapulatus *&* *exsultans* à vino *quod bibit*.

Et percussit inimicos suos, *qui populum eo dissimulante tot malis affecerat*, in posteriora, *dum terga eos vertere cogit: & infamiam*, *ac* opprobrium sempiternum dedit *& immisit* illis.

Et *quantum ad populum suum qui peccauerat attinet*, repulit *&* *auersatus est* tabernaculũ Ioseph, *sic vt arcam fœderis in Siloë, quæ vrbs stirpis Ioseph erat, amplius esse nollet*: & *ad Regem populo suo constituendum* tribum Ephraim *filij Ioseph* nõ elegit.

Sed elegit tribum Iuda, *&* mõtem Sion, quem dilexit.

Et ædificauit *ibi & excitauit in palatia excelsa ac pinnata*, sicut *cornua* vnicornium sanctificium suum: *quod tam firmum* in *eo loco ac terra constituit atque est ipsa* terra, quam fundauit in *perpetua* sæcula.

Et elegit Dauid seruum suum, & *selegit ac* sustulit eum, *humilem & abiectum*, de *caulis ac* gregibus ouium: de *infimo, inquam, loco, cùm* post fœtantes *pecudes iret*, accepit *& abduxit* eum.

Et pro pastore pecudum, pastorem populorum, hoc est, Regem faciens, iussit eum pascere Iacob seruum *ac populum* suum, & Israël hæreditatem suam.

Et

Et *ille obtemperans*, pauit eos in innocentia *ac simplicitate* cordis sui, *cum omni iustitia:* & in intellectibus manuum *& actionum* suarum deduxit eos *cum omni prudentia.*

Explanatio.

Legem] Historica narratio Lex dicitur, quoniam exempla & pręcepta virtutum & vitiorum, & aliarum plurimarum rerum, continet.

In parabolis] Quæcunque in veteri Testamento acciderunt, meritò dicuntur ænigmata propter mysteria Christi, quæ sub iis latent, vt apud Paulum multis in locis, & alibi videre licet.

In innocentia, intellectibus] Regiæ virtutes sunt duæ; iustitia, quæ bonitatis est; & prudentia, quæ sapientiæ.

Psalmus LXXVIII.

Titulus.

Psalmus *siue canticum* Asaph.

Argumentum.

1. NArrat primùm vir sanctus coram Deo deuastationem Hierosolymorum 2. Petens deinde vt vel tandem iram suam remittere, & populum suum liberare, hostésque perdere velit. 3. Quod cùm fiet, gratias populum acturum ait.

1. DEus, venerũt Gentes in hæreditatẽ tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem *in aceruos lapidũ & ruinarum, & tanquam* in pomorum custodiam.

Posuerunt *ac dederunt* morticina *& cadauera* seruorum tuorũ escam volatilibus cæli, *&* carnes

sancto-

ſanctorum tuorum, *quos tua gratia complecteris*, beſtiis terræ.

Effuderunt ſanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Ieruſalem, & non erat qui *occiſos* ſepeliret.

Facti ſumus *ludibrium &* opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt.

2. Vſquequo Domine iraſcêris, *an vſque* in finem *ac perpetuum? an* accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde *furorem &* iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Quia *hi illi ſunt qui* comederunt *& penitus deuorauerunt* Iacob, & locum *habitationis* eius deſolauerunt.

Ne memineris, *quæſo*, iniquitatum noſtrarum antiquarum, *ſecundùm iuſtitiam*: *ſed feſtina* citò, *& præueniant ac* anticipent nos miſericordię tuæ *ſecundùm gratiam*, quia *attenuati &* pauperes facti ſumus nimis.

Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & *non noſtra cauſa (nam indigni ſumus) ſed* propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum, *quod à bonitate & miſericordia eſt deductum.*

Ne fortè dicant in Gentibus (*nam quo pacto aut quare hoc tu permittas?*) vbi eſt Deus eorum?

ſed

ſed potiùs contrà intelligatur, & innoteſcat in *omnibus* nationibus, *&* coram oculis noſtris,

Vltio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt. *quod vt fiat*, introeat, *quæſo*, in conſpectu tuo gemitus compeditorū, *qui captiui ab hoſtibus noſtris detinentur.*

Et ſecundùm magnitudinem *potentiæ* brachij tui poſſide, *& in libertatem aſſere* filios *mortis*, *qui ab inimicis neci deſtinati ſunt*, *&* mortificatorum *loco iam habentur.*

Et redde vicinis noſtris *ad* ſeptuplum *vſq;* in ſinu eorum *illud* improperium ipſorum, quod exprobrauerunt *& contumelioſè ingeſſerunt* tibi Domine.

3. *Quod cùm facies*, nos autem populus tuus, & oues paſcuę tuæ, confitebimur, *& cum gratiarum actione* tibi *acceptam feremus ſalutem noſtram* in ſæculum *æternum.*

Et in generationem & generationem annunciabimus *& prædicabimus* laudem tuam.

EXPLANATIO.

Septuplum] Hic eſt numerus vltionis peccati, vti de Cain qui Abel fratrem occiderat, dicitur, ſeptuplo ampliùs peccaturum qui Cain interficeret. Spectatque huc quod Petrus quærebat, quoties ignoſceret fratri, an ſepties.

PSAL-

PSALMVS LXXIX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt ad instrumentum quod dicitur Sosannim, siue Rosa ac Lilia, secundùm modulos carminis, quod est* pro iis qui commutabuntur, *cantetur hoc* testimonium Asaph, *siue* Psalmus.

Argumentum.

1. Implorat populus Israëliticus, ab hostibus ob peccata sua oppressus, auxilium Domini, optans vt & ipse ad Deum, & Deus ad illum conuertatur. 2. Quemadmodum semper factum fuisse commemorat, cùm Deus ex Ægypto populum suum educeret, & in Cananæa tanquam vineam plantaret, quam nunc penitus vastatamq́ deplorat. 3. Vnde ad precandum reuertitur, vt omnia in integrum restitui possint.

1. QVi regis *ac pascis* Israël, intende, *quæso: ausculta tu*, qui deducis velut ouem Ioseph, *totamq́; gẽtem Israeliticam, ab illo olim in Ægypto sustentatam.*

Qui *in arca fœderis tui* sedes super Cherubim, *vnde responsa reddere soles:* manifestare, *& affulgẽs ostende te* coram Ephraim *tribu filij Ioseph*, Beniamin, & Manasse.

Excita, *inquam*, potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos.

Quod vt fiat, Deus, conuerte nos *ad te*, & *vice versa* ostende faciem tuam *nobis: & sic mutua conuersione facta*, salui erimus.

Nam, ô Domine Deus virtutum *& exercituum*, quous-

Quæ quidem tam præclara cùm olim nobis ostenderis, vt quid *nunc Domine è contrà* destruxisti *ac rupisti* maceriam *ac sepes* eius, & vindemiāt eam, *ac decerpunt ab illa* omnes qui prætergrediuntur viam?

Exterminauit, *impleto ventre, & vastauit* eam aper de silua, *dum præter reptilia Dei omnipotentis* & *aues agrestes, simul &* singularis *ac solinagus ille* ferus *porcus campi* depastus est eam.

3. *Ergo iterum, rogo te*, Deus virtutum *& exercituum*, conuertere, *quæso, iterum ad nos: &* respice de cælo, & vide, & visita vineam istam.

Et perfice *ac restitue in integrum locum ipsum, & plantulā ac radicem* eam, quam plantauit dextera tua: & *respice* super filium hominis *populum tuum Israëliticum*, quem *ad illam colendam* confirmasti *ac roborasti* tibi.

Etenim incensa *est* igni *ab hostibus*, & suffossa, *penitusq; excisa; & si ita pergas*, ab *austeritate &* increpatione vultus tui *omnia tandem* peribunt.

Quod quidem ne accidat, sit, obsecro, ac fiat manus tua *auxiliatrix* super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem *ad vineam istam vindicandam ab hostibus, & restaurādam*, confirmasti *ac roborasti* tibi.

Et *sic restituti, cùm* nō discedimus *amplius per peccata nostra* à te, viuificabis nos: & *nos viuificati*, nomen tuum inuocabimus.

Quod quidem, vt fiat Domine Deus *Zabaoth*,

Deus virtutum *& exercituum* converte nos *(vt vel tertiò id repetam) ad te*, & *vicissim* ostende *& illustra super nos* faciem tuam, & *sic penitus* salui erimus.

EXPLANATIO.

Vineam] Quemadmodum hîc populus Israeliticus, ita in Euangelio Ecclesia vineæ comparatur, ad quam, secundùm mysticum sensum, hic Psalmus optimè accõmodatur.

Filium hominis] Hic mysticè Christus est, qui in Euangelio seipsum ita sæpe vocat.

PSALMVS LXXX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt* pro torcularibus, *& felici vindemia ad instrumentum seu modulos carminis Githit cantetur hic Psalmus* ipsi Asaph, quinta Sabbathi.

Argumentum.

1. ADhortatur populum vir sanctus ad diem festum celebrãdum, qui constitutus est ob summa beneficia in educendo populo ex AEgypto à Deo collata. 2. Pro quibus quid ipsi contrà fecerint, non obedientes mandatis Dei, ipsummet commemorantem inducit.

1. EXsultate Deo *fortitudini &* adiutori nostro: iubilate *& clangite* Deo Iacob.

Sumite *in ore* psalmum *canentes*, & date *ac percutite* tympanum *pulsantes; etenim cantus &* psalterium iucũdum *est* cum cithara *& chely nabloq́ue*.

Buccinate in neomenia *calendis huius nouilunij* tuba

tuba & *cornu*, in insigni *hac & celebri* die solennitatis vestræ.

Quia *vti ita faciatis*, præceptum in Israël est, & iudicium, *ea de re constitutum à* Deo Iacob.

Etenim ille in testimonium *& memoriam* in *posteritate* Ioseph posuit illud, cùm *ipso duce populus Israël* exiret de terra Ægypti, *vbi sub exteris & alienis miseram seruitutē seruiens, tot annis* linguam quam non nouerat audiuit.

Atque inde ipsum educens diuertit *ac liberauit* ab oneribus, *quæ sub Ægyptiis ferre cogebatur*; dorsum *& humeros* eius: *&* manus eius in cophino *& ollis lateribusque è terra faciendis nō ampliùs* seruierūt, *sed recesserūt ab ea seruitute, ac liberati sunt.*

2. *Pro quibus tam ingentibus beneficiis quidnam populus hic rependerit, ipsum Dominum commemorantem audite*: *Ecce, inquit*, in tribulatione *& angustia* inuocasti me, & liberaui *ac erui* te: exaudiui te *& respondi tibi* in abscondito *tonitrui ac* tempestatis, *dum nubibus circumfusus, pro te pugno: porrò* probaui te, *an pro tantis beneficiis acceptis gratus esses, nec ne*, apud aquam contradictionis. *Ita profectò res est*, Sela.

Dicebā enim: Audi populus meus, & *certò tibi pollicebor, ac* contestabor te, ô Israël, si *quidem* audieris me, *& secundùm hoc* non erit in te Deus *peregrinus* recens *ab hominibus fictus*, neque adorabis *aut incuruabis te ante* Deum alienum.

Ego enim, *vt iam scis*, sum Dominus Deus

tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: *aperi ac* dilata os tuum, *& pete à me quicquid omnino velis, &* *ego respondens omnibus votis tuis*, implebo illud, *sic vt nihil tibi desit, nec quidquam possis desiderare.*

Cæterùm super hac promissione & exhortatione, vide quidnam sit factum: enimuero nõ audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi, *nec voluit monitis meis obedire.*

Quod ego videns, dereliqui & dimisi eos *fre* secundùm desideria *& prauitates duritiei* cordis eorum, *quantum ad inferiorem animi partem attinet: & quantum ad superiorem,* ibunt in *consiliis &* adinuentionibus suis *propriis, quas ipsi sibi opinionis errore fingunt.*

Cæterùm si populus meus audisset me (*quod vtinã factũ esset*) Israël si in viis meis ambulasset:

Breuissimo tẽpore quod, quasi pro nihilo *sit ex toto* forsitan, *aut certè nõ multo minùs,* inimicos eorum humiliassem *ac contriuissem*: & super tribulantes eos, *conuertissem ac* misissem manum meam.

Quin planè effecissem, vt omnes mortales, felicitatem eorum videntes, dixissent: Ecce inimici Domini, *qui bellum inferebant huic populo Israelitico, eò rerum redacti sunt, quòd* mentiti sunt ei, *sic vt coacti sint, si non verã, simulatã saltẽ obedientiã & amicitiã illi præstare:* & *quãtum ad ipsos Israeliticos attinet, dum hostes eorũ perpetua calamitate affligẽtur,* erit tempus eorũ *felix ac prosperum* in *perpetua* sęcula.

Nam

Nam præter alia bona innumera, quæ ipsis Dominus exhibuit, tum & cibauit illos ex adipe frumenti *ac tritici*, &, *quod omnem admirationem superat*, de *arida & sterili* petra, melle saturauit eos.

Explanatio.

Exsultat] De quo festo celebrando hîc agatur, nouilunij ne, an primi Septembris, quod clangoris & tubarum vocatur, quæritur. sed non puto multum referre, & vtrique rectè accommodari posse. Inscriptio tamen de vindemia Septembri maximè congruit, quanquam & antè nouum vinum in Iudæa reperiri, ex Actis Apostolorum constat.

Psalmus LXXXI.

Titulus. Psalmus Asaph.

Argumentum.

1. Dicit Propheta Deum inter medios iudices constitisse. 2. Vbi eum loquentem, ipsosque reprehendentem & minitantem ob peruersa iudicia introducit. 3. Quo facto quoniam omnes iudices terræ corrupti sunt, vti ipse venire, filiumque mittere velit precatur.

1. Deus stetit in *congregatione ac* synagoga deorum, *iudicũ nempe Dei:* in medio autem *ipsorum ipsos* deos *ac iudices* diiudicat *& reprehendit.*

2. Vsquequo, *inquit*, iudicatis iniquitatem, & facies *ac personas* peccatorum *impiorumq́, tum ipsi* sumitis *& induitis: tum verò in iudicando respicitis, vt illis placeatis? Ita sanè res est*, Sela.

Quinimo verò contrà iudicate egeno & pupillo,

quibus non aliud quàm in vobis est refugium: humilem, *afflictumq́;*, & pauperem iustificate. *sua iusta illi reddentes.*

Eripite, *dico*, pauperem *à periculis*: & egenum *ac mendicum* de manu peccatoris *& impij* liberate.

Sed quid ego frustra clamo? ecce quemadmodum huc vsque nescierunt *viam veritatis*, neque intellexerunt *ipsum bonum & æquum: ita adhuc perstant in sua ignorantia, &* in tenebris ambulant, *sic vt futurum tādem sit, quòd legibus omnibus perruptis, iustitia neglecta, tota respublica peribit, & quasi* mouebuntur omnia fundamenta terræ.

Quare ad postremum ego dixi: *Vos iudices* dij *quidem* estis; *à me, supremo Deo, rebus præpositi*: & filij *Dei* excelsi omnes, *cuius personam repræsentatis.*

Sed propter peccata vestra vos autem sicut *vilissimi quique* homines moriemini, *quo ad corpus*: & sicut *Adam, & vt* vnus *ille* de principibus *Angelorum, à summo ad infimum* cadetis, *quo ad animam: nam hoc tyrannorum proprium est præmium.*

3. *Hæc cùm tu Domine ipse ore tuo protuleris, & iam omnes iudices ac principes terræ corrupti sint*: surge *tu, quæso, ipse ô* Deus, *&* iudica terram, *& mitte Filium tuum vnigenitū*; quoniam *eo veniente*, tu hæreditabis in omnibus gentibus, *easq́; tanquam hæreditatem tuam propriam possidebis.*

EXPLANATIO.

Deorum]Dij vocantur iudices, quoniam Dei, qui solus verus Rex est & Iudex, sunt vicarij: & tanquam minores quidam dij, ex principiis diuinarum legum ac iudiciorum, suas inferiores leges ac iudicia deducunt.

PSALMVS LXXXII.

Titulus.

Canticum Psalmi Asaph.

Argumentum.

1. Compellans vir sanctus Deum pro auxilio, narrat quot gentes ac nationes contra populum Israeliticũ conspirauerint.
2. Aduersum quas Dei opem implorans, optat vt pereãt, quemadmodum alij olim populi Dei inimici perierunt.

1. DEus (quis similis *aut æqualis* erit tibi) *si modò vim ac potentiam tuam, contra peccatores & impios ostendere velis? itaque* ne taceas, *obsecro, ampliùs, nec obsurdescas ad preces nostras*, neque compescaris *aut quiescas*, ô Deus.

Quoniam ecce *iam* inimici tui *tumultuantes*, sonuerunt *classicum*: & qui oderunt te, extulerunt caput.

Super populum tuum malignauerunt, *& callidè & secretò inierunt* consilium: & cogitauerunt aduersus sanctos tuos, *qui sub tua protectione absconditi latent*.

Dixerunt *enim*: Venite, & disperdamus *ac succidamus* eos de gẽte, *ita vt nõ ampliùs sint in alicuius gẽtis numero*, & nõ memoretur nomẽ Israël vltrà.

Quoniam, *inquam*, cogitauerunt, *& iniquo cor-*

de conspirauerunt vnanimiter simul *omnes* aduersum te, *fœdus pepigerunt*, *& tamquā* testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorũ & Ismaelitæ: *item* Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalech, *& Philistini* alienigenæ, cum habitantibus Tyrum, *qui omnes fortissimè & arctissimè sunt confœderati.*

Etenim *&* Assur *quoque* venit *& coniunctus est* cum illis, *&* facti sunt *omnes* in adiutoriũ, *& tamquam in brachium* filiis Loth, *qui sunt Moabitæ & Ammonitæ. Ita profectò res est*, Sela.

2. *Quare, vt dixi, ne conniueas amplius nec quiescas Domine: sed* fac illis sicut *olim fecisti* Madian & Sizaræ, sicut *fecisti* Iabin in torrente *siue flumine* Cisson.

Qui disperierunt in *fonte* Endor: & *dum insepulti computrescunt*, facti sunt vt stercus terræ.

Pone, *dico*, principes *ac duces* eorum sicut *fecisti* Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana.

Omnes *inquam*, principes eorum, qui dixerũt, *occupemus, &* hæreditate possideamus sanctuarium *& habitaculum illud pulchrum* Dei.

O Domine Deus meus, pone illos vt rotam, *quæ nusquam consistit*: & sicut stipulam *ac glumā* ante faciem venti, *quæ perpetuò agitatur.*

Sicut *enim* ignis, qui *grassabundus* comburit siluam, & sicut flamma comburens montes *arboribus vestitos*:

Ita *exspectabo quòd* persequêris illos in tēpestate

tua,

tua,& in *turbine ac* ira tua turbabis *& terrebis* eos.
Imple *ac perfunde* facies eorum *pudore &* ignominia:& *sic malo coacti*, quærent *fortasse* nomen tuũ Dñe. *nã pudor principium esse solet ad virtutẽ.*

Et ni id faciant, erubescant & conturbẽtur *vsq;* in sæculum sæculi:& *sic* confundantur, *vt penitus infames maneant*, & pereant.

Vt cognoscant, *& reipsa cõperiant*, quia nomen tibi Dominus *omnipotens, trinus & vnus*; *& quòd* tu solus *idem es, quod nomen tuum, hoc est, potentissimus &* Altissimus in omni terra.

EXPLANATIO.

Stipulam] Congruit hoc cum eo quod primo Psalmò dicitur : Sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Quæ enim hîc enumerantur, præmia sunt impietatis & iniustitiæ.

PSALMVS LXXXIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, vt* pro torcularibus *siue pro felici vindemia, ad instrumentum seu modulos carminis Gith, tradatur* filiis Chore *decantandus hic* Psalmus.

Argumentum.

1. ABsens Dauid ab Hierosolymis, narrat quantopere exoptat redire, ad templum Dei adeundum, cuius rei summam felicitatem cõmemorat: 2. Quare vt id sibi contingere possit, orat.

1. QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum *& exercituum:* concupiscit &

præ amore deficit *& quaſi conſumitur* anima mea, *quoties cogitat* in atria Domini.

Imo & cor meum, & caro mea *ſæpe præ gaudio* exſultauerunt in Deum viuum, *ad laudandum ac prædicandum eum.*

Etenim *anhelans ad te, dixi aliquando apud animum meum : Ecce* paſſer inuenit ſibi domum, & turtur *hirundoq;* nidum ſibi, vbi reponat pullos ſuos, *& quieſcat.*

Ego autem altaria tua, *in quibus ſolus acquieſco* (Domine) virtutũ *& exercituũ, qui* Rex meus *es* & Deus meus, *quando tandẽ potero inuenire & adire?*

Profectò ter quaterq; beati qui habitant in domo tua Domine, *vbi perpetuò* in ſæcula ſæculorum laudabunt te, *dicentes: Eia eia,* Sela.

Beatus, *inquam,* vir, cuius eſt auxilium abs te, *& fortitudo in te, quiq; vias virtutis &* adſcenſiones *per quas ad te quaſi per gradus peruenitur*, in corde ſuo diſpoſuit, *ſic ſe rebus accommodãs* in *hac* valle lachrymarum *& viuens* in loco quem *Deus ei* poſuit, *vt tanquam amœniſſimo (etiamſi alius ſit) & limpidis fontibus irriguo eo vtatur.*

Etenim *certum eſt, quòd, etiamſi non ſint fontes, ſed ciſternæ tantùm, tamen à Deo aqua pluuia, quæ loco fontium ſit, implebuntur: quòdque iis qui ſic ſunt affecti,* benedictionem dabit *Dominus, verus doctor virtutis &* legiſlator: *qua amicti & armati*, ibunt *adſcendentes* de virtute in virtutem, *per inferiora quæque, tamquam per exercitum vnum & alterum*

noua

noua vi & fortitudine, quæ eundo crescit, perrumpentes, donec omnibus resecatis, videbitur *illis tandem clarè & apertè* Deus *ipse* Deorum, *qui summus est omnium, & sedem suam habet* in *monte* Sion, *vbi coram ipso apparebunt.*

2. *Quod quidem vt & mihi contingat, ô* Domine, Deus virtutum *& exercituum*, exaudi *quæso*, orationem meam: auribus, *inquã*, percipe *quod rogo, ô* Deus Iacob. *Ita amabo fiat, ita fiat*, Sela.

O qui protector *& clypeus* noster *es*, adspice *nos* Deus: & respice *benignis oculis* in faciem Christi tui, *quem tu in Regem vnxisti, vt vel tandem tabernacula tua videre possim.*

Quia melior est dies vna in atriis tuis, super multa millia *dierum alibi.*

Imò elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, *& ad limẽ ipsius tanquam hospes morari*, quàm habitare, *& viuere splendidè* in *mediis* tabernaculis *impiorum ac* peccatorum.

Quia *cũ apud impios omnia iniquitatis & vanitatis sint plena, contrà* misericordiã, *tanquã solem iustitiæ*, & veritaté, *tanquam firmum clypeum*, diligit Deus: *&* gratiam, & gloriam, *quæ sunt præmia iustitiæ*, dabit Dominus.

Et non priuabit *nec destituet vllo modo* bonis *omnibus* eos qui ambulant in *vitæ* innocentia, *& simplicitate perfecta: etenim, ô* Domine virtutum *& exercituum, modis omnibus* beatus homo qui sperat *& confidit* in te.

EXPLA-

EXPLANATIO.

De virtute in virtutem] Gradus virtutum per quos adscenditur, sunt, ciuilis, purgatoria, purgati animi, & exemplaris, vbi conspicitur Deus Deorum Dominus. Ac quanquam quidem hîc virtus pro fortitudine ponatur, accipitur tamen fortitudo generaliter pro virtute.

PSALMVS LXXXIIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectũ chori musici, vt* filiis Chore *decantandus tradatur hic* Psalmus.

Argumentum.

1. COmmemorans vir sanctus Deum cœpisse ad populũ suum se conuertere, & è captiuitate eum educere, orat vt & ipsum populum ad se conuertere, & plenam suam gratiam ei impartiri velit. 2. Quo facto, silentium sibi ipse imponit, vt audiat quid ad id respondeat Dominus: dicens, non dubitare se, quin plenam pacem Deus populo suo impartiet, quoniam plenus est misericordia & veritate: vnde per iustitiam pax erumpit, quam vtique Christus Filius eius est allaturus, gratiæ & veritatis plenus.

1. BEnedixisti Domine, *& reconciliatus ac propitius factus nobis, recepisti in gratiam* terram tuam, *Israël:* auertisti *& soluisti* captiuitatem Iacob.

Remisisti *& penitus abstulisti* iniquitatem *populi ac* plebis tuę: operuisti omnia peccata eorum. *Eia eia*, Sela.

Mitigasti *& quasi collegisti* omnẽ iram tuam: auertisti *te* ab ira *furoris*, *&* indignationis tuæ.

Quod quidem cùm ita sit à tua parte; fac, quæso,

vt

vt & à nostra parte debitum officium præstemus, itaque conuerte nos *ad te*, ô Deus salutaris noster, & *sic penitus* auerte iram tuam à nobis, *& confringe eam, cùm tu ad nos, & nos ad te conuersi sumus.*

Nam alioqui, nisi id facias, quid aliud restat quã vt quæramus: Nunquid in æternum irascêris nobis? aut *protrahes &* extendes iram tuam à generatione in generationem?

Etenim quid prodest, ô Deus, quod tu ad nos sis conuersus, *nisi simul & nos ad te conuertas? quod faciens, tum verè, plenè, perfectéq;* viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Itaque exaudiens preces nostras, ostende nobis Domine *integram bonitatem &* misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

2. *Sed satius erit vt taceam nonnihil, &* audiam quid *respondeat &* loquatur (in me) Dominus Deus: quoniam *certò cõfido, quòd* loquetur pacem in plebem suam, *ostendens se iam ex toto illis esse reconciliatum.*

Idémque loquetur & super sanctos suos, *quos sua immensa misericordia est complexus*, & *generaliter* in eos *omnes* qui conuertuntur ad cor, *vt ad pristinam stultitiam non reuertantur.*

Etenim nunquam longè nec diu abest, verumtamen *semper* prope timẽtes eum *est* salutare ipsius, *idq; non perfunctoriè, & tamquam in transitu, sed* vt *perpetuò* inhabitet gloria *eius* in terra nostra.

Nam misericordia *& gratia remissionis peccatorum*

torum, & *plena perfectaq;* veritas *doctrinæ*, *iam* obuiarunt sibi *inuicem*, *cōcurrentes in vnum*: *& absoluta* iustitia, *quæ ex duabus illis constat*, & *consequenter* pax, *quæ filia est iustitiæ*, *post longam absentiam ob peccata nostra*, *se mutuò* osculatæ sunt.

Atque ita iam euenit, *quòd* veritas *doctrinæ* de terra orta est *& effloruit per natū è virgine Filium*, *qui ipsa est veritas*: & iustitia *vitæ* de cælo prospexit, *per eundem ex alto missum*, *qui ipsa est iustificatio nostra*.

Etenim Dominus *Deus Pater* dabit benignitatem, *mittendo de cælo Filium*: & terra nostra dabit fructum *& germen* suum, *producendo eum*.

Atque vbi aduenerit, iustitia ante eum ambulabit, *ad ius suum cuique tribuendum*: & ponet in via gressus suos, *ad populum suum regendum ac gubernandum*.

EXPLANATIO.

Loquatur] Summum in rerum diuinarum contemplatione est sanctū & venerandum silentium, cùm cessantibus omnibus viribus sensus, intellectus, & mentis, nihil restat, nisi vt nobis mutis factis, Deus in nobis loquatur.

Misericordia] Misericordia bonitatis est, veritas intellectus: ex quibus duabus constat iustitia vniuersalis, cuius effectus est pax. Iustitia specialis, vitæ ac morum est; veritas doctrinæ, in quibus vera beatitudo consistit. quę omnia adferet Christus. Porrò pulcherrima est hîc descriptio, & mysterij plena; occursus misericordiæ & veritatis, osculi iustitiæ & pacis, veritatis de terra ortæ, & iustitiæ de cælo prospicientis; Dei dantis benignitatem ex alto, & terræ dantis

dantis fructum suum ex imo, & denique iustitiæ anteambulantis, & Regis gressus suos in via ponētis nam per quod Rex regnat, sola iustitia est; & per quod terra dat fructū, sola Dei est benignitas. Quod tum maximè cōtigit, cùm Christus veritas de terra è virgine natus est, & iustitia Spiritus sancti, quo virgo obumbrata fuit, à Patre de cęlo prospexit. Per quod pax nata est hominibus bonæ voluntatis, hoc est, iustis, idque per Dei misericordiam in peccatis cōdonandis, & veritatem in promissis seruandis.

PSALMUS LXXXV.

Titulus.

Oratio *conscripta* ipsi Dauid.

Argumentum.

1. INuocat primùm Rex Deum generaliter, addens multas causas cur debeat exaudiri. 2. Deinde specialiter petit vt in lege Dei possit ambulare: 3. Et ab hostibus liberari, sic vt ab animi pariter & corporis malis liberetur. Mysticè de Christo hæc omnia intelliguntur.

1. INclina Domine aurem tuam, & *responde Deus votis meis*: exaudi me, quoniam *destitutus omni ope humana*, inops & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam *aliis præsidiis omissis, tibi vni & misericordiæ tuæ dedicatus, &* sanctus sum: saluum fac seruū tuum *tu*, Deus meus, sperantem *ac confidentem* in te *solo*.

Miserere mei Domine, quoniam *sine intermissione* ad te clamaui, *& clamabo* tota die: lætifica animā serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui, *& attollam semper.*

Quoniam

Quoniam tu Domine suauis & mitis, *bonusq́, & propitiabilis*, & *magna ac* multæ misericordiæ, omnibus inuocantibus te.

Auribus, *quæso*, percipe, Domine, orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

Nam semper in die tribulationis *& angustia* meæ, clamaui ad te, quia *nunquam me destituisti, sed votis meis respondens*, exaudisti me.

Non *enim* est similis tui in diis, *quos opinionis errore sic homines vocant*, ô Domine: & non est *qui comparetur tibi* secūdùm *immensa* opera tua, *quibus nulla alia sunt similia*.

Nam aduenienteregno tuo, omnes gētes, quascumque fecisti, venient, & *inclinati, genibusq́, flexis*, adorabunt coram te *ac facie tua* Domine, & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, *& ab hominum iudicio penitus separata: denique* tu es Deus solus,

2. *Quòd quidem cùm ita sit, doce &* deduc me Domine in via tua, & ingrediar *ac ambulabo* in veritate tua: lætetur *& exultet, tecumq́, vniatur* cor meum, & timeat nomen tuum.

Quod si facias, confitebor *cum gratiarum actione, & acceptam feram* tibi *salutem meam* Domine Deus meus, in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia *constabit quòd* misericordia tua *nō vulgaris, sed* magna est super me: & *quòd* eruisti animam meam

meam, *non dico*, ex inferno *siue fouea sed ex inferno* inferiori, *dum ex vltimis periculis me extrahis.*

3. *Nam ecce*, ô Deus, iniqui *& superbi* insurrexerunt super me, & *cœtus ac* synagoga *hominum robustorum ac* potentium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo, *nec vllam tui habuêre rationem.*

Quod videns & considerans tu Domine Deus, miserator *pius* & misericors, patiens *& tardus ad iram, sed celeris* & multę misericordię *in auxiliando,* & verax *in præstandis promissis,*

Conuertens te, respice in me, & miserere mei: da imperium *& robur* tuum puero *ac seruo* tuo, *vt illis possim resistere*, & *sic* saluum fac filium ancillæ tuæ, *qui non quouis modo, sed iam inde à natiuitate ipsa tibi est seruus.*

Fac, *inquam*, mecum signum in bonum, *edens illustrem aliquam significationem voluntatis erga me tuæ*: vt videant qui oderunt me, & *pudore* confundantur, quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

EXPLANATIO.

Deduc] Via siue Lex Domini ipsa est veritas: in qua qui ambulat, cum Deo viuit: vnde nascitur reuerētia erga eum, quæ est lætitia cum timore filiali coniuncta.

PSALMVS LXXXVI.

Titulus.

Vt detur filiis Chore *decantandus hic* Psalmus cantici.

Argumentum.

1. PRædicat vir sanctus & summis laudibus extollit sanctam Dei ciuitatem. 2. Inducitque Dominum ipsum loquentem de eius celebritate, sic vt omnes gentes ac nationes ad eam accurrent propter natiuitaté Christi in ea. 3. Quare quemadmodum omnes pij, ita & se perpetuò in ea victurum Propheta canit.

1. QVid dicemus de ciuitate Dei Hierosolyma? aut quid cãtabimus de ea? certè fundamenta eius *posita sunt* in montibus sanctis, *in quibus stat ædificata*: diligit Dominus portas *arcis eius, & montis* Sion, super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa *ac magnifica* dicta sunt de te, ô ciuitas Dei. *Ita profectò res est*, Sela. *tollamus vocem altiùs.*

2. *Etenim sic locutus est Dominus:* Memor ero Raab, *Ægyptiæ tam olim superbæ*, & Babylonis scientium *& cognoscentium* me, *videboq́; eos ad ciuitatem meam accurrentes, & me omnibus laudibus celebrantes.*

Quin ecce *Palæstini* alienigenæ *quoque*, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi *iam omnes* fuerunt illic, *& maiore frequentia ad eam videndam quotidie accelerabunt: quoniam ille magnus qui venturus erat, iam natus est illic.*

Porrò numquid *& hoc quoque accidit quod de*

arce

arce Sion,*&* *ad illam* dicet *vnusquisque* homo,& homo,*inquam,quicunque hic & illic per totum orbem terrarum habitat, ecce iam vir ille,& iam vir, dico,ille* natus est in ea,*qui nasciturus erat*, & *qui* ipse fundauit eam,*cùm sit* Altissimus?

Cui & hoc accedet,quòd Dominus *ipse,qui sum ego, numerum suorum iniens*, narrabit *& ponet* in scripturis *censualibus* populorum *suorum*;& principum horum qui fuerunt in ea *ciuitate,dicẽs illis omnibus: Iam natus est ibi,iam natus est magnus ille qui exspectabatur. Ducite triumphum simul omnes*, Sela, *ducite*.

3. *Quare quid aliud restat,ô sancta Dei ciuitas, quàm*,sicut *principum & aliorũ* lętantiũ omnium, *qui alta & clara voce,tanquam parturientium cantus & choros ob natiuitatem hanc cient*, habitatio est in te, *qui vltimus iustitia est finis* : *ita & ego omnes cogitationes meas in te solo constituam, vt ad tuos suauissimos fontes, & eorum scaturigines perpetuò me oblectem, omnium rerum mearum fontes & origines in te vno collocans,& à te ducens.*

EXPLANATIO.

Ciuitas] Describitur hic vera ciuitas Dei & iustię ipsius, nouaque illa Hierusalem,cuius in Apocalypsi fit mentio, cuius caput est Christus,quem in ea natum Propheta celebrat.

PSALMVS LXXXVII.

Titulus.

Canticum Psalmi *pro* filiis Chore, *vt per eos canatur, ad quam rem missum est* in finem, *siue ad summum praefectum chori musici*, pro *eo vt id ipse decantandum curet ad instrumentum quod vocatur* Maheleth, *idq; alternatim, siue* ad respondẽdũ, *& ad modulos carminis, cuius initium est* intellectus, *vt sit eruditiuum* Eman Ezrahitæ.

Argumentum.

1. Implorans vir sanctus Dei auxilium, commemorat in quantis malis versetur. 2. Vnde ad precandum rediens, causam dicit cur Dominus opem illi ferre debeat. 3. Rogans ne repellatur, quoniam in extremis malis est cõstitutus. Gerit hic Propheta personam Christi, cùm à suis destitutus, ad extremum supplicium raperetur.

1. DOmine Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te.

Intret, *quæso, coram te* in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad *clamorem laudis, &* precem meam.

Quia *exsaturata & penitus* repleta est malis anima mea: & vita mea *sepulchro, &* inferno appropinquauit.

Æstimatus sum cum descendẽtibus in *foueam &* lacum, *quorum ibi cadauera sepeliuntur*: factus sum sicut homo sine *vllo roboris ac virium* adiutorio, *tanquam vnus* inter mortuos, *qui à rebus huius vitæ iam liber est effectus.*

Sicut

Sicut *homines, inquam,* vulnerati *& occisi,* dormientes in sepulchris, quorum, *quantum ad res huius vitæ attinet,* non es memor ampliùs ; & *qui iam* ipsi de manu tua repulsi *& abscissi* sunt.

Posuerunt me, *vel tu potiùs posuisti,* in lacu *ac puteo* inferiori, in *locis* tenebrosis *& profundis,* & in vmbra *ipsa* mortis.

Super me confirmatus *& penitus defixus* est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me, *quibus me afflixisti & quasi confregisti. Ita sanè se res habet,* Sela.

Nam præter supradicta, longè *etiam* fecisti, *& penitus alienasti* notos meos à me : posuerunt me abominationem sibi.

Traditus, *& in carcerem coniectus, vndique circumclusus* sum *omni genere malorum,* & non egrediebar , *nec video quomodo euadere aut emergere possim* : oculi mei, *perpetuis lachrymis pleni ac stillantes* , languerunt præ inopia *& afflictione quam patior.*

2. *Itaque* clamaui ad te Dñe tota die, expandi ad te manus meas, *quemadmodum & nunc facio.*

Atque vti me exaudias & non interire sinas, considera, quæso, quid ex mea morte boni tibi possit contingere: numquid *enim* mortuis, *qui iam nihil amplius hic sentiunt,* facies mirabilia , *& ostendes stupendas virtutes tuas, in quibus sperent;* aut *resurgēt mortui, vel* medici suscitabunt *eos,* & confitebuntur tibi, *cum gratiarum actione nomen tuum cele-*

 brantes,

brantes, tibiq; omnia accepta ferentes, Sela.

Numquid, *inquā*, narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, *quæ bonitatis est*? & veritatem tuam, *quæ intelligentiæ*, in perditione, *vbi amplius non sunt?*

Numquid *denique* cognoscentur in tenebris mirabilia tua, *vbi nihil cernitur*? & iustitia tua in terra obliuionis, *vbi nulla rerum est memoria, & cuius apud mortales pauca exstat recordatio*?

Ergo miserere mei, & conserua me: & ego *vice versa, quemadmodum semper* ad te Domine clamaui, *ita pergam laudes tuas celebrare*, & *ipso summo* mane oratio mea præueniet *& præoccupabit* te.

3. *Nam* vt quid *autem* Domine repellis *animam &* orationem meam? *cur abscondis &* auertis faciem tuam à me?

Pauper *enim & miser* sum ego, & *versatus* in laboribus *ac ærumnis iam inde à pueritia &* iuuentute mea: exaltatus autem *nonnihil aliquādo, mox rursum* humiliatus sum: *& sic exspiranti similis, & vix animum trahenti, tuli continuò terrores tuos, quibus exanimatus* & conturbatus, *vixi semper dubius ac trepidus*.

Etenim in me transierunt *omnes* iræ tuę, & terrores tui conturbauerunt *& oppresserunt* me.

Circumdederunt me sicut aquę, *& fluctus qui in hominem irruunt: idq; non per vices, sed sine intermissione* tota die: circumdederunt, *inquā*, me *non alij post aliū particulatè, sed* simul *omnes vniuersè*.

Denique

Denique elongasti à me *omnē* amicum *consuetudine*, & proximū *sanguine:* & notos meos *posuisti in tenebris, ita vt nulla penitus à me absit* miseria.

EXPLANATIO.

In terra obliuionis] Quemadmodum superior mundi regio eius quod est, scientiæ & memoriæ plena est: ita infima sub terra plena est eius quod nō est, ignorantiæque & obliuionis. quod hic perelegāter depingitur. Estq; hic solus Psalmus perpetuo mœrore plenus, sine vlla cōsolatione.

PSALMVS LXXXVIII.

Titulus.

Intellectus, *siue Psalmus intellectiuus* Ethan Ezrahitæ, *cantandus ad modulos carminis, cuius initium est Intellectus.*

Argumentum.

1. PRimùm canit hîc Propheta Dei laudes, virtutes, & admirabilia facta generaliter, 2. Deinde specialiter quid circa se fecerit & promiserit. 3. Quo tamen non obstante, summis malis se premi ait: 4. A quibus ad extremum liberari petit. Gerit autem hîc Dauid personam Christi circa promissiones & alia.

1. MIsericordias Domini *erga inuocantes eum* in æternum cantabo.

Et in generatione & generationem annunciabo *& notam faciam* veritatē tuam *ac fidem in promissis seruandis* in ore meo.

Quoniam *tu* dixisti, ô *Domine*, *quòd* in æternū misericordia ædificabitur in cælis; & *in sæculum sæculi* præparabitur *ac stabilietur* veritas tua

in eis, *sic vt totus mundus gratiâ & veritate sit plenus.*

Locutus enim es his verbis: *Ecce* dispolui testamentum *ac pepigi fœdus cum* electis meis, iuraui Dauid seruo meo: vsque in æternum præparabo *ac stabiliam* semen tuum.

Et ædificabo in generationē & generationem sedem tuam, *& solium regni tui. Ita res est*, Sela.

Quod quidem cùm ita sit, confitebuntur *ac testata faciēt* cæli mirabilia tua Domine, *quæ à cōmuni hominum sēsu sunt separata: celebrabūt autem homines fidem tuam*, etenim *prædicabunt* veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quoniam quis in *cælo ac* nubibus æquabitur Domino, *aut quis* similis erit Deo, *vel in ipsis* filiis Dei, *aut Angelis?*

Deus *etenim inclytus & formidabilis est*, qui *supra modum* glorificatur in *arcano* concilio *ac congregatione* sanctorum: magnus *est* & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.

Domine Deus virtutum *& exercituum*, quis, *inquam*, similis tibi? *qui* potēs es Domine, *& maiestate plenus*, & veritas tua in circuitu tuo *est*.

Tu dominaris potestati *& superbiæ* maris, motum autem *& elationē fremitumq;* fluctuum eius tu *compescis ac* mitigas.

Tu *nullo negotio* humiliasti *ac confregisti*, sicut *hominem debilem ac* vulneratum, superbum *illum Ægyptij Regem*: in brachio virtutis *ac fortitudinis*

titudinis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cæli, & tua *etiam* est terra: orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti, Aquilonem & *Meridiem siue* mare *Australe ac dextrum* tu creasti.

Thabor & Hermon, *mõtes Orientis & Occidentis*, in nomine tuo exsultabunt *& gloriabuntur*: tuum brachium cum potentia *est*, *& fortitudinis plenum*.

Firmetur *& corroboretur inuicta* manus tua, & exaltetur dextera tua: *quoniam* iustitia *æquitasq́;* & iudicium *sunt* præparatio sedis tuæ, *& firmamentum ac habitaculum sustentaculumq́; solij tui*.

Misericordia & veritas *tanquam satellites* præcedent faciem tuam. beatus populus qui *hæc* scit, *& agnoscit* iubilationem *clangoris tubarum Domini sibi præsentis & legem ferentis*, *eaq́; re delectatur ac triumphat*.

Etenim quibus hoc contingit, ô Domine, *hi* in lumine vultus tui ambulabũt, & in nomine tuo *læti* exsultabũt tota die, & in iustitia tua, *qua eos iustificabis*, exaltabuntur *& magni euadent*.

Quoniam *decor &* gloria virtutis *ac fortitudinis* eorum tu es: & in *bona voluntate &* beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Quia Domini *& à Domino* est assumptio *& protectio* nostra, & sancti Israël Regis nostri, *qui populum suum Israël sanctificat*, *clypeus noster*.

2. *Tu olim cùm me tibi eligeres*, tunc locutus es

in visione sanctis *Prophetis* tuis, & dixisti: Posui adiutorium *meum* in potente *ac forti*, *robusto robur addens*: & exaltaui electum de *populo*, *&* plebe mea.

Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei, *& fulciet eum*: & brachiũ meum confortabit *ac roborabit* eum.

Nihil proficiet inimicus in eo, *ad ipsum opprimẽdum*, & filius iniquitatis non apponet nocere ei *ad eum affligendum*.

Sed conteram & concîdam à facie ipsius inimicos eius: & *percutiens* odientes eum in fugam *eos* conuertam *ac perdam*.

Et *erit* veritas mea & misericordia mea cũ ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Et ponam in mari *Occidentali* manum eius, & in fluminibus *Orientalibus* dexteram eius.

Ipse inuocauit me, *dicens*: Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor *ac fortitudo rupesq;* salutis meæ.

Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ *omnibus* regibus terræ.

In æternum seruabo *ac custodiam* illi misericordiam *& bonitatem* meam: & testamentum *fœdusq;* meum, *quod cum eo pepigi*, fidele *erit* ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius *perpetuum*, sicut dies cæli.

Si autem dereliquerint filij eius legem *ac do-*

ctrinam

ctrinam meam , & in iudiciis meis non ambulauerint:

Si *statuta &* iustitias *ceremoniasq́;* meas profanauerint, & mandata mea non custodierint:

Visitabo in virga iniquitates *ac transgressiones* eorum,& in verberibus peccata eorum.

Misericordiam autem *& bonitatem* meam non dispergam *nec auferam* ab eo:neque nocebo *nec fidem datam fallam* in veritate mea.

Neque profanabo *nec violabo* testamentum *& fœdus pactumq́;* meum: & quæ procedunt *& egressa sunt* de labiis meis ,non *mutabo,nec* faciam irrita.

Semel iuraui in sancto meo, *per meam sanctitatem, vide*, si Dauid mentiar? *nequaquam enim id fiet, sed contrà* semen eius in æternum *erit & manebit.*

Et thronus eius *perpetuus* sicut Sol in conspectu meo, & sicut luna *stabilis ac* perfecta in æternum, *quæ* & *signum ac* testis *erit promissionis meæ* in cælo fidelis *ac stabilis. Ita res est*, Sela.

3. *Caterùm cùm hæc* tu *ita pollicitus sis*, ô *Domine, &* verò *ore tuo proprio pronunciaueris, planè contrarium hactenus facere videris: etenim planè* repulisti, & *cum abominatione* despexisti *ac spreuisti nos*, distulisti, *& iram odiumq́; cõcepisti contra me Regem* Christum *vnctumq́;* tuum.

Auertisti testamentum, *& irritum fecisti fœdus* serui tui, *quod cum eo fecisti*: profanasti in terra *humi-*

humiq́; proiecisti ac maculasti ſanctuarium *ac diadema ſeu coronam* eius.

Deſtruxiſti omnes ſepes *ac macerias muroſque* eius, *quibus ab hoſtibus tutus eſſe ſolet* : *&* poluiſti firmamentum *ac munitiones* eius *in confractionem ac ruinam*, *ſic vt præter pauorem & formidinem nihil habeat in quo ſpem ſalutis ſuæ ponat.*

Diripuerunt *ac conculcant* eum omnes tranſeuntes viam: *&* factus eſt opprobriũ vicinis ſuis.

Exaltaſti dexteram *hoſtium* deprimentiũ eum: *&* lætificaſti omnes inimicos eius.

Auertiſti *ac retudiſti aciem & robur*, *omneq́;* adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei, *nec ſubleuaſti eum* in bello *ac prælio*.

Deſtruxiſti eum *& penitus deleuiſti ſplendorem dignitatis eius*, *ſic vt* ab *omni* emundatione *& claritate regia ſit alienus*: & ſedem *ac ſolium* eius in terram *detraxiſti &* colliſiſti.

Minoraſti *& abbreuiaſti* dies temporis *& iuuentutis* eius: perfudiſti, *& prorſus operuiſti* eum *omni* confuſione *& ignominia*. *Ita ſanè ſe habet*, Sela.

4. Quod quidem cùm ita ſit, vſquequo, *quæſo*, ô Domine, auertis *te*, *& abſconderis? an vſque* in finem *& perpetuum* exardeſcet ſicut ignis ira tua?

Memorare, *amabo*, *& reputa cum animo tuo*, quæ mea ſubſtantia, *& quàm breuis æui ego ſum*: nunquid enim vanè *& omnino fruſtra*, *ſic vt nullis rebus bonis fruantur*, conſtituiſti *ac creaſti* omnes filios

filios hominum ? *quod ſanè planè quis dixerit, & ſuper ipſa vanitate hominem fundatū eſſe affirmet, ſi ab iſtis malis nunquam nos eripias.*

Nam quis eſt homo, *quantumcumque robuſtus*, qui viuet, & non videbit mortem? *aut quis* eruet animam ſuam de manu *& poteſtate* inferi *ac ſepulchri? Ita profectò res eſt*, Sela.

Ergo vbi ſunt miſericordiæ tuæ *primæ &* antiquæ Domine? ſicut iuraſti Dauid in veritate *& bona fide* tuâ, *vt modò dictum eſt*.

Memor eſto, *obſecro*, ô Domine, opprobrij ſeruorum tuorum, quod *cum ſumma patientia tacitus huc vſque preſſi &* continui in ſinu meo, *dum* multarum *& propè omnium* gentium *contumeliis afficimur*.

Quod, *inquam*, exprobrauerunt *& intulerunt nobis* inimici tui, Domine: quod exprobrauerūt, *dico, & intulerunt per* commutationem *& perſecutionem Regis* Chriſti tui, *quem, veſtigiis ipſius inhærendo, locum ſemper mutare, & de vno ad alium fugere cogunt.*

Qui quidem, qualicumque rerum ſit ſtatu, numquam de te & promiſſis tuis diffidit, ſed in eo ſemper perſtat, vt dicat: Benedictus Dominus in æternum. Fiat, fiat.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Præparatio sedis tuæ] Quę Regis solium sustentant, sunt iustitia circa se, & iudicium circa alios : ipsaque adeo lex, quæ tanquam solium est regni, tum quidem iustitiam apud se habet, vnde nascitur; tum autē iudicium, quo vim suam ostendit.

Misericordia & veritas] Quæ ante Regem ambulare debent, sunt, misericordia ad bonos præmio afficiendos, & humiles in gratiam recipiendos; & veritas, ad malos iustis pœnis afficiendos, & superbos debellandos.

In lumine vultus] In lumine vultus Domini ambulare dicuntur, qui secundùm Legem Dei ambulant, quam lucernam esse pedibus nostris aliàs diximus. Et quod radius Solis est respectu Solis, hoc Lex Dei est respectu Dei.

LIBER

LIBER QVARTVS.

PSALMVS LXXXIX.

Titulus.

Oratio Moysi hominis Dei, *qui trinus est & vnus.*

Argumentum.

1. PRæmuniens vir sanctus solitam Dei in hominem beneficentiam, 2. Orat vt & nunc eum velit conseruare, quàm diu degit in hac vita, quæ tam est fragilis ac breuis, vt hîc elegantissimè depingitur. 3. Quare iterum orat, vt beneficio Dei id semper ob oculos habere, & secundùm hoc vitæ suæ actiones dirigere possit.

1. DOmine, *tu receptaculum & refugium* factus es nobis à generatione in generationem.

Priusquam montes *nascerentur ac* fierent, aut formaretur *& quasi parturiretur* terra, & orbis *eius*, à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.

2. *Quod quidem cùm ita sit*; ne, *quæso*, auertas *nec reducas nunc* hominem in humilitatem, *conterens eum in puluerem*: & *dicas, quemadmodum sæpe* dixisti, conuertimini filij hominum *in terram, vnde prodiistis.*

Quoniam mille anni ante oculos tuos, *& cum æternitate tua comparati*, tamquam dies *sunt* hesterna, quæ præteriit.

Et *tamquā* custodia *& breuis vigilia, quæ quatuor numero sunt* in nocte quæ *postquā subitò per te abreptæ*

repta transierunt: pro nihilo habentur *tanquam aqua quæ cum impetu transcurrit,& tanquam somnium quod euanuit:sic enim* eorum anni erunt.

Quinimo tu efficis vt homo manè sicut herba *fœnumq́;* transeat, *vt* manè, *inquam*, floreat, & *cresčes* transeat, vespere *autem succidatur ac* decidat, *nec non* (induret) & arescat.

Quæ quidem ideo nobis contingunt, quia *tibi peccauimus:quare consumpti* defecimus in ira tua, & in *indignatione ac* furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, *vt ea vidēs, perpetuis nos suppliciis afficias,& totum* seculum nostrum *vnà cum occultis peccatis nostris, & delictis iuuentutis nostræ, semper versantur* in illuminatione vultus tui, *vbi luce clariùs ea semper vides, ad nos castigandos.*

Quoniam omnes dies nostri defecerunt,*& pedetentim dilabuntur, te continenter nobis irato*: & *cum diebus nos ipsi quoque* in *eadem* ira tua *iam propè præ labore ac senio* defecimus.

Nam quemadmodum dies, ita & anni nostri sicut aranea *eiusq́; tenuis tela sunt,& sicut sermo rapidus & vana fabula, quam paulo antè homines* meditabãtur, & *iam dicto citiùs transiit: etenim omnes* dies annorum nostrorum, *prout* in ipsis *nobis communiter experimur, nō ampliùs ipsi in se sunt, quàm* septuaginta anni.

Ac si autem in potentatibus *& robustioribus contingãt* octoginta anni, *præclarū quid & eximiū esse*

esse fertur, & *tamen illud ipsum eximium & am*plius *robur eorũ nihil est aliud quã* labor & dolor.

Quoniam *cùm tempus illud modicum citissimè transeat*, superuenit *mox* mansuetudo, *& membrorum ab actionibus suis cessatio*, & *sic* corripiemur, *& velut assumptis alis mortis, citatissimo volatu auolabimus*.

Etenim quis nouit *vitare* potestatem *ac fortitudinem* iræ tuę, & prę timore tuo, *ac pro proportione reuerẽtia quæ tibi debetur*, iram tuam, *quam, cùm eam nõ præstamus, cõcipis*, dinumerare, *quin omnibus semel sit moriendum*.

3. *Quod quidem cùm ita se habeat: quæso*, dexteram tuam sic *modò* notam fac *nobis*, *vt numerantes dies nostros, paucitatem eorum semper ante oculos habeamus*: & *hoc facientes, præstabimus nos* eruditos corde in sapientia, *dum huic vitæ nihil fidendum esse intelligemus*.

Ad quod faciendum, conuertere Domine, *obsecro, ad solitam clementiam tuam*: vsquequo *enim irascêris Domine?* & deprecabilis *ac placidus* esto super seruos tuos.

Nam postquam semel repleti *ac satiati* sumus manè misericordia tua, *cantauimus porrò semper*, & exsultauimus, & delectati sumus in omnibus diebus nostris.

Lætati, *inquam*, sumus pro diebus quibus nos humiliasti *& afflixisti, pro* annis quibus vidimus *& experti sumus* mala.

Quare respice in seruos tuos, & in opera tua, *vt eorum magnificentia in seruis tuis appareat*:& *ad eum modum* dirige filios eorum, *vt decus & gloria tua in illis resplendeat*.

Et *ita* sit splendor *ac decus & misericordia, dulcedoq́;* Domini Dei nostri super nos:& opera manuum nostrarum *ita* dirige, *vt sint firma ac stabilia* super nos, & opus, *inquam*, manuum nostrarum dirige *& confirma*.

EXPLANATIO.

Moysis hominis Dei] Vtrùm ipsius Moysis hic sit Psalmus, an Moysi à Dauide inscriptus, quoniam tractat de creatione & natura hominis, non liquet, nec multum refert: posterius autem est verosimilius.

PSALMVS XC.

Titulus. (Laus cantici Dauid.)

Argumentum.

1. CAnit hoc suauissimo carmine Dauid, quàm ab omni malo tuti sint, qui in Deo confidunt. 2. Quod & repetit ac amplificat, animam suam, vtantè, alloquens: 3. Inducitque tandem Deum ipsum ea de re loquentem.

1. QVi habitat in *abscondito* adiutorio Altissimi, in *vmbra ac* protectione Dei *omnipotentis &* cæli commorabitur.

Dicet Domino, *spes &* susceptor meus es tu, & *arx ac* refugium meum: *ipse est* Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam

Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, *qui offendicula mihi ponunt*: & à verbo aspero, *pesteq́, exitiali eorum qui me fallere ac circumuenire student*.

In scapulis *& alis* suis *cooperiet te, ô anima mea, &* obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis, *ac tutus eris*.

Scuto circumdabit te, *& erit tibi tamquã clypeus* veritas eius, *in promissis præstandis*: non *erit quod* timebis à timore *ac terriculamẽto* nocturno.

Nec à sagitta volante in die, *neque à peste, aut vllo molesto* negotio perambulãte in tenebris, *dum secretò homines inuadit*; *neq́,* ab incursu & dæmonio meridiano, *dum administratione malorum dæmonum lues repentè, vel ipsa media die, hominem mordet ac deuastat*.

Quin peste ac prælio grassante, cadẽt à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem *malum* non appropinquabit.

Verumtamen *tutus stans & securus, rem omnem* oculis tuis considerabis *& adspicies*, & retributionem peccatorum videbis.

2. *Quæ omnia sic mihi euenient*, quoniam tu es Domine spes mea: *quoniam, inquam, ô anima mea, ipsum Deum* Altissimum, *tãquam excelsa in rupe*, posuisti *habitaculum &* refugium tuum, *quò tamquam ad asylum te recipis*.

Ideo non accedet ad te malum, & *plaga aut* flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam *Dominus* Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te, ne fortè *impingas aut* offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum *cæteraq́; venena mortifera illæsus* ambulabis: & cõculcabis leonem & draconem, *quantumuis immitia & fera sint animalia, vel etiam homines illis similes.*

3. *Dixisti enim de me loquens*: Quoniam in me sperauit, *& adamauit me, mihi semper completi ac perfecti amoris desiderio adhærens*, liberabo eum *ab omni malo*: protegam *& exaltabo* eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, *votis eius respondens*: cum ipso sum, *& adero illi semper, quoties* in *aliqua versabitur angustia ac* tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo *& penitus saturabo* eum, & *tandem in morte* ostendam illi salutare meum.

EXPLANATIO.

Angelis suis] Quemadmodum mala, administratione malorum dæmonum plerumque; ita bona, administratione bonorum Angelorum nobis semper eueniunt.

PSAL-

PSALMVS XCI.

Titulus.

Pſalmus cantici, *vt cantetur* in die Sabbathi.

Argumentum.

1. Contemplans vir ſanctus res à Deo conditas, in eius laudes prorumpit. 2. Addens, impios hoc non conſiderare, ſed ad momentum florentes, mox interire. 3. Quod bonis ac piis ſecus accidit, qui palmæ perpetuò virenti ſunt ſimiles.

1. Bonum eſt confiteri Domino, *& cum gratiarum actione illi omnia noſtra accepta ferre,* & *canendo* pſallere nomini tuo, ô Altiſſime.

Ad annunciandum manè miſericordiã tuam, *in peccatis condonandis*: & veritatem tuam per noctem, *in promiſſis præſtandis.*

Idq; non ſolùm prædicatione oris, ſed & in decachordo & pſalterio, & cum cantico in cithara: *ſic vt verba & inſtrumẽta cum meditatione cordis coniungantur.*

Atque id quidem ob hoc, quia delectaſti *ac lætificaſti* me Domine in factura tua, *rebuſq; tuis admirabilibus contemplandis,* & in operibus manuum tuarum exſultabo.

Quàm *enim* magnificata ſunt opera tua Domine! *valde* nimis *profectò* profundæ factæ ſunt *& inſcrutabiles* cogitationes tuæ.

2. *Verùm* vir inſipiens, *qui vt brutum animal circa inferiora ſemper verſans, ad ſuperiora num-*

quam se attollit, non cognoſcet *iſta*: & ſtultus, *qui animi ſui erroribus fertur*, non intelliget hæc.

Etenim cùm *germinauerint & exorti* fuerint *impij* peccatores ſicut *gramẽ &* fœnum, & *florentes* apparuerint omnes qui operãtur iniquitatem:

Nihil aliud ſequitur quàm vt *diſſipentur &* intereant in ſæculum ſæculi: *verùm* tu autem altiſſimus *es ac permanes* in ęternum, ô Dómine.

Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: & diſpergentur *ac diſſipabuntur* omnes qui operantur iniquitatem.

Et *contrà* exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum, & ſenectus mea, *viridi oleo Spiritus ſancti perfuſa*, in miſericordia *ac bonitate tua* vberi *verſabitur*.

3. *Quin & iam nunc* deſpexit oculus meus inimicos meos, *qui ad me captandum in me oculos ſuos intentos habebant*: & *de* inſurgentibus in me *hominibus perditis &* malignantibus audiet *quæ volet & optabit* auris mea.

Nam cùm impij herbæ ſint ſimiles, quæ manè floret, & veſperi marceſcit: cõtrà iuſtus vt palma, *quæ perpetua fronde viret*, florebit: *&* ſicut cedrus Libani, *quæ odorẽ & vmbram gratiſſimam habens, nunquam putreſcit*, multiplicabitur *& excreſcet*.

Plantati *enim* in domo Domini, *ſecus decurſus aquarum*, in atriis (domus) Dei noſtri florebunt.

Atque id quidem non in iuuentute ſolùm, ſed ampliùs adhuc multiplicabuntur *ac fructificabunt*

in

in senecta vberi, *quo tempore etiamnum pingues & virentes* & bene patientes erunt, vt *dicant &* annuncient *inter homines:*

Quoniam rectus *est* Dominus Deus noster, *fortitudo & rupes nostra:* & non est iniquitas in eo.

EXPLANATIO.

In die Sabbathi] Quia enim sex diebus fecit Deus cælum & terram, septimus Sabbathi ad hoc destinatus est, vt cessantes ab omni labore externo, operibus illius contemplandis, eum omnium fabricatorem laudibus extollamus: vt fit in hoc Psalmo, qui ob id diei Sabbathi est destinatus.

PSALMVS XCII.

Titulus.

(Laus cantici ipsi Dauid, in die ante Sabbathum, quando fundata est terra.)

Argumentum.

1. CAnit Dauid Dei gloriam, in mundo condendo, regnoque constabiliendo. 2. Quod quidem quantumuis magna vi à malis & impiis oppugnetur, firmum tamen & inconcussum in æternum permanet.

1. DOminus regnauit, *gloriam magnificam & superbam ac* decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem (& præcinxit) se *potentia.*

Etenim firmauit orbem (terræ) qui non *labitur, nec* commouebitur.

Parata *est* sedes tua, *& constitutum solium regni tui, iam inde* ex tunc, *nam* à sæculo *æterno* tu es.

2. *Enimuero* eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam.

Eleuauerunt flumina *gurgites &* fluctus suos, *ad orbem terræ, & solium Dei conterendum: denique* à *magnis strepitibus, & plusquam* vocibus aquarum multarum.

Mirabiles *exstiterunt* elationes *plusquam fortium fluctuum* maris: *verumtamē multo magis* mirabilis *& fortis* in altis *cælis est* Dominus, *qui eos facilè compescuit ne qua re nocerent.*

Etenim testimonia *& promissa* tua credibilia facta sunt nimis, *planéque firma sunt ac stabilia: quippe* domum *pulchrā* tuam decet sanctitudo, *vt inconcussa sit & inuiolata, idq́, ô* Domine in longitudine dierum, *per æterna sæcula.*

Explanatio.

Dominus regnauit.] Si de regno Christi mystico hic Psalmus accipiatur, optima erit interpretatio.

Psalmvs XCIII.

Titulus.

Psalmus *canendus* ipsi Dauid quarta Sabbathi.

Argumentum.

1. ORat Deum Rex Dauid, vt quemadmodum semper, ita & nunc inimicos suos, quorum impietatem cōmemorat, vlcisci velit. 2. Ad quos conuersus, monet, minimè laturos eos, Deum, quin iustè ab eo puniātur. 3. Quod contrà accidet piis, quos summa beneuolentia complectitur, & contra impios tutatur Dominus.

4. Ad

4. Ad quem se conuertens, minimè tyrannis illum similem esse ait; qui sub prætextu legis iustæ, res iniustas perpetrant; sed contrà iustum & rectum in omnibus factis suis.

1. DEus vltionum *nostrarum* Dominus *est*: Deus vltionum *nostrarum* liberè egit, *manifesteq́; olim affulsit, & se ostendit, ad nos ab hostibus vindicandos.*

Quod quidem cùm ita sit, & nunc quoque cum splendore appare Domine: exaltare *tu*, qui iudicas terram, *&* redde *dignam* retributionem superbis.

Vsquequo *enim impij* peccatores Domine, vsquequo *impij* peccatores gloriabuntur *& exsultabunt*.

Vsquequo, effundentes se, effabuntur & loquentur *superbè suam* iniquitatem: loquentur, *inquam, & iactabūt se de impiis factis suis* omnes qui operantur iniustitiam?

Etenim vide, obsecro, quid fecerint, populū tuum Domine humiliauerunt *ac contriuerunt*, & hæreditatem tuam vexauerunt, *omnibusq́; incommodis affixerunt.*

Viduam & aduenam, *quorum singularem curam habere iussisti*, interfecerunt, & pupillos occiderunt.

Et dixerūt *inter se*, non videbit Dominus *quod facimus*, nec intelliget Deus Iacob.

2. *Cæterùm* intelligite *vos* insipientes in populo, *qui cum istis dictis vestris, bestiis estis similes*: & stulti aliquando sapite.

Numquid qui *formauit & plantauit capitiq; vestro affixit* aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat, *nec videbit?*

Qui *erudit, &, si non apprehendant disciplinam, castigat ac* corripit *integras* gētes *ac nationes*, non arguet *vos*: *&* qui docet hominem scientiam, *an ignorabit quidnam vos rerum agatis?*

Certè Dominus scit *non solùm dicta & facta, sed vel intimas* cogitationes hominum: *nec fugit eum*, quoniam *per se* vanæ sunt *& inanes.*

3. *Verumtamen* beatus, *& cæteris meritò præualens ille* homo, quem *à vanitatibus illis auersum, & ad te conuersum*, tu erudieris Domine, & *cùm* de lege tua docueris eum.

Idq; ad eum finem, vt mitiges, *& quietem animi des ei, ne metuat* à diebus malis, *& in afflictionibus non perturbetur, exspectans patienter* donec *liberes eũ, &* fodiatur peccatori, *qui te persequitur*, fouea *interitus, vnde numquam poterit emergere.*

Quia *vtique certò scit, quòd* non repellet Dominus *populum ac* plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet.

Unde patienter exspectabit, quoadvsque iustitia conuertatur in iudicium, *& è contrà iudicium ad iustitiã redeat*; & iuxta illam *versentur, eamq; sequantur*, omnes qui rectò sunt corde, *ad iniuriam impiorum iusto Dei iudicio, secundùm iustam legem eius, vindicandam.*

Nam quis consurget mihi *& pro me* aduersus

uerſus malignantes? aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem?

Certè niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minùs *iam abfuit quin* habitaſſet in inferno *ac ſepulcro ſilenti* anima mea.

Et, ſi *multitudine calamitatum oppreſſus, dubitans de conſtantia mea*, dicebam, *Ecce* motus eſt *&* *vacillat* pes meus: *mox* miſericordia tua Domine adiuuabat *ac ſuſtentabat* me.

Ac ſecundùm *proportionem &* multitudinẽ *variarum cogitationum ac* dolorum meorum in *intimo* corde meo, conſolationes tuæ lętificauerunt animam meam.

4. *Nam quid de ſumma bonitate tua dicam?* numquid adhęret tibi, *aut vllam ſocietatem tecum habet* ſedes *ac thronus peruerſæ tyrannidis & iniquitatis? aut tu ille es* qui fingis *& inducis* dolorem *& afflictionem hominibus* in præcepto, *dum ſub prætextu legis iuſtæ; contra ipſam facis Dei legem & iuſtitiam, quemadmodum tyranni ſolent? Minimè certè, minimè gentium.*

Sed cõtrà, dum impij, & ſcelerati tyranni captabũt, *& copias ſuas cõgregabunt, contra &* in animã iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt:

Fuit & factus eſt mihi *ſemper* Dominus in refugiũ, & Deus meus in adiutorium *& rupem* ſpei meæ.

Et reddet illis *ac retorquebit in eos* iniquitatem ipſorum, *qua alios oppreſſerunt*: & in malitia eorum

eorum disperdet eos: disperdet, *inquam*, illos Dominus Deus noster.

EXPLANATIO.

Iustitia conuertetur in iudicium] Tunc iustitia in iudicium conuerti dicitur, cùm id quod secundùm iustitiæ dictamen lege præscriptum est, per iudicium exsecutioni mãdatur: tunc autem iudicium redire dicitur ad iustitiam, cùm iudicia non pro iudicantium arbitratu, sed secundùm legem quæ secundùm iustitiam rectè lata est, exercentur.

PSALMVS XCIIII.

Titulus.

Laus cantici ipsi Dauid.

Argumentum.

1. PRimùm inuitat nos Propheta ad gratias Deo omnipotenti agendas. 2. Deinde hortatur vt verbo Dei obtemperemus, minimeque inobedientes nos præstemus, quemadmodum olim fecere patres in deserto.

1. VEnite exsultemus *ac cantemus* Domino: iubilemus *ac clangamus* Deo *forti, firmæ petra, veroq;* salutari nostro.

Præoccupemus, *& preuenientes eum, properemus comparere ante* faciem eius in confessione *& gratiarum actione, omnia nostra accepta illi ferẽtes:* & in psalmis *ac canticis* iubilemus ei.

3. Quoniam Deus magnus *est* Dominus, & Rex magnus super omnes Deos: *quoniam, inquam, non repellet Dominus plebem suam.*

Quia in manu eius sunt *omnes* fines *& intima*

pene-

penetralia profunditatesq́; terræ:& altitudines *viresq́;* montium ipsius sunt.

Quoniam,*dico*,ipsius est mare,& ipse fecit illud : & *terrã* siccam *& aridam,quæ exstat è mari*, manus eius formauerunt.

Venite *ergo* adoremus, & *incuruati* procidamus *ad genua* ; & *procidentes in faciem*, ploremus ante Dominum,qui fecit nos:quia ipse est (Dominus Deus noster) *verus Rex & pastor*.

Et nos populus pascuę eius,& oues manus eius.

2.*Enimuero* hodie si vocem eius audieritis,*sic vt vobiscum loquatur, quemadmodũ olim fecit cum patribus vestris*,nolite,*quæso*,obdurare corda vastra,

Sicut *tum temporis* in irritatione *apud aquas contradictionis, &* secundùm diem tentationis in deserto, *iuxta Raphidin*:

Vbi tentauerunt me , *inquit Dominus* , patres vestri:probauerunt *me*,& viderunt opera mea:

Vbi, inquam, quadraginta annis *molestiam & fastidium eorum tuli , exspectans ánne ad meliorem mentem redirent;& obiurgans eos*,offensus fui,*proximè cum illis versans*, generationi illi, & dixi: semper hi errant corde.

Et *tamen, quicquid cum iis egerim*, isti non cognouerunt *vmquã* vias meas:*quare,omnibus denique desperatis,factũ est* vt iuraui in ira meá,*dicens, videamus* si introibunt in requiem meam, *& terram promissionis,qui vltimus finis est iustitiæ : certè non introibunt ob peccata sua,non introibunt.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Super omnes deos] Poteſt accipi in bonam partem de Angelis & principibus, de quibus dicitur: Ego dixi, quia dij eſtis; vel in malam de gentium dæmoniis.

PSALMVS XCV.

Titulus.

(Pſalmus *cantatus* ipſi Dauid, quando domus *& tabernaculum Dei* ædificabatur *in monte Sion, & iterum cantatus* poſt captiuitatem.)

Argumentum.

1. INuitat Dauid ad laudes Deo canendas primùm homines: 2. Deinde terram ipſam, cælumque, & mare, & omnia quæ in eis ſunt. Poſſuntque omnia myſticè accipi de Chriſto.

1. CAntate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra, *ob noua beneficia in nos collata.*

Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annunciate *euangelizantes* de die in diem ſalutare eius, *quod nobis præſtitit.*

Annunciate inter gentes gloriā eius, in omnibus populis mirabilia eius, *quæ à communi hominum intelligentia longè ſunt ſeparata.*

Quoniā magnus Dn̄s, & laudabilis nimis: terribilis eſt ſuper omnes deos, *quos potētia ſua coercet.*

Quoniam omnes dij gentium *vana* dæmonia *& inania idola ſculptilia quæ nihil poſſunt nec agūt:* Dominus autem cælos fecit.

Confeſ-

Confeſſio *gloriæ* & pulchritudo *decorq́;* in conſpectu eius: ſanctimonia & magnificentia *fortitudóque & maieſtas* in ſanctificatione *& ſanctuario* eius.

Afferte Domino *vos* patriæ *& familiæ* gentium *ac populorum:* afferte Domino gloriam & honorem, *prædicantes fortitudinem eius:* afferte Domino gloriam, nomini eius *debitam.*

Tollite *& afferte* hoſtias *ac munera,* & introite in atria eius: *incuruate vos, &* adorate Dominum in *decore ſancto*, *&* atrio ſancto eius.

2. Commoueatur *& paueat* à facie eius vniuerſa terra: dicite *& prædicate* in gentibus, quia Dominus regnauit, *& imperiũ orbis iam ſuſcepit.*

Etenim correxit *& vi verbi ſui firmabit* orbem (terræ:) qui *per hoc tam fiet ſtabilis*, vt non *labetur nec* commouebitur: iudicabit *omnes* populos in *ſumma rectitudine &* æquitate.

Lætentur cæli, & exſultet terra, commoueatur *& intonet* mare, & plenitudo eius: *etenim* gaudebunt *&* campi, & omnia quæ in eis ſunt.

Tunc exſultabunt *& laudes canent* omnia ligna ſiluarum à *vultu & coram* facie Domini, quia *nimirum* venit: quoniam, *dico*, venit iudicare terram.

Etenim iudicabit orbem (terræ) in *iuſtitia &* æquitate, & populos in *fide &* veritate ſua.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Dæmonia] Si verbum verbo reddas, vanitates dicuntur: quoniam quidquid extra & contra Deum est, nihil aliud est quàm inanitas.

Æquitate, veritate] Duæ formæ iustitiæ sunt: æquitas, quæ benignitatis est; & rectitudo, quæ veritatis. potest etiam per veritatem prudentia intelligi, & per æquitatem iustitia.

PSALMVS XCVI.

Titulus.

(*Psalmus cantatus* huic Dauid, quando *parta victoria*, terra eius restituta est ei.)

Argumentum.

1. Celebrat veri Dei imperium, & aduentum Christi vir sanctus. 2. Vnde idololatriã cessare, & vnũ Deum coli iubet. 3. Admonens porrò omnes rectos ac bonos, vt ita quoque faciant.

1. DOminus regnauit, *& imperium iam susce-pit: quare* exsultet terra *continens*, *&* lætentur insulæ, *quæ* multæ *sunt numero.*

Nubes & caligo in circuitu eius, *ne profanorum oculis diuinitas eius adspiciatur, dum corpore mortali tectus est:* iustitia & iudicium, *quibus bonis & malis pro meritis tribuit, sunt* correctio *& habitatio, firmamentúmque & fulcimentum* sedis *ac throni* eius.

Ignis *seueritatis ac rigoris* ante ipsum *& faciem eius* præcedet: & inflammabit *ac comburet* in circuitu inimicos eius.

Alluxerunt

Alluxerunt *& apparuerunt cum magna claritate* fulgura *Spiritus sancti* eius orbi *(terræ) in specie linguarum*: vidit *ea*, & commota est terra.

Montes *alti ac superbi* sicut cera *liquefacti* fluxerunt à facie Domini: à facie Domini *commota est* omnis terra, *cuius ipse vniuersæ Rex est & Dominus.*

Annunciauerunt cæli *& Angeli hominesq́ cælestes* iustitiam eius, *in seruanda promissione aduentus sui*: & viderunt omnes populi gloriam *& gratiam* eius, *quam in terram adduxit.*

2. *Ergo* confundantur *ac pudefiant* omnes qui adorant sculptilia, *& seruiunt eis*: & *erubescant cuncti* qui gloriantur in *vacuis & inanibus* simulacris *& idolis* (suis.)

Quin vos qui id facitis, è contrà vnum Dominum colite, & incuruati adorate eũ: *vos ipsi* omnes *qui apud gentes pro diis colimini, facite quemadmodum cæteri* Angeli eius. *quod vos ita facturos, cunctosq́ ad veri Dei cultum se conuersuros, iam per Prophetas* audiuit *Ierusalem*, & lætata est *super eo arx eius* Sion.

Et exsultauerũt filię *vniuersæ* Iudę, propter *hæc tam admiranda* iudicia *& facta* tua, ô Domine.

Quoniam tu *iam* Dominus *es* altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes Deos.

3. *Quod videntes quotquot estis* qui diligitis Dominũ, odite malum: custodit *enim* Dominus

animas sanctorum suorum, *quos gratia sua complexus est*: *&* de manu *impij* peccatoris *eruet ac* liberabit eos.

Per illum quippe lux *seminata &* orta est iusto, *qui quod bonum est quærit*: & rectis corde *data est* lætitia.

Quare lætamini iusti in Domino, & confitemini *ac gratulamini* memoriæ sanctificationis eius.

EXPLANATIO.

Lux, lætitia] Hæc præmia sunt iustitiæ, & cum ea coniuncta, vt aliis locis exposuimus.

PSALMVS XCVII.

Titulus.

Psalmus (*cantatus* ipsi Dauid.)

Argumentum.

1. INuitat Propheta homines ad Dei laudes decantandas, ob res præclarè gestas, & Christi aduentum. 2. Inuitat quoque mare & terram, & omnia quæ in eis sunt.

1. CAntate Domino canticum nouum, quia mirabilia, *& longè supra captum humanum posita, iam nouè* fecit.

Saluauit *ipsum mundum cum toto genere humano* sibi dextera eius, *sine vllo auxilio alieno*; & brachium sanctum eius.

Notum fecit Dominus *toti orbi* salutare suum, *quod in hunc mũdum per gratiam intulit*: in *oculis*

&

& conſpectu *omnium* gentium reuelauit iuſtitiam ſuam, *quam palàm & apertè per doctrinam veritatis oſtendit.*

Recordatus eſt, *inquam*, miſericordiæ ſuæ, *ad nos redimendos*: & veritatis ſuæ, *ad promiſſa de aduentu ſuo* domui Iſraël *facta præſtanda.*

Et ſic viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.

2. *Qua quidem de re* iubilate *& clangite, vt dixi*, Deo omnis terra: *alta voce* cantate, & exſultate, & pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara, *inquam*, & voce pſalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ, *ſic vt vox & inſtrumenta coniungantur.*

Iubilate in conſpectu Regis Domini *noſtri, & intonet &* moueatur mare, & plenitudo eius, orbis (terrarum,) & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul *omnes* montes *cum laude* exſultabunt à conſpectu *& in præſentia* Domini, quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit *autem* orbê terrarum in iuſtitia, *quod veritatis eſt*: & populos in æquitate, *quod gratiæ.*

EXPLANATIO.

Mare] Sæpe inuitat Propheta cælum, terram, & animantia ad laudes Deo canendas: non quidem quòd ſenſum illa habeát; ſed quòd per ea quæ faciunt, ad laudem Dei nos conuertimus, & per illa ad ipſam excitamur. Atque eodem modo docere quoque nos dicuntur. veluti, Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.

PSALMVS XCVIII.

Titulus.

(Psalmus *cantatus* ipsi Dauid.)

Argumentum.

1. ADhortatur nos vir sanctus ad laudes Deo & Christo eius cantandos. 2 Quemadmodum Moysen ducem, Aaron sacerdotem, & Samuelem Prophetam fecisse ait. 3. Quos vt imitemur, monet.

1. DOminus regnauit, *& sceptrum gubernationis iam assumpsit, itaq;* irascantur *ac contremiscant* populi: *ille, inquam, Dominus* qui sedet super Cherubim *in propitiatorio arcæ fœderis, aduênit, quare* moueatur terra.

Dominus *qui* in Sion *colitur*, magnus *est*, & excelsus super omnes populos.

Confiteantur, *ô Domine, cuncti, & accepta referant omnia quæ habent*, nomini tuo magno: quoniam *&* terribile & sanctum est: & honor *ac fortitudo tua, quæ potentissimi* Regis *est*, iudicium diligit; *sic vt auctoritatem cum iustitia, seueritatem cum mansuetudine semper coniungas.*

Tu *enim* parasti *ac fundasti* directiones, *ipsamq; æquitatem*: iudiciũ & iustitiam in Iacob tu fecisti.

Quare exaltate *omnes, quotquot estis*, Dominum Deum nostrum, & *incuruati* adorate scabellum pedum eius: (quoniam) *vti ille sanctus, sic & ipsum* sanctum est.

2. *Ita enim fecerunt* Moyses & Aaron, *qui erant* in

in ſacerdotibus eius : & Samuel, *qui erat* (inter eos) qui inuocant nomen eius.

Illi inuocabant Dominum : & ipſe, *votis eorum reſpondens*, exaudiebat eos, *&* in columna nubis loquebatur ad eos.

Cuſtodiebant teſtimonia *oris* eius, & præceptum quod dedit *ac ſtatuit* illis.

Quod videns, Domine Deus noſter, tu exaudiebas eos, *& votis eorum reſpondebas* : ô Deus, tu *pepercisti, &* propitius *indulgenſq;* fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones, *& opera, ſtudiáque* eorum *qui quid mali aduerſum eos machinabantur*.

3. *Quod quidem cùm ita ſe habeat, & vos quotquot eſtis ſancti, imitantes pios illos viros*, exaltate Dominum Deum noſtrum, & *incuruati* adorate in monte ſancto eius: quoniam ſanctus Dominus Deus noſter, *in quo ſolo tamquam vltimo fine eſt acquieſcendum.*

EXPLANATIO.

Scabellum] Monet, vel infima quæque quæ Deus fecit, & eius participatione ſunt ſancta, ad Deum cum omni humilitate adorandum, ſic vt non tam ad illum quàm ad ſcabellũ eius dumtaxat oculos tollamus, nos debere excitare.

Sanctum] Id propriè ſanctum eſt, quod ad hoc nos inuitat, vt, depoſitis omnibus actionibus exterioribus, vni Deo vacemus.

Teſtimonia, præceptum] Teſtimonia, leges narratiuæ ſunt: præcepta, quæ mandant.

PSALMUS XCIX.

Titulus.

Psalmus *laudis & gratiarum actionis* in confessione *beneficiorum* Dei.

Argumentum.

1. INuitat nos vir sanctus ad Deum, & Filium eius Christum laudandum ac prædicandum. 2. Quoniam & creator noster est, vt simus; & rector in veritate & misericordia, vt bene simus.

1. IVbilate *ac clangite* Deo omnis terra: seruite Domino, *& colite eum* in lætitia.

Introite in conspectu eius in exsultatione & *laude.*

2. *Etenim* scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse *sibi & ad cultum suum* fecit nos, & non ipsi nos.

Sed sumus populus eius, & oues pascuæ eius; *quare* introite portas *tabernaculi* eius in confessione *gratiarum actionis*, atria eius in hymnis *laudis*, confitemini illi, *& acceptum ei referte quicquid habetis.*

Laudate *& prædicate* nomen eius, quoniam suauis *& benignus* est Dominus: in æternum misericordia eius, *ad peccata condonanda*; & vsque in generationem & generationem veritas eius, *ad promissa præstanda.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Portas] Hæ portæ historicè de tabernaculo, & eius atrio intelligi possunt; allegoricè de portis iustitiæ, per quas in domum Dei intratur, ad laudes ei decantandas.

PSALMVS C.

Titulus.

Psalmus *cantatus* ipsi Dauid.

Argumentum.

1. Celebrat Dauid misericordiam & iudicium Domini. quod & se vtrûque ab illo didicisse ait. 2 Qua quidê re factum est, vt ipse innocés effectus, nocentes omnes ab se repelleret, quod iudicij est; 3. Et innocentes ad se alliceret, quod misericordiæ. Vtrumque Christus, gratiæ & veritatis plenus, in hunc mundum intulit.

1. Misericordiam *tuam in peccatis condonandis veniam petentibus,* & iudicium *tuum in vindicandis superbis,* cantabo *& carminibus celebrabo,* tibi, *inquam, cãtabo & laudes dicam,* ô Domine: *&* psallam *ampliùs,* & intelligam *erudiarq;* in via *perfecta &* immaculata, *exercens quoque misericordiã & iustitiam, quemadmodum tu facis.* quando venies ad me, *ad me docendum ac dirigendum? quod quidem quando erit? quando, ô Domine?*

2. *Nam quoties hoc fecisti, semper* perambulabam in innocentia *& integritate* cordis mei, *tum quidem publicè, tum verò priuatim* in medio domus meæ.

Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, *vt verbum Belial, & malignum consilium*

impiorum hominum sequerer: *sed contrà declinantes à via tua*, *&* facientes præuaricationes, odiui.

Non adhæsit mihi *quisquam ex illo genere hominum*: cor prauum *&* *tortuosum recedebat à me*, *omnemque hominem peruersum penitus* declinantem *ac recedentem* à me, *videres*: *denique impium &* malignum *prorsus* non cognoscebam.

Detrahentem secretò proximo suo, hunc *ad internecionẽ vsq;* persequebar, *& funditus perdebam.*

Superbo, *elatoq;* oculo, & *alto, ambitioneq; honorum* insatiabili corde, cum hoc nõ edebam, *nec ferre eum poteram.*

3. *Cæterùm* oculi mei *intenti erant* ad fideles terræ, *qui fidẽ & iustitiam in hoc mundo custodiũt*, vt sedeant *ac habitent* mecum *in domo mea*: ambulans in via immaculata, *vitaq; perfectione & integritate*, hic mihi ministrabat.

Contrà autem non habitabit *vmquam* in medio domus meæ qui *dolum opere* facit *&* superbiam: *&* qui *verbis* loquitur iniqua *& mendacia*, non direxit *vllo tẽpore*, *nec placebit*, *aut durabit* in conspectu *è regione* oculorum meorum.

Etenim singulis diebus in *ipso* matutino, *ne qua mora esset*, interficiebã, *quantum in me erat*, omnes *impios ac* peccatores terræ: vt *paulatim* disperderem *& penitus exterminarem* de ciuitate Domini, *in qua nihil debet esse abominabile*, omnes operantes iniquitatem.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Miſericordiam] Deſcribitur hîc optimi Regis officium, quod ad Dei imitationem in duobus conſiſtit, nempe vt malos puniat, bonos autem pręmio afficiat, in omnibus autem miſericordiam cum iudicio, & iudicium cum miſeridia coniungat.

PSALMVS CI.

Titulus.

Oratio pauperis, cùm anxius fuerit *& opertus confuſione*, & coram Domino effuderit precem ſuam.

Argumentum.

1. Populus Iſraeliticus in captiuitatem abductus, Dei auxilium implorans, enarrat quantis in malis verſetur, & quò rerum ſit redactus. 2. Quamobrem vt exaudiri, & in terram ſuam reſtitui poſſit, orat: quod & ita fore omnino confidit, ſic vt ad Deum prædicandum omnes Hieroſolymam accurrent. 3. Quod vt ſuis diebus fiat, & non antè è vita excedat, ſupplicat.

1. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Non auertas *nec abſcondas* faciem tuam à me: in quacumque die tribulor, *& in anguſtia verſor*, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die inuocauero te, *feſtina, quæſo, &* velociter exaudi me, *votiſq́; meis reſponde.*

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerũt, *& ſicut torris ac focus aſſiduo ardore exſiccata ſunt.*

Percussus *& amputatus* sum vt fœnum, *quod falce dissecatur*; & aruit cor meum: quia *præ nimia calamitate* oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, *dum assiduo fletu me macero, vix* adhæsit os meum carni meæ, *nihil aliud habens quàm pellem & ossa.*

Similis factus sum pelicano, *non aquatico quidem, qui cōchis se replens, & auibus pisces captos eripiens, rebus omnibus abundat, sed* solitudinis, *qui filios suos à serpentibus occisos luget, donec proprio sanguine suo ad vitam eos reuocat*: factus sum, *inquam*, sicut *bubo, siue cuculus, ac* nicticorax *habitans* in domicilio *deserto ac ruinoso.*

Vigilaui *præ solicitudine & anxietate*, & factus sum sicut passer; *qui coniuge priuatus*, solitarius *ac mœstus sedet* in tecto.

Tota die exprobrabant *& contumeliosè insultabant* mihi inimici mei: & qui *in faciem* laudabant me, aduersum me iurabant, *deridentes ac deludentes me, & in extremis miseriis ac calamitatibus meis exsultantes; quæ quidem tantæ sunt, vt qui iurantes mala sibi volunt precari, meas calamitates sibi imprecentur.*

Quia *puluere præ luctu cōspersus*, cinerem tamquam panem manducabam, & poculum *potumq́;* meum cum fletu *& lacbrymis* miscebam.

Atque hæc omnia non aliunde mihi procedunt, quàm à facie iræ *tuæ, &* indignationis tuæ: quia *quo fortiùs me affligeres*, eleuans *me priùs in altum*,

pòst

post allisisti *& in terram proiecisti* me.

Vnde dies mei sicut vmbra; *quæ iam inclinata tenebris proxima est*, declinauerunt: & ego sicut *herba &* fœnum arui.

2. *Cæterùm* tu autem, Domine, in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem.

Et verò non dubito, quin, quātumcumque durus nobis appareas, tu *breui* exsurgēs misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia *iam* venit tempus, *& certum eius rei testimonium.*

Quoniam placuerunt seruis tuis, *etiam iis ipsis qui nos captiuos detinent*, lapides eius, *ad eam restaurandam*: & terræ *ac pulueris ruderumq́;* eius, *in quibus nunc iacet diruta*, miserebuntur.

Et *sanè cùm videbitur hæc restauratio*, timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia *postquam* ædificauit Dominus Sion, *mox* & videbitur in gloria sua.

Nam patebit cunctis, quòd respexit in orationem humilium *& abiectorum, tamquam vilis myrica, omnique ope humana destitutorum*; & quòd non spreuit precem eorum *qui ad illum suspirant*.

Sed & dicent, scribantur hæc in generatione altera *pro posteris nostris*: & *sic* populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de *summo* cælo in *imam vsq;* terrā adspexit.

Vt

Vt audiret gemitus compeditorum *in vinculis*, vt solueret filios interemptorum, *& ipsos morti iam addictos*.

Vt *liberati de manibus hostium suorum*, annuncient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Ierusalem.

Idq́; in conueniendo populos in vnum, *cùm cunctæ nationes ibi congregabuntur: & cùm omnia regna terræ, &* Reges *eorum eò confluēt*, vt seruiant Domino.

3. *Et verò videns quis ex iis qui eò properant, affligi à Domino vires suas, & abbreuiari dies suos*, respondit ei in via virtutis suæ, *dum totis viribus festinat, egoq́; vnà cum eo dicam, O Domine*, paucitatem *ac breuitatem* dierum meorum nuncia mihi, *vt sciam ecquid ad sanctam ciuitatem tuam, quam tantopere videre cupio, peruenire queam, nec ne.*

Ne, *quæso, tollas aut* reuoces me *hinc, Deus meus*, in dimidio dierum meorum, *qui tam sunt pauci; cùm contrà tu sis immortalis, & durent* in generationem & generationem anni tui.

Initio *enim* tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem *stabilis* permanes: & omnes *ipsi* sicut vestimentum *& pannus atterentur ac* veterascent.

Et sicut opertorium *ac pallium* mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non *complebuntur aut* deficient.

Et

Et similiter filij seruorum tuorum *perpetuò tecum* habitabunt: & semen eorum in sęculum *ante te ac faciem tuam perseuerabit, & in recta via* dirigetur.

EXPLANATIO.

Domine exaudi.] Tametsi quidem ad liberationem à captiuitate litera huius Psalmi pertineat, mysticè tamen ad Christum omnino referri debet: vt per eum à captiuitate Diaboli liberemur, & verè patriæ cælesti restituamur. Estque hic verus ille pelicanus, qui genus humanum à serpente occisum, sanguine suo ad vitam reuocauit.

PSALMVS CII.

Titulus.

Psalmus *cantatus* ipsi Dauid.

Argumentum.

1. INcitat vir sanctus seipsum ad laudes Dei prædicandas, ob beneficia ab eo accepta, circa animi, corporis, & externa bona, secundùm immensam ipsius misericordiam. 2. Quam multis & amplissimis verbis celebrans, tantam esse ait, vt non solùm peccata ob fragilitatem nobis in ter a cōdonet, sed & vitam æternam in cælo tribuat 3. Quare ad gratias illi agendas omnes omnino cælestes pariter ac terrestres inuitat, ter eundem sermonem repetens.

1. BEnedic anima mea, *& gratias age* Domino: & omnia *viscera & cogitata* quæ intra me sunt, *canite* nomini sancto eius.

Benedic, *inquam*, anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones *& beneficia* eius.

Qui propitiatur *& veniam dat* omnibus iniquitatibus tuis, *quæ animi sunt*: *&* qui sanat omnes

omnes infirmitates tuas, *quæ corporis.*

Qui redimit de interitu *& fouea* vitam tuam: qui *regio diademate* coronat, *& tamquam scuto firmissimo circumdat* te in misericordia & miserationibus.

Qui *satiat ac* replet in bonis desiderium *& os* tuum, *totamq́; animam tuam, cuiusq́; beneficio* renouabitur, vt aquilę, *quæ veteres plumas mutat, & rostrum innouat*, iuuentus tua.

Qui quotidie exhibet & faciens est misericordias *& iustitias* Dñs: & iudicium omnibus iniuriam *per vim & calumniam fraudemq́;* patiẽtibus.

Qui notas fecit vias suas Moysi, *&* filiis Israël *consilia &* voluntates suas.

Qui miserator & misericors, *clemensq́; & placidus est* Dominus: longanimis *in ira concipienda*, & multum misericors *in gratia facienda.*

2.Non *ille* in perpetuum irascetur, *ac contendet*: neque in ęternum cõminabitur, *& odium seruabit.*

Non *enim* secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secũdùm iniquitates nostras retribuit nobis, *sed secundùm immensam bonitatem suam.*

Quoniam secundùm altitudinem cæli à terra, corroborauit *& amplificauit* misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, *tam* longè fecit à nobis iniquitates *& trangressiones* nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est

est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit *fragilē plasmationem, &* figmentum nostrum, *& quanta ad malum in nobis est procliuitas.*

Recordatus est, *inquā,* quoniam puluis sumus, *è terra sumpti: & quòd nihil aliud est* homo, *quàm* sicut fœnum dies eius: *& quòd* tamquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam *si quis* spiritus *& ventus immitior* pertransibit in illo, *eumq; vret, continuò marcescet,* & non subsistet, *quantumcūque pulchrè paulo antè florebat:* &, *quod magis est,* nō cognoscet amplius *nec ipse* locū suum, *nec locus eum*: *sic vt nihil aliud sit homo, quàm spiritus per corpus transiens.*

Caterùm misericordia autem Domini ab ęterno & vsque in æternum super timentes eum, *vt peccata eorum remittat.*

Et iustitia illius *in promissis seruandis extendetur* in filios filiorum, his qui seruant *fœdus ac* testamentum eius,

Et memores sunt mandatorū ipsius, *non solùm ad intelligendum, sed &* ad faciendum ea.

Ad quod remunerandum, Dominus in cælo parauit *ac stabiliuit thronum ac* sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.

3. *Quæ quidem cùm ita se habeant; age, vt initio dixi,* benedicite Domino, *& cum gratiarum actione eum collaudate* omnes *quotquot estis cælites* Angeli eius, potentes *robore ac* virtute, *&* facientes verbum *ac iussum* illius, *dum vos & alios*

dirigitis

dirigitis ad *obediendum*, & audiendam vocem ſermonum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes *& exercitus* eius: miniſtri eius, qui *exſequimini &* facitis *placitum &* voluntatem eius.

Benedicite, *inquā*, Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis *& imperij* eius, benedic *tu* anima mea Domino.

EXPLANATIO.

Miſericordia & miſerationibus] Miſericordia, ipſa virtus eſt; miſerationes, ſunt facta quæ ex miſericordia proficiſcuntur.

PSALMVS CIII.

Titulus.

(Pſalmus *ſcriptus* ipſi Dauid.)

Argumentum.

1. INcitat vir ſanctus ſeipſum ad laudes Dei decantandas, primùm ipſum deſcribens. 2. Deinde, quomodo fecerit terrā & aërem, montéſque & valles, ad hominum commoditate; nec non fontes & fluuias, ad auium & ferarum vſum. 3. Tum, quo pacto fecerit Solem & Lunam, diemque & noctem, & quid quoque tempore fiat. 4. Pòst, quonā modo mare crearit, & animalia eius, quæ omnia de manu eius viuunt. 5. Quibus contemplandis admiratione cōmotus, iterum Deum prædicat, & laudibus extollit.

1. BEnedic anima mea, *& cū laude gratias age* Domino: ô Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Confeſſionem *ac prædicationem gloriæ*, & decorem *maieſtatis tamquā palliū* induiſti, *dum vndiq;*

tus

iis cingeris, & amictus *ac coopertus es* lumine sicut vestimento.

Extendens cælum sicut *cortinam &* pellem, *in quibus quasi solaria calorum adificas ac contignas:* qui tegis aquis superiora *cenacula* eius.

Qui ponis nubes *densas* adscensum *& currum* tuũ, qui ambulas super pennas *& alas* ventorum.

Qui facis Angelos *ac nuncios* tuos spiritus *cælestes, & vẽtos elemẽtares;* & ministros tuos ignem vrentem.

2. Qui fundasti terram super stabilitatem *ac basim* suam, *sic vt* non inclinabitur *nec commouebitur* in sæculum sæculi.

Etenim abyssus sicut vestimentũ amictus eius, *quo initio operuisti illã, adeò vt* super montes *ipsos starent & semper* stabunt aquæ.

Quæ quidem ab increpatione tua *fugiebant, & perpetuò* fugient, *&* à voce tonitrui tui formidabunt, *dum præcipites semper defluent, vt initio defluebant.*

Qua quidem re fit, quòd adscendũt *& in altum se extollunt* montes, & descendunt *ac subsidunt valles ac* campi in locum quem fundasti *ac designasti* eis.

Et quantum ad aquas attinet, terminum posuisti *eis in Oceano*, quem non transgredientur, nec conuertentur operire terram, *nisi tu ita iusseris.*

Tu es qui emittis fontes in conuallibus, *sic vt ex iis fluuij fiant; & facis vt* inter medium

montium pertranſibunt *&* *decurrent* aquæ.

Vnde potabunt *ſemper* omnes beſtię agri, *&* exſpectabunt onagri in ſiti ſua, *ad eam ſedandam ac reſtinguendam.*

Super ea *autem ad ripas ipſas fluminum* volucres cæli habitabunt *in ſiluis ac mõtibus, &* de medio petrarum *ac frondium* dabunt voces.

Tu rigans *es* montes de ſuperioribus ſuis *nubibus, quæ illis impendent: &* de fructu operũ tuorum ſatiabitur *quicquid degit in omni* terra.

Etenim adaquatione tua producens *es* fœnum *incultum* iumentis, & herbam *cultam* ſeruituti hominum, *filiorum Adam.*

Vt educas panem de terra, *ad vitam ſouendam:* & vinum, *vt* lætificet cor hominis.

Idq́ ad eum finem, vt *animo recreatus,* exhilaret *& nitere faciat* faciem in oleo, *ad voluptatem;* & panis cor hominis confirmet *ac ſuſtentet, ad neceſſitatem.*

Sed & ſaturabuntur ligna campi, *arbores Dei excelſæ, non hominis ſatu, ſed eius beneficio natæ;* & cedri Libani, quas plantauit *manus tua: quoniam* illic paſſeres, *omniſq́ generis aues* nidificabunt.

Herodij *ac ciconiæ* domus *eſt abies, quæ proceritate excellens inter arbores & ligna, quaſi* dux eſt eorum: montes excelſi, ceruis *& capris ſunt pro habitaculo:* petra refugium *& opertorium eſt* herinaceis *& cuniculis.*

3. Fecit *præterea dextera tua* Lunam *mutabilem* in

in tempora *noniluniorum distinguẽda*: Sol cognouit occasum suum.

Quo facto, posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa *reptantes prodibunt & pertransibunt* omnes bestiæ siluæ, *quæ de die latent*.

In quibus sunt & catuli leonum, rugientes vt *prædam* rapiant, & quærant à Deo escam sibi.

Ortus est *iterum postea* Sol, & *ecce mox dicto citiùs* congregati sunt, *& turmatim recedunt*, & in cubilibus *habitaculisq́;* suis collocabuntur *& accubabunt*.

Contrà autem exsurget è lecto & exibit homo ad opus suum, & ad *agriculturã, aliarumq́; rerum ministerium, &* operationẽ suã vsq; ad vesperum.

O quàm magnificata *& multiplici varietate distincta* sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua, *& rebus tuis*.

4. *Præter quæ tu condidisti quoque* hoc mare magnũ & spatiosum, *tamquam* manibus *expansis*: illic *sunt* reptilia, quorum non est numerus.

Illic animalia pusilla cum magnis, illic naues pertransibunt, *& transeunt quotidie*.

Illic cete ac draco *est* iste *maximus, leuiathan nomine*, quem formasti ad illudendum ei, *& in ipso mari se oblectandũ*: omnia à te exspectant, *& sperãt in te*, vt des illis escam in tempore *opportuno*.

Dante te illis, colligẽt; aperiẽte te manũ tuam, omnia implebuntur *ac saturabuntur* bonitate.

Auertente autem *& abſcondente* te faciem,*cum terrore* turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient,& in puluerem ſuum reuertentur.

Emittes *rurſum* Spiritum tuum, & creabűtur, & renouabis faciem terræ.

5. *Quæ quidem cùm ita ſe habeant*, ſit gloria Domini in ſæculum *æternum, vt ſanè erit: nam* lætabitur *ſemper* Dominus in operibus ſuis.

Dominus, inquam, qui reſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.

Ego autem cantabo Domino in *tota* vita mea, *& omnibus vitis meis* pſallam Deo meo, quàm diu ſum.

Iucundum ſit ei *modò* eloquium meum, ego verò delectabor in Domino.

Denique deficiant peccatores à terra, & *impij ac* iniqui, ita vt non ſint *ampliùs: tu autem, vt initio dixi*, benedic anima mea Domino, *idemq́; & vos omnes pij facite, Deumq́; vnà mecum laudate.* Alleluia.

EXPLANATIO.

Benedic] Laudes quas Dauid Deo canit, ſubinde à rebus geſtis ducuntur, & beneficiis præſtitis; ſubinde à rebus quas toto orbe condidit, vt in hoc Pſalmo.

PSAL-

PSALMVS CIIII.

Titulus.

Laudate Dominum Alleluia.

Argumentum.

1. INuitat Dauid populum Israeliticum ad Dei laudes decantandas, ob beneficia in illos collata. 2. Quorum summa est, quòd promissione Abrahamo ea de re facta, semini illius terrã Chanaan habitandam dedit. 3. Vocans eos, cùm adhuc pauci essent, in AEgyptum occasione famis, quò iam Iosephum præmiserat, vt eos exciperet. 4 Vnde pòst eos eduxit per Moysen & Aaron per quos multa signa edebat, vt AEgyptij populũ ipsius dimitterẽt. 5. Quod & factum est: & sic multis admirabilibus circa eos in deserto exhibitis, deduxit eos tandem in terram promissionis, vt ibi Deo seruiãt, & secundùm eius mandata viuant.

1. COnfitemini *& gratias agite* Domino *de præteritis beneficiis ab eo acceptis*: & *pro futuro* inuocate nomen eius, *&* annunciate *ac nota facite* inter gentes opera eius.

Cantate ei & psallite ei, narrate omnia mirabilia eius.

Laudamini *inter vos & gloriamini* in nomine sancto eius, lætetur cor quærentium Dominum.

Quærite Dominum *ac fortitudinem eius*, & confirmamini *in eo*: quærite faciem *& fauorem* eius semper, *illum præ oculis semper habentes*, *& gratias illi semper agentes*.

Mementote mirabilium eius quæ fecit, *repetite memoria* prodigia *&* *miracula* eius, & iudicia legesq; oris eius.

Etenim ſemen Abraham, ſerui *ſunt* eius; *&* filij Iacob, electi eius.

Ipſe Dominus Deus noſter *eſt*: in vniuerſa terra *exſtant* iudicia eius.

Memor fuit in ſæculum *æternum* teſtamenti *ac fœderis* ſui, verbi quod *ſeruari* mandauit in mille generationes.

2. *Verbi, inquam*, quod diſpoſuit ad Abraham, *& pepigit firmiter cum eo primò*; & iuramenti ſui *quod præſtitit* ad Iſaac *ſecundò*.

Et ſtatuit illud *tertiò* Iacob in præceptum, *ac legem perpetuam, vt non alium quàm ſe Deum coleret*; & Iſrael in teſtamentum *& fœdus* æternum, *vt viciſſim ipſe ſingulari fauore eum complecteretur.*

Dicens: Tibi dabo terrã Chanaan, funiculum *& ſortem* hæreditatis veſtræ.

In vim cuius fœderis cùm eſſent *viri* numero breui, *imò* pauciſſimi, & *peregrini in ea, ac* incolæ eius,

Et, *quod magis eſt, oberrantes* pertranſierunt de gente in gentem, & de *vno* regno ad populum alterum:

Tamen non *permiſit nec* reliquit hominem nocere, *nec calumniam, aut iniuriam, fraudémue facere* eis, & corripuit pro eis Reges.

Nolite, *inquiens*, tangere Chriſtos *vnctos* meos, & in Prophetis meis nolite malignari, *nec vllo incommodo eos afficere.*

3. Et *vt viam ad eam rem paulatim muniret,*

vocauit

vocauit famē super terram, & omne *virgultum, quod* firmamentum *est* panis *ad vitam sustentandam*, contriuit, *vt hac occasione in Ægyptum illis esset proficiscendum.*

Sed priusquam irent, misit ante eos virum, *qui eos venientes benignè esset accepturus: & hac de causa* in seruum venundatus est Ioseph.

Imò humiliauerunt *Ægyptij & afflixerunt* in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius, *fuitq́ ferro vinctus vsque ad illud tempus* donec veniret verbum eius, *quod de illo Dominus decreuerat.*

Tunc enim eloquium Domini inflāmauit eum *ad somnia interpretanda: qua occasione & à squalore ac sordibus carceris liberatus & purgatus est: nam* misit Rex, & soluit eum; princeps populorum, & *aperto carcere* dimisit eum.

Et constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.

Vt *tamquam magister ac dux* erudiret, *& si opus esset, vinculis constringeret* principes eius, sicut *secundùm* semetipsum, *pro ratione ac intelligētia sua, videret conuenire*, & senes eius prudentiā doceret.

Et *hoc modo rebus omnibus præparatis*, intrauit Israël in Ægyptum, & Iacob accola *peregrinusq́* fuit in terra Cham, *vnde Ægyptij descenderunt.*

Et auxit populum suum *Dominus* vehementer: & firmauit, *& tam viribus quàm robore fortem fecit* eum super inimicos eius.

4. *Postea autem cùm tempus esset vt ad terram promissionis ex Ægypto redirent*, conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.

Qua occasione misit Moysen seruum suum: *& cum eo* Aaron, quem elegit *sibi ad hoc* ipsum.

Ac quo missionis suæ fidem facerent, posuit in eis verba, *& potestatem* signorum suorum, & prodigiorum *mirabilium, quæ in nomine ipsius, & tāquam veri illius nuncij, ederent* in terra Cham.

Etenim misit *per manum eorum, qui dicto illius in omnibus obtemperabant*, tenebras, & obscurauit *totam Ægyptum*, & non exacerbauit *tum temporis magis* sermones suos, *sperans eam rem effecturam, vt ad meliorem mentem Ægyptij venirent, & aduersum verba & mandata sua non rebellarent.*

Quod cùm non facerēt, conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.

Sed edidit *& quasi ebulliuit* terra eorum ranas, *idq; vel* in *intimis* penetralibus *ac cubilibus* regum ipsorum.

Dixit, & venit cynomyia, *ingénsque multitudo mixta ex omni genere muscarum & insectorum:* & *exstiterūt* ciniphes *ac pediculi* in omnibus finibus eorum.

Quin & posuit *ac conuertit* pluuias eorum *in* grandinem, *& in* ignem comburētem *ac flagrantem* in terra ipsorum.

Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum, &

&cōfregit *ac* cōtriuit lignū *& arbores* finiū eorum.

Dixit, & venit locusta & bruchus, cuius non erat numerus.

Et comedit omne fœnum *& herbam* in terra eorum, & comedit *ac deuorauit* (omnē) fructum terræ eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris *& roboris* eorum.

5. Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum *quisquam* infirmus.

Lętata est Ægyptus in *abitu &* profectione eorū, quia *cecidit &* incubuit timor eorū super eos.

Expandit *Dominus* nubem in protectionem *& quasi tabernaculum integumentumq́;* eorum: & ignem, vt luceret eis per noctem.

Petierunt, & venit coturnix *in magna copia*, & pane cæli saturauit eos.

Aperuit & dirupit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt *& cucurrerunt* in sicco flumina.

Quæ quidem omnia fecit, quoniam memor fuit verbi sancti sui (quod habuit) ad Abraham *seruum ac* puerum suum.

Et eduxit populum suum in *iucunditate &* exsultatione, & electos suos in *cantu &* lætitia.

Et dedit illis *terras ac* regiones gentium, & labores populorum *hæreditate* possederunt.

Vt custodiant iustificationes *& statuta* eius, & legem eius requirant *ac seruent. Laudate Dominum.* Alleluia.

EXPLANATIO.

Prodigia, iudicia] In iis quæ Dominus facit, duo sunt semper spectanda: id quod facit, quod sensu oculorum percipitur; & quo iudicio facit, quod non nisi mente intelligitur.

Vocauit famem.] Nota, dum Deus vnum iustè punit, alijs merenti beneficium ex ea re struere. Et quemadmodum eos quos punire vult, subinde beneficiis afficit: ita eos quos beneficiis vult ornare, in malis nonnumquam antè exercet. Ita iustitia eius sicut montes Dei, & iudicia eius abyssus multa.

PSALMVS CV.

Titulus.

Laudate Dominum Alleluia.

Argumentum.

1. INcitans nos vir sanctus ad laudes Deo cantandas: 2. Orat sub persona populi Israelitici, vt sibi adesse velit, tametsi peccatori. 3. Quoniam olim circa eundem populum idem fecit, cùm per mare rubrum eos deduceret, qua de re primùm quidem illi gratias agebant, sed mox grauissimè aduersum eum peccabant. 4. Vnde iratus Dominus, ac maximè quidem de vitulo adorato, vehementer eos puniuit donec Moyses pro iis intercederet, Deumque placaret. 5. Qua quidé re nihilo tamé adhuc meliores factos, iterum coactus fuit Dominus eos punire, propter Beelphegor adoratũ, donec tãdem per Phineẽs placaretur. 6. Quo facto iterum ad nefandissima peccata se conuerterunt, adeò vt & ipsum Moysen secus quàm oportet loqui facerent, & proprios liberos suos dæmoniis suis sacrificarent. 7. Qua de causa iratus quidem fuit vsque ad furorem Dominus, & acerbissimè eos puniuit, sed ad extremum tamen in gratiam eos recepit. 8 Quare vt & nunc ita facere velit, precatur.

1. COnfitemini Domino, *& cum gratiarum actione omnia illi accepta referte*, quoniam bonus

bonus *ac benignus*, quoniam in *æternum* sæculum misericordia eius.

Quis *satis dignè edisseret ac* loquetur potentias *ac fortia facta* Domini, auditas faciet omnes laudes eius?

Equidem beati qui custodiunt iudicium *publicè*, & faciunt iustitiã *priuatim*, in omni tẽpore.

2. Memento, *quæso*, nostri ô Domine in beneplacito populi tui, *quẽ omni fauore prosequi soles*: *&* visita nos in salutari tuo, *vt eius participes fiamus.*

Idq; ad videndum in bonitate, *vt cernamus bona* electorum tuorum, *&* ad lętandum, *quo & ipsi gaudeamus* in lætitia gentis tuæ, *&* vt lauderis *à nobis prædicantibus nomen tuum vnà* cum *omni populo, quem peculiariter elegisti pro* hæreditate tua.

3. Peccauimus *quidem* cum patribus nostris: *& legem tuam contorquentes*, iniustè egimus, iniquitatem *& impietatem* fecimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt, *nec pro debito perpenderunt* mirabilia *opera* tua, *&* non fuerunt memores multitudinis misericordię tuæ.

Imò &, *quod deterius est, rebelles facti*, irritauerunt *Dominum Deum suum*, adscendentes in mare, mare, *dico*, rubrum.

Et *tamen vide quid fecit: equidem licet illi indigni essent*, saluauit *tamen* eos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam.

Et *comminatus* increpuit mare rubrum, & *continuò* exsiccatum est, & deduxit eos in *mediis* *aqua-*

aquarum abyssis, sicut *si ambularent* in deserto.

Et saluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici.

Et operuit aqua *hostes* tribulantes eos, vnus ex eis non remansit.

Et *hoc videntes*, crediderunt *quidem* verbis eius, & *canentes* laudauerunt laudem eius:

Sed id ad exiguum planè tempus; etenim festinantes citò *aliter* fecerũt, & obliti sunt operum eius, & non sustinuerũt *nec exspectare voluerunt* consilium eius, *vt discerent quid porrò esset agendum.*

Et *ideo, desideria sua sequentes*, concupierũt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in *solitudine & inaquoso.*

Et dedit eis petitionẽ ipsorum, & *profligata penuria*, misit saturitatem in animas eorum, *quæ tamen pòst in maciem & perniciem eorum est cõuersa.*

4. *Etenim vti mox æmulati sunt* & irritauerunt Moysen *prophetam* in castris, *&* Aaron sanctũ *sacerdotẽ* Domini: *tumultũ aduersum eum cõcitantes,*

Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit *se* super congregationem *& multitudinem eorum qui conspirauerant cum* Abîron.

Et exarsit ignis in synagoga *& cœtu* eorum, flamma combussit peccatores *impios.*

Nam præter hoc & fecerunt vitulum in Horeb: & *proni* adorauerũt sculptile *quod ipsi conflauerãt.*

Et mutauerunt gloriam suam, *quam ex agnitione veri Dei præ cæteris gentibus habebant*, in simili-

tudinem

tudinē *bouis ac* vituli comedentis fœnū *& gramē.*

Et sic obliti sunt Deum,qui saluauit eos;qui fecit magnalia in Ægypto,mirabilia in terraCham, terribilia in mari rubro.

Quod videns Dominus, iratus factus est,& dixit vt disperderet eos,si non Moyses electus eius *medium se interposuisset,&* stetisset in *ipsa* confractione *ac vastatione, quam inter eos edebat* in cōspectu eius,*ad diuisos ac separatos reconciliandos.*

5. *Orans pro illis* vt auerteret iram eius, ne disperderet eos : *quod cùm impetrasset, nihilo tamen meliores facti sunt, sed planè contumaces, sic vt spreuerunt*, & *reipsa* pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

Et non crediderunt verbo *promissionis* eius , & murmurauerunt in tabernaculis suis: *& planè inobedientes facti*,non exaudierunt vocem Domini.

Quare iterum excāduit, & leuauit manū suam *cum iuramento* super eos,vt prosterneret eos in deserto.

Et vt deiiceret *ac dissiparet* semen eorum in nationibus *per cunctas gentes*, & dispergeret eos in regionibus *per omnes terras.*

Nam prater supradicta,& initiati *quoque ac consecrati* sunt Beelphegor *idolo Moabitarum,cui adhæserūt:*& comederunt sacrificia mortuorum, *quos, Deo viuo relicto;pro diis colebant.*

Et irritauerunt eum in *omnibus studiis &* adinuentionibus suis : & *creuit ac* multiplicata

est

est in eis ruina, *& mortalis plaga peccati.*

Quod animaduertens, exarsit protinus, & stetit *in medio* Phinees, *sumitq; iustam vindictam ac supplicium de illis*, *Zambri. Iraëlitam cum muliere Moabitide contumbentē interficiens*: & *sic* placauit *Dominum*, & cessauit *plaga ac* quassatio *eius.*

Et reputatum est *hoc* ei ad iustitiam in generatione & generationem, vsque in sempiternum.

6. Et *iterum* irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est, *malumq; accepit* Moyses propter eos, quia exacerbauerunt *& rebellare fecerunt* spiritum eius.

Ita vt hoc causam ei dederit, quòd perperam & inconsultò locutus est, & *malè verba* distinxit in labiis suis: *vnde Deus illi iratus factus est*, *& præter hoc populo quoque clara voce comminatus, propterea quòd* non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis.

Et, *quod deterius est*, cōmisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum, *magnumq; malum, & offendiculum.*

Nam & immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.

Et effuderunt sanguinem *mundum*, innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarū suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta *exsecrabilisq; facta* est terra in sanguinibus, & contaminata est, *tam ipsa quàm illi*, in

operi-

operibus eorum;& *contra fidem Domino debitam*, fornicati ſunt in adinuentionibus *& ſtudiis* ſuis, *in propria, non Dei, ſapientia fundatis.*

7. Et iratus eſt *quaſi* furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam.

Et *dedit ac* tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos.

Et tribulauerunt *penituſq; oppreſſerunt* eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus eorum. *ac quamquam quidem* ſæpe *diuerſis vicibus* liberauit eos:

Tamen ipſi autem *nihilo meliores facti, ſemper rebellantes*, exacerbauerunt eum *denuo* in conſilio ſuo, *dum ſua inuenta, non Dei, ſequuntur: & ſic depreſſi ac* humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.

Caterùm tamen ad extremum Dominus pro immenſa bonitate & miſericordia ſua vidit cùm tribularentur, & audiuit *lamentationem &* orationem eorum.

Et memor fuit *pacti ac* teſtamenti ſui *cum eis*, & pœnituit eum ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ.

Et dedit eos in miſericordias, *ſic vt grati fierent* in conſpectu omnium qui *captiuos* ceperant eos.

8. *Quod quidem cùm ita ſe habeat*, ſaluos fac *&* nos, *licet peccatores, vt ſuprà dictum eſt, ô* Domine Deus noſter: & congrega *ac in vnum collige* nos de *variis* nationibus *ac gentibus, per quas diſperſi ſumus.*

Vt

Vt *cum gratiarum actione* confiteamur nomini sancto tuo, *tibi omnia accepta ferentes:* & gloriemur *de nobis* in laude tua, *quòd te Deum habemus, & quotidie laudamus,*

Dicentes: Benedictus Dominus Deus Israël à sæculo & vsque in sæculum: & *respondens* dicet omnis populus, Fiat, fiat.

EXPLANATIO.

Reputatum ad iustitiam] Licet enim forma qua Phinees Zambre occidebat, non omnino iusta erat; nam non est priuati, vindictam publicam sumere; quia tamen res per se iusta erat, & zelus iustus: totum factum illi reputatum fuit ad iustitiam, sic vt parua iniustitia per magnam iustitiam tegeretur.

Vexatus est Moyses] Quemadmodum vno facto Phinees placatus fuit Dominus toti populo peccanti: ita è contrà ob leuissimum delictum iratus fuit Moysi in reliquis semper bene agenti. Ratio differentiæ est, quia primo impetu grauiùs peccata amicorum ferimus, quàm aliorum. Quin ira illa non absoluta est, vt ob id amici esse desinant; sed limitata, vt de Moyse accidit.

LIBER

LIBER QVINTVS.

PSALMVS CVI.

Titulus.

Laudate Dominum, Alleluia.

Argumentum.

1. ADhortatur nos Propheta ad laudes Deo canendas, initio quidem in genere, deinde autem in specie. 2. Primum, quia errantem populum in deserto, in viam rectam deduxit. 3. Deinde, quia eundem à peccato liberauit. 4. Tum, quia eum ipsum corpore ob peccata ægrotantem sanauit. 5. Post, quia in aqua periclitantem liberauit. 6. Addens deinceps, quantis aliis bonis populum suum affecerit; quem ingratum ad tempus quidem nonnumquam punit, sed mox in gratiam recipit. 7. Quæ omnia tam admirabilia virum iustum ac sapientem diligententer obseruare, malum autem negligere ait. Notandum autem in supradictis quatuor beneficiis specialibus, quaterna in singulis poni, necessitatẽ, inuocationem, auxilium, & gratiarum actionem. Ex quibus versus inuocationis & gratiarum actionis sunt, qui intercalares apud Poëtas vocantur.

1. COnfitemini Domino, *& cum gratiarum actione omnia illi accepta referte:* quoniam bonus *& benignus*, quoniam in *æternum* sæculum misericordia *& clementia* eius.

Dicant *nunc hymnos* qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici: *etenim* de *terris &* regionibus *per quas dispersi erant*, congregauit *ac collegit* eos.

A Solis ortu & occasu, ab Aquilone, & mari *Australi*.

2. *Qui* errauerunt in solitudine in *deserto* in-

aquoſo,& viam ciuitatis habitaculi *vbi quiſquam mortalium degeret, aut ipſi degere poſſent*, non inuenerunt.

Sed cùm eſurientes & ſitientes *incederent*, anima eorum in ipſis defecit *ac collapſa eſt*.

Et *ideo* clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur:& *ille* de *anguſtiis &* neceſſitatibus eorum eripuit *ac liberauit* eos.

Et *iter aggredi fecit ac* deduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis *ſua*.

Quare confiteantur *& cantent* Domino, *celebremq́ faciant eum ipſa* miſericordiæ, *& benigna opera* eius;& *narrent inter ſe mortales eas ipſas miſericordias & reliqua* mirabilia *facta* eius, *qua* filiis hominum, *Adami poſteris, praſtitit & exhibuit.*

3. Quia ſatiauit animam inanem,& animam eſurientem *impleuit &* ſatiauit bonis.

Sedentes in tenebris & in vmbra mortis, *& qui* vincti *erant* in *egeſtate ac* mendicitate & ferro.

Quod ideo illis contigerat, quia exacerbauerunt *& deſeruerunt* eloquia Dei, & conſilium Altiſſimi irritauerunt *& contempſerunt*.

Et *ob hoc* humiliatum *& attritum* eſt in labore *& afflictione* cor eorum, *&* infirmati *lapſi* ſunt, nec fuit qui adiuuaret.

Et *ideo* clamauerunt *iterum* ad Dominum cùm tribularentur:& *ille* de *anguſtiis &* neceſſitatibus eorum *eripuit ac* liberauit eos.

Et

Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis; & vincula eorum dirupit.

Ergo confiteantur *& cantet* Domino, *celebrémque faciant eum ipsæ* misericordiæ *& benigna opera* eius; & *narrent inter se mortales eas ipsas misericordias, & reliqua* mirabilia *facta* eius, *quæ* filiis hominum, *Adami posteris, præstitit & exhibuit.*

4. *Ipse enim est* qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Suscepit eos de via iniquitatis *& prauaricationis* eorum, *in qua stulti ambulabant*: propter iniustitias enim suas, *factum est ipsis quòd* humiliati *& afflicti* sunt.

Adeò quòd præ ægritudine omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.

Et *denuò* clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de *angustiis ac* necessitatibus eorum *eripuit ac* liberauit eos.

Et misit verbum suum *salutare*, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum, *& quasi de ipso sepulchro ac fouea.*

Quare confiteantur *& cantent* Domino, *celebrémque faciant eum ipsæ* misericordiæ, *& benigna opera* eius; & *narrent inter se mortales eas ipsas misericordias & reliqua* mirabilia *facta* eius, *quæ* filiis hominum, *Adami posteris, præstitit & exhibuit.*

Et sacrificent sacrificium laudis *& gratiarum*

actionis: & annuncient *ac prædicent* opera eius in exsultatione *& laude.*

5. *Etenim* qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem *& negotiantes* in aquis *illis vastissimis &* multis,

Ipsi viderunt *& vidēt quotidie* opera Domini, & mirabilia eius in profundo.

Dixit *enim vno verbo*, & *continuò excitatus est & stetit in mari* spiritus *ac ventus* procellæ, & exaltati sunt fluctus eius.

Adscendunt vsq; ad cælos, & descendūt vsque ad abyssos: *vnde* anima eorum, *qui naui vehebantur*, in malis tabescebat, *& quasi liquefiebat.*

Turbati sunt & moti sunt *in gyrum, nutantes & vacillantes* sicut ebrius: & omnis sapientia eorum, *& peritia gubernādi, superante vi tempestatis, cessauit, & quasi* deuorata *& absorpta* est.

Et *rursum* clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de *angustiis &* necessitatibus eorum eduxit eos.

Et *mutauit ac* statuit procellam eius in auram *tranquillam*, & siluerunt *ac conquieuerunt* fluctus eius.

Et lætati sunt *illi*, quia siluerunt *ac conquieuerunt*: & deduxit eos in portū voluntatis eorum, *quò iter instituerant.*

Quare confiteantur *& cantent* Domino, *celebremq; faciant eum ipsæ* misericordiæ, *& benigna facta* eius, & *narrent inter se mortales, eas ipsas miseri*cor-

ricordias,& reliqua mirabilia *facta* eius,*quæ* filiis hominum, *Adami posteris,præstitit & exhibuit.*

Et exaltent eum in ecclesia *ac congregatione* plebis *ac populi*, & in cathedra *ac consessu* seniorum laudent eum.

6. *Etenim mutauit ac* posuit flumina in desertum,& *scaturigines ac* exitus aquarum in *siccitatem &* sitim.

Petram ac terram fructiferam in salsuginem *ac sterilitatem,præ &* à malitia inhabitantium in ea.

Et è cõtrà posuit desertum in stagna aquarum, & terram *siccam* sine aqua in exitus aquarum.

Et collocauit illic esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis.

Et seminauerunt agros,& plantauerũt vineas, & fecerunt fructum *& prouentum annuæ* natiuitatis *& culturæ.*

Et benedixit eis *Dominus*,& multiplicati sunt nimis *valde*, & iumenta *quoque* eorum non minorauit.

Et *ingratos se præstantes,rursum ob peccata sua* pauci facti sunt,& vexati *afflictiq;* sunt à tribulatione malorum, & *affecti grauissimo* dolore *& tristitia.*

Effusa est contemptio super principes *eorum, sic vt eos ipsi vilipenderent*: & *ita* errare fecit eos *sine duce* in *deserto* inuio,& non in via.

Et *denuo cùm pœnitentiam de peccatis agerent,* adiuuit *ac subleuauit* pauperẽ de inopia,& posuit

 sicut

ſicut oues *& greges pecudum* familias *eorum.*

7. *Hæc (tam admiranda)* videbunt recti, & lætabuntur *in tanta Dei prouidentia: & contrà* omnis iniquitas *claudet &* oppilabit os ſuum, *dum harum rerum nihil intelligit.*

Nam quis *ferè inter mortales* eſt ſapiens,& cuſtodiet *ac obſeruabit* hæc,& intelliget miſericordias *& immenſa beneficia* Domini?

Explanatio.

Tenebris & vmbra mortis] Quoniam mors infimæ regionis mundi eſt obſcuræ; ideo tenebræ & vmbra illi tribuuntur. Eſtque duplex mors,vna corporis quoad vitam; altera animi, quoad virtutem.

Effuſa eſt contemptio ſuper principes] Cùm populus ſiue ſuo vitio, ſiue ipſorum magiſtratuum,ſiue vtrorumque, principes ac magiſtratus ſuos contemnit, certum eſt perniciem reipublicæ imminere.

Psalmvs cvii.

Titulus.

Canticum pſalmi *vt canatur* ipſi Dauid.

Argumentum.

1. Laudes Dei prædicans vir ſanctus, petit ab eo exaudiri. 2. Quod omnino ita putat futurum, quoniam id olim ſic promiſit, repetens verba eius in perſona ipſius. 3. Vnde ad prædandum redit, vt victoria contra Idumæos potiri poſſit. Conuenitque hic Pſalmus cum quinquageſimo ſexto & nono.

1. Paratum cor meum Deus, (paratum cor meũ) cantabo *voce*,& pſallam *inſtrumentis muſi-*

musicis in gloria, *& pro omni parte virili* mea.

Euigila & exſurge *mecum ô nablum &* pſalterium *meum*, & *tu* cithara *mea*: exſurgam *enim* diluculo, *ipſamq́ adeò auroram excitabo.*

Et confitebor *ac cum gratiarum actione omnia accepta feram* tibi in populis *& mediis eorum conuentibus*, ô Domine, & pſallam tibi in *cunctis* nationibus.

Quia magna eſt *&* ſuper cælos *vſque extenditur bonitas &* miſericordia tua *in peccatis condonandis*; & vſque ad nubes *porrigitur iuſtitia, &* veritas tua *in promiſſis præſtandis.*

Exaltare *igitur* ſuper cælos Deus, & *extendatur* ſuper omnem terram gloria *& maieſtas* tua, vt liberentur *ab omnibus malis* dilecti tui.

2. Saluum *me* fac dextera tua, & exaudi me, *ac reſponde votis meis* : *quod ſanè nihil dubito, quin ita ſit futurum, quoniã* Deus *olim* locutus eſt (*& quaſi promiſit hoc nobis*) in *tabernaculo* ſancto ſuo.

Exſultabo, *inquiens*, & diuidam *populo meo* Sichimam, & conuallem tabernaculorum *ſocchet* dimetiar.

Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim ſuſceptio *& fortitudo* capitis mei.

Iuda rex, *& dux, legiferq́* meus: Moab, *ita mihi ſubditus eſt, vt ſit tamquam olla ac* lebes ſpei mei, *ſi quando laſſus lauare me cupiam.*

In Idumæam *ſuper Edom* extendam calciamentum meum, *vt pedibus meis eos ſubiiciam: & iam*

mihi *Philistai*, alienigenæ, amici *ac subditi* facti sunt, *sic vt triumphum de iis canam.*

3. *Quæ quidem cùm ita se habeant, ô Domine;* quis deducet me in ciuitatem *istam* munitã *Edom, quam tanto tempore teneo obsessam?* quis deducet me vsq; in Idumæam, *cum qua tam diu bellũ gero?*

Nónne tu Deus qui *hactenus* repulisti nos? & non exibis *vel tandem ad pugnam* Deus in virtutibus, *& vnà cum exercitibus* nóstris?

Da *igitur, obsecro*, nobis auxilium de tribulatione: quia vana *& fallax* salus hominis.

Sed in Deo *reuera* faciemus virtutem, *& robur nostrum ostendemus*, & ipse *conculcabit &* ad nihilum deducet inimicos nóstros.

EXPLANATIO.

Gloria] Sic vocát vires animæ suæ, in qua omnis eius gloria propter Dei similitudinem consistit. Vnde & vnicam suam eam alibi appellat.

PSALMVS CVIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missus* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. IMplorans Dauid auxilium Dei contra Doeg, & alios obtrectatores suos, qui principem locum apud Saulem tenebant, enumerat mala quæ aduersum ipsum moliuntur. 2. Qua de re ipsum dignis suppliciis affici ac puniri optat, quemadmodum eum decet qui falsò illi detrectat. 3. Orans è contrà pro se vt à malis, in quibus

quibus versatur, à Deo liberari possit. 4. Quod cùm fiet, se Deo gratias acturum dicit. Gerit hîc Dauid personam Christi de Iudæis ac maximè quidem de Iuda proditore, conquerentis.

1. DEus, *laus & gloria mea, quem solum laudibus cano, & a quo vno gloriam omnem accipio; obsecro*, laudem meam, *quæ tua est*, ne tacueris: quia os *impij* peccatoris, & os dolosi super me apertum est.

Locuti sunt aduersum me lingua *mendaci ac* dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt, *præliatique sunt aduersum* me gratis, *sine vlla causa*.

Quin pro eo *quòd ipsos diligebam, & ratio dictabat* vt *illi vicissim* me diligerent, *aduersabantur &* detrahebant mihi: ego autem *vndique circumuentus ad te vnicum præsidium confugiebam, & tam pro illis quàm pro me* orabam.

Et *sic ipsi* posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

2. *Ad quod quidem grauissimum peccatum ingratitudinis rependendum*, constitue super eum peccatorem *& impium, qui illi imperet*: & diabolus *ipse ac Satan* stet *ipsi perpetuus aduersarius* à dextris eius.

Cùm iudicatur, exeat cõdemnatus *impietatis*: & oratio eius, *qua pro se dicet ac deprecabitur*, fiat *ac vertatur* in *grauius* peccatum *& odium iudicis aduersum eum*.

Fiant dies eius pauci, & episcopatum *ac*

præfecturam eius accipiat alter.

Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.

Nutantes *& instabiles* transferantur *ac vagentur sine certis sedibus* filij eius, & mendicent, *&* eiiciantur de *vastatis* habitationibus suis, *& quærant victum suum.*

Scrutetur *& manum iniiciat* fœnerator *& exactor in* omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius.

Non sit illi adiutor *qui misericordia erga eum commoueatur*, nec sit qui misereatur pupillis eius.

Fiant nati *ac posteritas & desinant vltima* eius in interitum, in generatione vna *sola* deleatur nomen eius, *sic vt non perueniatur ad alteram.*

Et è contrà retro in memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur.

Fiant, *inquã*, contra Dñm, *& versentur ob oculos eius hæc peccata* semper, & *si quæ rectè fecerint*, dispereat de terra memoria eorũ, pro eo quod *filius eorũ* nõ est recordatus facere misericordiam.

Verùm è contrario calumniatus & persecutus est hominem inopem & mendicũm, *omni ope humana destitutum*, & cõpunctum *ac mœstum* corde, *conatus est occidere ac* mortificare.

Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum *suum*, & intrauit sicut aqua in interiora *viscera* eius,

eius: & ſicut oleum in oſſibus eius.

Vnde fiat ei ſicut veſtimentum *ac pallium* quo operitur, & ſicut *cingulum ac* zona qua ſemper præcingitur.

Sitq́; hoc opus *& merces* eorum *quod à Domino iis retribuatur;* qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduerſus animam *& vitam* meam.

3. Et tu *autẽ* Domine Domine fac *& ſta* mecum propter nomen tuum, *vt facta tua illi reſpondeãt: quia id vtique inde deductum eſt, quòd bonus es & benignus, & quod* ſuauis eſt miſericordia tua.

Libera, *inquam,* me; quia egenus & pauper ego ſum, & cor meum conturbatum *& vulneratum* eſt intra me.

Sicut vmbra *ſerotina* cùm declinat, *& in tenebras noctis euaneſcit, præterij &* ablatus ſum, & excuſſus ſum, ſicut locuſtæ *vagantes, & huc illucq́; ſalientes de arboribus, & graminibus vento ac frigore decuti ſolent.*

Genua mea infirmata ſunt *& vacillant* à ieiunio, *dum à te in cinere & ſacco clamare numquam ceſſo:* & caro mea *& ipſa prorſus* immutata *& macilenta facta* eſt propter oleum *& pinguedinem in hac ſeruitute quam patior ei detractam.*

Et ego factus ſum *ludibrium &* opprobriũ illis: viderũt me, & *mox* mouerũt *per riſum* capita ſua.

Quod cùm ita ſit, adiuua me Domine Deus meus, ſaluũ me fac ſecũdùm miſericordiã tuam.

Et

Et sciant quia *non ipsorum; sed* manus tua *est* hęc, *qua tum quidem vsus, eorum operâ me afflixisti, tum verò iterum redemisti*, & *quod* tu Domine fecisti eam.

Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur, seruus autem tuus lętabitur.

Induantur qui *aduersantur ac* detrahũt mihi, pudore *& ignominiâ*; & operiantur, sicut *pallio ac* diploide, confusione sua.

4. *Quod quidem cùm fiet*, confitebor *& cum gratiarum actione salutem meam acceptam feram*, *& cantabo* Dño nimis *valde; quantũ animo queam*, in ore meo, & in medio multorũ laudabo eum.

Quia adstitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus *& falsis principum iudiciis* animam meam.

EXPLANATIO.

In memoriam] Deus in altera vita neminem punit, nisi ob peccata sua propria: in hac, etiam ob peccata eorũ, quorum ipse pars est, vt liberi parentum, licet sint insontes; si autem sontes, & ob sua, & ob parentum peccata sæpe puniuntur, & hîc & in futuro sæculo.

Quia oblitus est facere misericordiam] Animaduerte non aliud quã immisericordiã impio exprobrari: quia quemadmodum summa virtus est misericordia, vnde perfecti & misericordes in Euangelio dicuntur; ita summũ vitium est, ab ea esse alienum, vnde euntibus in ignem æternum, non aliud quoque obiicitur, cùm contrà euntes ad vitam æternam à misericordia laudentur.

PSAL-

PSALMVS CIX.

Titulus. Psalmus Dauid.

Argumentum.

CElebrat hic vir sanctus triumphum Christi, introducens Deum Patrem, alloquentem ter Filium suum. 1. Ac primò quidem à dextris eum sedere iubet. 2. Deinde ex se ante mundi exordium genitum ait. 3. Tum sacerdotem eum vocat in perpetuum. 4. Vnde ad extremum Dauid tertiò Christum quoque alloquens, omnino fore ait, vt deuictis hostibus caput super omnes extollat.

1. DIxit Dominus, *Deus Pater*, Domino *Deo* meo, *Filio suo vnigenito ad cælum redeunti*, Sede à dextris meis, *supra omnes res diuinas & humanas.*

Donec *extremo mundi tempore* ponam inimicos tuos, *diabolum, & omnē generationem eius*, scabellum pedum tuorum, *in inferno inferiori.*

2. Virgam *& sceptrum fortitudinis &* virtutis tuæ, *ô Domine Fili Dei*, emittet *& ostēdet* Dominus *pater tuus* ex Sion *monte Ierusalem, vnde regni tui initium progredietur: itaq;* dominare, *vel inuitis omnibus*, in medio inimicorum tuorum.

Tecum *enim semper est Pater tuus, rerū omnium* principiū, *per quem principatum ac potestatē tuam ostēdes* in die virtutis *ac fortitudinis* tuę, *quo tēpore populus tuus electus spontaneus aderit cum oblationibus liberalibus*, in *decore sancto, & magnis* splendoribus sanctorū *tuorū: dixit enim tibi Pater tuus: Ecce ex tenebroso* vtero *tam meo* ante luciferum

totumq;

totumq́ mundi opificium, quàm ipsius auroræ virginis intactæ genui te, *& rorem natiuitatis tuæ diuinitus emisi.*

3. *Sed &* iurauit *tibi* Dominus *Pater tuus.* & non pœnitebit eum, *dicens*: tu *qui sapientia mea es, non modò Rex* es *potentissimus, sed &* sacerdos *sanctissimus, idq́ non ad tempus, vt Aaron & filij eius, sed* in æternum, secundùm *atque adeò supra morem &* ordinem Melchisedech *regis & sacerdotis, cuius initium & finis ignoratur.*

4. *Denique* Dominus *Pater tuus semper est* à dextris tuis, *qui rerum omnium potens, rebus sic exigentibus transfodiet ac cõfringet in gratiam tuam, quemadmodum sæpe transfodit ac* confregit in die *iustissima* iræ *& vindictæ* suæ reges *ac principes.*

Quinetiam iudicabit *vnà tecum* in nationibus *ac gentibus tibi non parentibus, de quibus acerrimum sumet suppliciũ, sic vt cadaueribus* implebit *omnes* ruinas *ac valles, &* conquassabit *& abscindet* capita *eorum* in terra, *qui nunc* multorum, *& quasi vniuersi orbis tenent imperium.*

Ac dum propter infinitas cædes impiorũ quasi flumina sanguinis vbiq́ current, ille manus suas lauans in sanguine peccatorum, tamquam leo rugiens de torrente *sanguinis* in via bibet, *&* propterea *plenissimam victoriam nactus* exaltabit caput, *sic vt post omnia infima in hoc mundo perpessa, & calicem obedientiæ vsque ad mortem, mortem autem crucis, exhaustum, efferatur supra omnia, habeátque*

beátque nomen quod est super omne nomen.

EXPLANATIO.

Melchisedech] Hoc verbum Regem iustitiæ significat, sic vt Christus rex & sacerdos sit, quod gratiæ est; & propheta, quod veritatis. Vtrumque autem in Melchisedech significatur per panem, ad cor hominis confirmandum, quod veritas efficit; & vinũ vt lætificet cor hominis, quod gratia.

PSALMVS CX.

Titulus.

Laudate Dominum Alleluia.

Argumentum.

1. PRædicat Dominum vir sanctus ab admirabilibus operibus ipsius quæ oculis conspiciuntur, & legibus eius quæ auribus percipiuntur. 2. Ostendens tum quidem quàm admirabiliter inter se sint coniuncta, & quæ cuiusque sit natura. 3. Tum autem quam vim habeant & effectum. Estque hic Psalmus vnus ex iis qui secundùm ordinem literarum apud Hebræos est compositus, quod legis symbolum esse, iam antè admonuimus.

1. COnfitebor, *& cum gratiarũ actione omnia accepta feram, laudemq; dicam* (tibi) Domine in toto corde (meo,) *tum quidem* in *arcano* consilio *principum & rectorum, tum verò in publico conuentu* iustorum & congregatione.

Dicam: magna *sunt* opera Domini *&* exquisita, *exoptataq; iis qui toto studio perquirũt* in omnes voluntates eius, *vt tantorum & tam exquisitorum operum admiratione ad legum ipsius obseruationem incitentur.*

Nihil, dico, nisi mera gloria & cõfessio *laudum, merusq;*

metusq́, decor, & magnificentia *est* opus eius, *dum contemplatio illius ad laudandum & prædicandum homines incitat:* & iustitia eius, *vnde lex procedit*, manet in sæculum sęculi: *sic vt opera eius, quæ oculis spectantur, & mandata, quæ auribus percipiuntur, inter se semper conueniant ac respondeant.*

2. *Nam quantum ad opera attinet*, memoriam *æternam* fecit mirabilium suorum, *sic vt nulla obliuione deleri possint: & quātum ad legem*, misericors *cùm sit* & miserator Dominus, escam *tanquam rapinam* dedit, *& semper dat* timentibus se, *& seruantibus mandata ipsius.*

Atque vt pari passu circa vtrumque semper procedat, memor erit in *æternum* sæculum testamenti *ac fœderis* sui, *quod super lege sua, eiusq́, obseruatione fecit, & robur ac* virtutem operum suorum *semper* annunciabit *& ostendet* populo suo.

Vt det illis *benefacientibus* hæreditatem *& possessiones* gentium, *& reipsa constet quòd ante* opera manuum eius *semper versantur: atque adeò opera eius sunt* veritas *in legibus ac fœderibus constituendis*, & iudicium *in exsequendis.*

Etenim si leges spectes, fidelia *sunt & rectissima* omnia mandata eius, *nec non stabilia &* confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & ęquitate, *sic vt iustum & æquum semper inter se misceantur.*

Si verò opera, præterquam quòd homines ab initio creauit, tum & eosdem vitio suo collapsos restaurare volens, redemptionem misit populo suo, *&* man-

mandauit in æternũ *satisfieri* testamẽtum suum, *vt id quod pacto suo promisit, reipsâ præstetur.*

3. *Denique cùm inter omnia opera vel maximè* sanctum *simul* & terribile *sit* nomen eius *ad reuerentiam, qua ex timore & amore mixta, hominibus incutiendam*; *tum* initium *omnis* sapientiæ *est* timor *& obseruantia erga legem & voluntatem* Domini, *ad eos erudiendos.*

Sic vt quantum ad legem pertinet, intellectus *eius sit* bonus omnibus faciẽtibus *secũdùm* eum, *& quantum ad opera Domini, duret per ea* laudatio eius, *&* manet in sæculum sæculi.

EXPLANATIO.

Initium sapientiæ timor Domini] Nam principium intelligendi est, bene velle, vt in Euangelio à Domino ipso est proditum, cuius primus gradus est timor. Et Iob: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; & recedere à malo; intelligentia. Accipimus autem hîc timorem filialem (quem vocant) non seruilem.

PSALMVS CXI.

Titulus.

Laudate Dominum Alleluia.
(Reuersionis Aggæi & Zachariæ.)

Argumentum.

1. Describit primùm Propheta beatitudinem viri iusti à potentia, diuitiis, gloria; qui sunt effectus iustitiæ. 2. Deinde opera eius in proximo iuuando, & obloquiis & aliis rebus aduersis fortiter tolerandis. 3. Tum peccatoris aduersus eum inuidiam,

qua nihil efficit. Estque & his Psalmus secundùm ordinem litterarum compositus vt superior, & eadem de causa.

1. BEatus vir qui timet Dominum, *etenim ea re fiet quòd* in mandatis eius volet, *& delectabitur* nimis, *dum verus timor filialis cum amore semper est coniunctus.*

Vnde potens in terra erit semen eius, *quoniam* generatio rectorum, *quales sunt qui Deum timent & mandata eius seruant*, benedicetur.

Gloria & diuitiæ *rerumq; omniũ abundantia* in domo eius, & iustitia eius manet in sęculũ sęculi.

Sed & exortum est *& affulget, emicatq; semper vel* in *mediis* tenebris lumen rectis, *quoniam qui sic se habet clemens est &* misericors *animo*, & *pius* miserator *opere in aliis iuuandis*, & iustus *in promissis præstandis, rebusq; rectè disponendis.*

2. *Qua idem re &* iucundus *bonusq; est* homo *ille in omnibus factis suis, quippe* qui miseretur *inopiæ illorum*, & commodat *iis ac dat mutuò, quod misericordiæ est*; *&* disponit *ac dispensat* sermones suos, *& res* in iudicio, *certa ratione ac stabili, quod prudentiæ, constantisq; ac perpetuæ iustitiæ*; quia in æternum non commouebitur.

Atque ita apud omnes celebris in memoria æterna erit iustus, *omniumq; prædicatione extolletur*: *&* ab auditione mala *& obloquiis hominũ, vel etiã denunciatione rei alicuius aduersæ* nõ timebit.

Nam (quicquid ei obueniet, vel homines dè eo dicẽt) paratum *est semper* cor eius sperare *ac cõfidere* in

in Domino, confirmatum, *inquam*, eſt cor eius: *vnde* non cõmouebitur *nec timebit*, donec deſpiciat *illos obtrectatores* inimicos ſuos, *& videat in iis quod merentur & optat.*

Quia enim diſperſit *ac liberaliter diuiſit res ſuas, &* dedit *eas* pauperibus, *ideo* iuſtitia eius, *cuius vel nobiliſſima pars eſt liberalitas ac erogatio in egenos,* manet in ſæculum ſæculi, *&* cornu eius exaltabitur in gloria.

5. Peccator *autem impius hoc* videbit, & *inuidia commotus* iraſcetur: dentibus ſuis fremet & *liuore* tabeſcet *ac liqueſcet, ſed nihil efficiet, quoniam* deſiderium *omnium* peccatorum *& impiorum funditus* peribit.

EXPLANATIO.

In tenebris lumen rectis] Duplex in iuſto ſpectatur lumen, vt dictum eſt; Vnum intellectus, quod illi ſemper affulget; alterum claritatis vitæ, quod ab illo ſemper emicat, idque vel in mediis tenebris, dum aliis ignobilis & obſcurus minimeque ſapiens videtur.

PSALMVS CXII.

Titulus. *Laudate Dominum* Alleluia.

Argumentum.

1. INcitat vir ſanctus ſeruos Dei ad eum laudandum ac prædicandum. 2. Idque quia excelſus eſt ſuper omnes, & ex humili loco in altum ſæpe hominem extollit.

1. LAudate *ô ſerui ac* pueri Dominum, laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, *omniq́; prædicatione collaudatũ*, ex hoc nunc & vsq. in sęculũ.

A Solis ortu vsque ad occasum *celebretur* laudabile nomen Domini.

2. *Etenim* excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius.

Imò quis sicut Dominus Deus noster, qui *adscendens cùm vult*, in altis *sedet & habitat*; & *contrà, descendens cùm vult*, humilia respicit in cælo *sursum*, & in terra *deorsum, sic vt nihil sit quod non Deo sit plenum, eiusq́; prouidentiam euadat?*

Suscitans à terra *& imo puluere* inopem, & de stercore erigens pauperem.

Vt collocet *& sedere faciat* eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Qui, *inquam*, habitare facit sterilem in domo, *sic vt è sterili fœcunda facta in familiam excrescat, & cùm priùs tristis ac solitaria degeret*, in matrem filiorum lætantem *ac hilarem euadat.*

Explanatio.

Laudate] Vti Dauid secundùm literam, ita Apostoli mysticè ex infimis summi facti sunt.

Psalmvs cxiii.

Titulus. Laudate Dominum, Alleluia.

Argumentum.

1. Canit hîc initio Propheta quo pacto cum maximis miraculis eductus fuerit populus Israeliticus ex Aegypto. 2 Quarum rerum non alium auctorem fuisse ait, quàm Dominum ipsum, qui

qui ſolus verus eſt Deus, cùm ſimulachra gentium, aurum ſint & argentum. 3. Quibus optans ſimiles fieri eos qui ea faciunt ac colunt, dicit populum Iudaicum non alium quàm verum Deum agnoſcere, à quo omnia ſemper beneficia accepit. 4. Quod vt & nunc fiat, optat, vt eum quamdiu viuãt, omnibus laudibus extollãt.

1. IN exitu Iſraël de Ægypto, *in exitu* domus Iacob de populo barbaro *& externo*;

Tum facta eſt Iudæa, *ipſuſq; adeò populus Iudaicus*, ſanctificatio *& gens ſancta* eius, Iſraël *ſpeciale regnum ac dominium ſiue* poteſtas eius.

Id mare *rubrum* vidit & fugit, *&* Iordanis *gyrans* conuerſus eſt retrorſum.

Montes *ſolitudinis agitati ſubſiluerunt &* exſultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni, *filij pecudum* ouium.

Sed quid eſt tibi mare, quòd fugiſti? & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?

Et vos montes *quòd* exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium?

Equidē à facie Domini, *ob ſummi numinis præſentiam, cùm ad legem populo ſuo ferendam deſcenderet*, mota eſt *ac contremuit* terra *ſub vobis*, à facie Dei Iacob.

Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem *ac ſilicem* in fontes aquarum.

2. *Quarum quidem rerum tam admirabilium*, non nobis Domine, non nobis, *qui nihil promeriti ſumus*; ſed nomini tuo, *qui ſolus hæc operaris*, da glôriam.

Idq; vt intelligatur ſuper miſericordia tua, *qui*

cuncta nobis hæc largiris : & veritate tua, *qui promissa patribus nostris facta, re ipsa præstas, hæc esse fundata*; ne *si id ignoretur* quandoque dicant gentes, vbi est, *quæso*, Deus eorum?

Quibus equidem respondemus: Deus autem noster in cælo *est*, omnia quęcumque voluit fecit.

Caterùm simulacra *vestra* gentium, argentum *sunt* & aurum, opera manuum hominum *filiorum Adam*.

Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt.

Aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt.

Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt; non clamabunt *nec vocem aut vel mussitationem vllam, nec loquelam edent* in gutture suo.

3. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

(Domus) *autem* Israël sperauit in Domino, adiutor eorum, & *tamquam scutum* protector eorum est.

Domus Aaron sperauit in Domino, adiutor eorum, & *tamquam scutum* protector eorum est.

Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino, adiutor eorum, & *tamquam scutum* protector eorum est.

Dominus *vsquequaque* memor fuit nostri, & benedixit nobis.

Bene-

Benedixit domui Iſraël, benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum, puſillis cum maioribus.

4. *Quod quidem cùm ita ſit, pergat & adiiciat cumulum benedictionis ſuæ* Dominus ſuper vos, ô *domus Iſraël*, ſuper vos, *inquam*, & ſuper filios veſtros.

Etenim benedicti vos *eſtis & ſeparatim dedicati* Domino, qui fecit cælum & terram.

Et quidem cælum cæli *vniuerſum manet* Domino, terram autem dedit filiis hominum, *vt illum inde reuereantur ac colant.*

Non *enim* mortui laudabunt *& cantibus celebrabunt* te Domine, neque omnes qui deſcendũt in *ſepulchrũ & infernum, vbi altum eſt ſilentium.*

Sed nos (qui viuimus) benedicimus Domino, ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

EXPLANATIO.

Similis] Qualia quis pro Deo colit, iis non corporis quidem tranſmutatióne, ſed moribus animi ſimilis euadit.

PSALMVS CXIIII.

Titulus.

(*Laudate Dominum* Alleluia.)

Argumentum.

1. Dicit vir ſanctus ſe in vno Deo omnem amorem ſuum collocare, nec alium quàm ipſum inuocare velle.

2. Quoniam nuper in graui periculo constitutus, ab illo fuit liberatus. 3. Quare animam suam alloquens, in vno Deo eam acquiescere iubet.

1. DIlexi, *& totum amorem meum in vno Deo collocaui*, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

Qui quidem quia *semper* inclinauit aurem suam mihi, *numquam aliò confugiam quàm ad ipsum*, & in *cunctis* diebus meis, *per omnem vitam* inuocabo *eum*.

Etenim circumdederunt me *nuper tamquam funes*, dolores mortis, & *angustiæ ac* pericula inferni inuenerunt me, *sic vt mox in sepulchrum descensurus viderer*.

Tribulationem & dolorem inueni; & *vide quid feci*; nomen Domini *continuò* inuocaui.

Dicens, ô Domine, *obsecro te*, libera animam meam; *quod cùm fecissem, ecce quid consecutum sit: equidem clemens ille ac* misericors Dominus *circa supplices*, & iustus *in promissis seruandis erga eos qui fidunt illi*, & *denique* Deus *ipse* noster *qui numquam non* miseretur;

Sed semper custodiens *est*, *& reipsa custodit* paruulos *ac simplices, quorũ maximè delectatur esse adiutor ac* Dominus: *ille, inquam, mox vt vidit quòd* humiliatus *& attenuatus, miserq; factus* sum, *saluauit* & liberauit me.

3. *Quare* conuertere anima mea, *&, depositis omnibus perturbationibus, redi* in requiem tuam:

quia

quia Dominus benefecit tibi, *& persoluit pro te quod volebas.*

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, *&* pedes meos à lapsu.

Quare placebo Domino, *& securus sanctúsque ambulabo coram facie eius*, in regione *terraq;* viuorum.

Explanatio.

In regione viuorum] Tam hîc quàm in cælo, vbi vera sedes est vitæ propter iustitiam, cùm contrà infernus sit sedes mortis, propter iniustitiam.

Psalmus CXV.

Titulus.

(*Laudate Dominum*, Alleluia.)

Argumentum.

1. Ait Propheta se Deo semper firmiter credidisse, & ob id adiutum fuisse. 2. Cuius rei causa conuiuium gratiarũ agẽnis se instituturum, & vota soluturũ dicit. 3. Quod & repetit.

1. Credidi *firmiter promissis Domini* (propter) quod *quàm confidentissimè semper* locutus sum, *idq; nõ solùm rebus secũdis, sed & planè aduersis: nam aliquãdo cõtigit quòd* ego (autem) *afflictus &* humiliatus sum nimis *suprà quàm dici queat.*

Et tum vel in media consternatione & præcipiti fuga ab hostibus, ego dixi *semper* in excessu meo, *& mentis præ dolore alienatione*, Omnis quidẽ homo mendax, *cæterùm Deus mentiri nequit, & sine*

dubio quod promisit præstabit, quemadmodũ & fecit.

2. *Quare*, quid retribuam Domino pro omnibus *beneficiis* quæ retribuit *ac contulit* mihi?

Adornato sacro conuiuio gratiarum actionis, calicem salutaris *& saluationis præstita* accipiam *ac leuans bibam*, & nomen Domini inuocabo.

Vota mea, *quæ cùm in periculo essem, vouebam* Domino, *soluam ac* reddam coram omni populo eius: *etenim licet de vita nos subinde periclitari permittit Dominus, nõ tamen facilè patitur occidi; nam* preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, *quos misericordia sua est complexus.*

Inter quos sanctos vt & ego habear, obsecro te, ô Domine; *scis enim* quia ego seruus tuus, ego, *inquam*, seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, *sic vt vel ab ipsa natiuitate totus sim tuus.*

3. *Tu soluisti ac* dirupisti vincula mea, *quare* tibi sacrificabo hostiam *& sacrificium* laudis, *confitens abs te vno salutẽ meam esse*: & *semper* nomen Domini inuocabo, *omnibusq́, præconiis celebrabo.*

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui, ô Ierusalem. Laudáte Dominum, Alleluia.

EXPLANATIO.

Et filius ancillæ tuæ] Hoc dicit, vt significet se non aduentitium seruum esse, vt proselyti: sed vernam siue domi natum, vt Iudæi.

PSAL-

PSALMVS CXVI.

Argumentum.

1. INuitat vir sanctus omnes quotquot vbique sunt mortales, ad laudes Deo cantandas, propter misericordiam & veritatem, per Christum allatam.

1. LAudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes *non Israëlitici modò, sed & quotquot vbique estis* populi.

Quoniam *multiplicata & per totum mundum diffusa, penitusq́; praualuit &* cõfirmata est super nos misericordia eius *in peccatis condonandis*: & veritas Domini *in promissis præstandis* (manet) in æternum. *Laudate Dominum* Alleluia.

EXPLANATIO.

Misericordia, veritas.] Misericordia moderatæ iustitiæ est, vt suprà diximus, veritas rectæ: misericordia bonitatis, veritas prudentiæ: misericordia gratiæ, veritas perfectionis, sublatò legis Mosaicæ velamine. Omnia Christo conueniunt, qui quidem gentibus ex misericordia, Iudæis ex veritate promissionis datus est.

PSALMVS CXVII.

Titulus. *Laus Deo* Alleluia.

Argumentum.

1. HOrtatur Rex populum, vt Deo gratias agat. 2. Idque propter summa beneficia ipsi præstita. 3. Quorum causa templum se aditurum Deoque laudes cantaturum ait. 4. Introducitq́; & populũ id facientẽ, & sacerdotes respondentes, simulque diem

diem festum in templo vnà secum (qui ad extremum iterum ipse loquitur) celebrantes. Cęterũ autẽ Dauid personā Christi, cui intranti honorificè in Hierusalem, & alibi hæc omnia apprimè congruũt.

1. CONfitemini *quotquot estis mortales, & palàm profitemini hoc de* Domino, quoniam bonus *est*, quoniam in sæculũ misericordia eius.

Dicat nunc *queq; populus* Israël, quoniã bonus, quoniam in *æternum* sæculum misericordia eius.

Dicat nunc *sacerdotalis* domus Aarõ, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicant nunc omnes qui timent Dominũ, quoniam in sæculum misericordia eius.

Etenim de tribulatione *& angustiæ* inuocaui Dominũ, & *respõdens votis meis* exaudiuit me, *& posuit* in latitudine *me locoq; spacioso* Dominus.

Dominus *adest* mihi adiutor: nõ timebo, quid *enim* faciat mihi homo.

Dominus, *inquam, mecum est* mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos, *qui me odio prosequuntur, optatãq; videbo in eis*.

Etenim bonum *magis* est confidere in Domino, quàm confidere in homine.

Bonum, *dico, magis* est sperare *ac confidere* in Domino, quàm sperare *vel* in principibus.

Quippe omnes *quotquot sunt* gentes, circuierunt me *aliquando*. & *vici* in nomine Domini, quia *perimens* vltus sum in eos.

Circundantes circundederũt me, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

Circun-

Circundederunt,*inquam*,me ſicut apes, & exarſerunt *ſubitò* : *ſed mox exſtincti ſunt* ſicut ignis in ſpinis, *qui facilè inflammatur, & mox concidit*; & *id* in nomine Domini, quia *virtute illius* vltus ſum in eos.

Impulſus *ab hoſte* euerſus *propè* ſum vt caderem:& *ecce* Dominus *adiuuit ac* ſuſcepit me.

Fortitudo mea & *materia cantici mei ac* laus mea Dominus, *qui extitit* & factus eſt mihi in ſalutem.

Quare vox exſultationis & ſalutis in tabernaculis *eſt* iuſtorũ,*vt ob meã ſalutẽ Deo gratias agãt.*

Etenim dextera Domini fecit virtutem, *oſtendens fortitudinem ſuam:* dextera Domini *excelſa* exaltauit me;dextera, *inquam*, Domini fecit virtutem,*& oſtendit robur ſuum.*

Itaq; nõ moriar,ſed viuã, & narrabo operaDñi.

Caſtigans *quidem* caſtigauit me *aliquando* Dominus,& *tamen* morti non tradidit me.

3. *Quare* aperite mihi portas *templi vbi exerceantur opera* iuſtitiæ: ingreſſus in eas, confitebor *vt debeo* Domino,*illiq; de acceptis beneficiis gratias agam*:hæc *enim eſt* porta Domini; iuſti *qui ſe gratos præſtare volunt*,intrabunt in eam.

Confitebor,*inquam*,*& gratias agam* tibi, quoniam *votis meis reſpondens* exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.

Quinimo lapidem (quem) reprobauerunt ædificantes,*dum me regem multi habere recuſant*, hic

factus

factus est in caput anguli, *quòd in regem sum constitutus.*

Cæterùm nō ab hominibus, sed à Domino factum est istud *qui omnia potest*: & est mirabile in oculis nostris, *dum tantarum rerum vim, quæ ab intelligentia nostra longè separata sunt, non percipimus.*

Hæc est, *dico*, dies quam fecit Dominus, *quare* exsultemus & lætemur in ea.

4. *Dicat cunctus populus, eia* ô Domine, *obsecro*, saluum me fac, *eia* ô Dñe bene prosperare: benedictus *sit rex noster*, qui venit in nomine Domini.

Et respondeant sacerdotes templi: benediximus vobis de domo Domini: *verus* Deus *est* Dominus *noster*, *qui* & illuxit *& apparuit* nobis, *omniáque bona attulit.*

Quare constituite diem solennem, *eumq́; celebrem facite* in condensis *frondibus arborum*: *& ligate agnum victimam vestram funibus in templo, ramis redimite* vsque ad cornu altaris.

O *Domine*, Deus meus es tu, & *cum gratiarum actione* confitebor *& accepta feram* tibi *omnia*: Deus, *inquam*, meus es tu, & *laudibus extollam &* exaltabo te.

(Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.)

Et vos quotquot estis vbique gentes, vnà mecum confitemini, *vt initio dixi*, Domino: *& palàm prædicate*, quoniam bonus *est*, quoniam in sæculum misericordia eius.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Portas iustitiæ] Portæ iustitiæ sunt leges Domini, per quas intrans homo, iustus efficitur. Et quia suprema Lex est, Christus ipse solus vera porta est iustitiæ.

In caput anguli] Christus verus lapis est, cui tamquam firmissimo fundamento omnia innituntur: Christus verum caput, à quo tamquam primo fonte omnia promanãt. Christus verum caput anguli, vbi duo parietes concurrũt; quoniam Ethnicos & Iudæos, homines & Angelos, peccatores & Deum inter se coniunxit ac conciliauit.

PSALMVS CXVIII.

Argumentum.

TRactans in hoc diuinissimo Psalmo vir sanctus de lege Dei, tùm quidem ipsam variis nominibus depingit, tum autem vim eius & effectum, tum verò quo pacto ad eam homo habere se debeat. Nomina legis quæ hîc ponuntur (nam nullus est versus in quo non aliquod inueniatur) sunt Simplicia quatuordecim, & Coniuncta totidem. Simplicia sunt: lex, veritas, verbum, eloquium, sermo; in quibus substantia legis consistit. Item, testimonium, mandatum, voluntas, ordinatio; in quibus virtus. Tum, iustitia, ad quam lex tendit; & iudicium per quod. Ad hæc, via, semita, iustificatio; quoniam in lege Dei ambulantes iusti simus. Coniuncta sunt, iudicium iustitiæ, eloquium iustitiæ, via iustificationum, via veritatis, via mandatorum, semita mandatorum, verbum veritatis, æquitas iudicij, mandatum veritatis, iustitia testimonij, lex veritatis, æquitas testimonij, principium verborum veritatis, mandatum æquitatis. Vis autem & effectus legis est, vt iustum & prudentem, & consequenter omni ex parte beatum & felicem hominẽ efficiat, & ab omnibus malis eum liberet; vt statim in ipso initio, tum autem per totum Psalmum videre licet. Ratio verò qua homo circa legem habere se debeat, est, vt tum quidem Deum, tamquam principem omnis iustitiæ causam, super eius participatione, obstaculis & aduersariis semotis, semper oret; tum autem seipsum tamquam concausam circa illam rememorandam, intelligendam, seruandam, & appetendam, & contraria repellenda omnibus cogitatis, dictis, factis semper exerceat; quorum plenus vbique est hic Psalmus. Atque est quidem ordine literarum per octonarios descriptus, quoniã legis hieroglyphicum sunt literæ,

nam

nam legis substantia in verbo, quod ex literis constat, consistit: vnde & reliqui psalmi ordine literarũ descripti, qui sunt vigesimus quartus, trigesimus tertius, trigesimus quintus, centesimus decimus, centesimus vndecimus, & centesimus quadragesimus quartus, de lege ferè tractant. Ac quantum ad octonarium numerum attinet, is iustitiæ est numerus, vt & suprà diximus, quoniam iustitia non aliud est quàm concentus Diapason, qui per octo vocatur, vnde & beatitudines octo sunt numero, quibus octo Væ iniustitiæ opponuntur. Si autem quæ hîc de lege dicuntur, ad Christum transferas, qui vera demum & perfecta lex est, hoc est, verbum Patris, optimam eius interpretandi rationem institueris.

Aleph. 1. *Vita hominis beati.*

BEati *sunt & verè felices, qui à malo recedentes, puri &* immaculati *irreprehensibiléſque degũt, nulloq́ scelere* in *hac* via *vitæ se inquinarunt: sed contra,* qui *bonum prosequẽtes,* ambulant in lege *ac doctrina* Domini, *& secundùm eam viuunt, quibus duobus plena perfectaq́ hominis iustitia continetur.*

Beati, *inquam,* qui *omni vi rationis & intelligentiæ,* scrutantur *& custodiunt in animo* testimonia *& præcepta* eius, *quibus suam apud nos voluntatem testatur, ad intelligendum ea, & vbi intellexerint* in toto corde, *plena voluntate & amore* exquirunt eum, *sic vt intelligentia & voluntas in vnum conueniant, nec quidquam quod ad totius legis Dei obseruationem pertineat, omittant.*

Non enim (qui) *partẽ aliquam legis duntaxat seruantes, in reliquis* operantur iniquitatem, *reuera eiusmodi dicendi sunt, quòd ita vt oportet* in viis eius ambulauerunt:

Nam tu, *ô Domine,* mandasti mandata tua custo-

custodiri, *non vulgari modo, sic vt quædam subinde omitti possint; sed* nimis *plenè & exactè, sic vt ne latum quidē vnguem ab iis recedatur, aut vlla in parte vel minima claudicetur.*

Quod quidem cùm ita se habeat, vtinam *hoc felicitatis mihi contingat, vt* dirigantur *per te, qui verus Deus & auctor es omnis iustitiæ humanæ,* vitæ meæ, *& firmentur gressus mei* ad custodiendas *omnes* iustificationes *& præceptiones* tuas, *in quibus seruandis tota iustitia & beatitudo nostra sita est.*

Tunc *enim* non confundar *vnquam pudore, nec ab optato fine salutis aberrabo,* cùm *te iuuante* perspexero *& attētus ero* in omnibus mandatis tuis, *sic vt ea cuncta, siue parua, siue magna, nullis omissis, ob oculos semper habeam.*

Sed contrà confitebor *& laudem dicam* tibi, *& cum gratiarum actione* in directione cordis *puri & recti, acceptā tibi feram salutem meam,* in eo quòd didici *abs te* iudicia iustitiæ tuæ, *quæ ab ea effluūt & rursum ad eam deducunt.*

Et præter hoc, sic me comparabo, vt iustificationes tuas, *& statuta quàm diligentissimè* custodiam, *& secundùm ea omnes vitæ meæ actiones dirigam: tu modò, ô Domine,* nō me derelinquas vsquequaque, *certè quoad eius in hac vita fieri potest.*

EXPLANATIO.

Beati] Ideo sic orditur vir sanctus, quia, vti suprà demonstrauimus, perpetua felicitas ac beatitudo, vltimus

 finis,

finis, & consequenter prima intentio est omnis actionis ac iustitię humanæ: vnde & primi psalmi, & aliquot aliorum idem est initium.

Via] Vita humana, via vocatur, quia non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. vocatur & lex diuina, eodem nomine, quoniam per eam ad Deum ac iustitiam, vt antè tactum est, tendimus, vnde & Dominus ipse viam & ostium se vocat: & in psalmis præcepta Dei, portæ iustitiæ appellantur, vt modò diximus.

Qui ambulant] Suprà probatum est, duas partes iustitiæ esse, recedere à malo, & facere bonum. quod & alibi docet Dauid, cùm ait: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam. Porrò vti iusti splendere dicuntur sicut Sol in regno patris sui; ita iniusti, impuri, & scelerum fœditate inquinati dicuntur.

Scrutantur] Iustitiam hominis, intelligentia pariter, & bona voluntate constare docet Propheta, cùm ait: Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Attendit eodem quod de prudentia iustorum in Euangelio dicitur.

Nimis] Nam cùm iuxta vetus dictum, plena perfectáque iustitia omnem omnino virtutem in se contineat; sequitur qui in vno peccat, omnium esse reum, nec reuera iustum esse dicendum.

Non confundar] Quemadmodum inter effectus iustitiæ suprà enumeratos, vnus est gloria & honor, veluti cùm dicit: Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi: ita è contrà præmium iniustitiæ est pudor & ignominia, quod ostendit Dauid, cùm ait: Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam.

Confitebor] Superiùs quoque ostensum est, prædicationem laudum Dei, & gratiarum actionem vnam esse ex pulcherrimis iustitiæ effectibus: nam vox confessionis, inquit Dauid, in tabernaculis iustorum.

Beth.

Beth. 2. *Adolescens.*

IN quo, *quæso*, corrigit *& emendat, ac purgat* adolescentior *qui adhuc puer ac iuuenis est, & cùm vitiis conflictatur*; viam suam *& semitam vitæ suæ? certè nō alia re Domine, quàm* in custodiendo *& seruando diligenter* sermones tuos, *& verbum oris tui.*

Quod quidem ego cum animo meo reputans, & reipsa explere cupiens, in toto corde meo exquisiui te: *tu autem* ne repellas me, *amabo, nec aberrare sinas* à mandatis tuis, *quò minùs ea, vti oportet, intelligam.*

Nam quantum ad obseruationem attinet, in *ipso penitus* corde meo abscondi, *& tamquam preciosissimum thesaurum reposui* eloquia tua, vt non peccem tibi, *vel aliter faciam quàm oportet.*

Benedictus es *tu*, ô Domine, *& apud omnes gentes omnibus laudibus prædicaris ob benignitatem tuam, quam cunctis exhibes: quare & eundem te mihi ostendens*, doce me iustificationes tuas *& statuta tua.*

Etenim vt ad ea quoquo modo me præparem, in labiis meis pronunciaui *& recensui, recitando ac legendo diligenter*, omnia iudicia *& stricta mandata* oris tui, *quæ à lege tua procedunt; qui est primus gradus ad discendum.*

Et quantū ad actiones attinet, in via testimoniorum tuorū *quibus voluntatem tuam testatam facis,*

delectatus *ac lætatus* sum, sicut in omnibus diuitiis, *quas in iis scio esse repositas: qui est alter gradus ad bene agendum.*

Quàre si tu porrò hoc summi beneficij addere velis, vt me verè & exactè doceas iustificationes tuas; nam à nullo quàm abs te vno id potest exspectari; ego meditans semper aliquid, & nitens comprehendere doctrinam tuam totis viribus, in *cunctis* mandatis *ac preceptis* tuis *loquens* exercebor, & *contemplans* considerabo *& expendam diligenter omnes* vias tuas, *quæ sunt misericordia & veritas.*

Sed & in iustificationibus *ac statutis* tuis, *quibus obseruandis, boni & iusti efficimur, oblectabo me: &* meditabor *semper; &* non obliuiscar *vel in minimo verba &* sermones tuos.

Explanatio.

Ne repellas] Quemadmodum Dominus irasci, furere, obliuisci, odisse, ita & repellere dicitur. quod quidam ita accipiunt, quasi ad imitationem rerum humanarum Deo hæc tribuãtur. Cæterùm haud paulo sublimiùs dici potest, reuera in Deo hæc inesse, & ab illo ad homines pertinere, vt suprà tradidimus. Nam cùm in diuinis hæc affirmatiua insint, scientia veri, amor boni, & memoria eius quod est: vtique & hæc negatiua in illis insunt, non scientia non veri, non amor non boni, & non memoria eius quod non est. Nã licet quidẽ tria illa semper sunt coniũcta, vtiq; tamen secundùm substantiam inter se sunt diuersa: nam neque scientia veri, est ipse amor boni; neque amor boni, ipsa memoria eius quod est: neque memoria eius quod est, ipsa scientia veri, & contrà. Vnde sequitur, & non scientiam, non amorem, non memoriam in diuinis reperiri. Quæ qui-

quidem cùm latiùs producis, fit, vt & ignoratio, & odium, & obliuio ibidem inueniantur. Quamquam hæc non humano more pro nostra imbecillitate accipienda sunt, sed penitus diuino, pro summa illa & inscrutabili Dei maiestate, qua tenebræ eius sunt vt lumen eius, & nox sicut dies illuminatur. Et proinde vti de Deo, ita & de viro bono, qui imago Dei est, in bonam partem dicitur, eum odisse viam iniquitatis, repellere malos ab se, cum similibus.

Doce] Hîc obserua quòd suprà dictum est, hominem tum quidem intelligentia ad legem Dei se applicare, cùm discit: tum autem voluntate, cùm in ea delectatur, vt paulo pòst dicitur: tum autem memoria, cùm eam non obliuiscitur: & sic deinceps de aliis potentiis, passionibus, & habitibus hominis.

Gimel. 3. *Seruus.*

RETribue *ac præsta Domine hæc duo* seruo tuo, *primùm* viuifica me, *sic vt viuam*; & *deinde fac vt* custodiam *verba & sermones tuos, sic vt bene viuam.*

Ad quod efficiendũ, aperi & reuela oculos meos, *ac discute lumine tuo caliginem eorum, qua cooperti sunt.* & considerabò mirabilia de lege tua, *in qua non quidem ad inferiora descendẽdo, sed ad superiora adscendendo, summa & intima mysteria totius sapientiæ tuæ sunt conclusa.*

Et verò quia non ciuis, sed peregrinus dumtaxat & aduena seu incola ego sum in terra; nõ *propterea tamen* abscondas *& veles* à me mandata *ac præcepta* tua; *sed contrà tantomagis ea me edoce, vt videam, qua via ad veram patriam ex hac peregrinatione mihi sit tendendum.*

Etenim concupiuit, *& debilitatis præ studio & amore viribus, quasi deficit* anima mea, *dum numquam cessat* desiderare *iudicia &* iustificationes tuas, *vt secundùm eas* in omni tempore *& sine vlla intermissione viuat.*

Verum quidem est quòd reiicere soles à cognitione mysteriorum tuorum, *&* increpasti *sæpe acriter homines* superbos, *& sua sapientia elatos; etenim* maledicti, *& quauis exsecratione digni sunt*, qui *suis inuentionibus nitentes* declinant *& aberrant* à mandatis *ac præceptis* tuis:

Sed quantum ad me attinet, scis vtique non solùm de numero eorum me non esse, sed quotidie ab illis eludi, & contumeliis affici, propter te; itaque dando mihi quod postulo, vt viuam scilicet, & custodiam mandata tua, aufer *& reuolue* à me, *quæso*, opprobrium & contemptum *quo me afficiunt ob id*, quia *non meam sapientiam, sed* testimonia tua *omni studio* exquisiui *& custodiui quoad potui.*

Etenim, *si cum illis comparandus ego sum*, sederūt principes *eorū in circulis & cōgregationibus suis*, & aduersum me loquebantur, *ridētes & maledicentes mihi*: seruus autem tuus, *qui sum ego, interim meditabatur*, *&* exercebatur in iustificationibus *& statutis* tuis.

Nam & testimonia tua meditatio *& solatium, oblectatioq́;* mea est *in otio:* & *in negotio* consilium meum, *& quasi senatores, & veri consiliarij mei sunt leges &* iustificationes tuæ, *à quibus solis disco quid mihi sit agendum.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Retribue] Expressum hîc exstat quod suprà diximus, prҫmium iustitiæ esse vitam beatam & æternam, & contrà maledictos iniustos. Vnde toties inter se opponuntur iusti & iniusti, veluti cùm dicit: quia nouit Dominus viam iustorum, iter autem impiorum peribit.

Reuela oculos meos] Auferendo caliginem quæ ob peccatum illis obducta est, quo minùs interiora mysteria legis Dei videre possint. Sic & Dominus ipse intelligentiam sacrarum scripturarum discipulis suis aperuisse scribitur.

Maledicti] Contrà, de viro bono dicit: & semen illius in benedictione erit.

Daleth. 4. *Ægrotus.*

ADhæsit pauimento *ac pulueri* anima mea, *dum morbo animi, & corporis afflictus vix humi repo: igitur* viuifica me *Domine, & restitue pristinæ valetudini,* secundùm verbum *ac promissum* tuum.

Etenim vias meas enunciaui, *& liberè tibi exposui, & confessus sum omnia delicta mea, ob quæ in morbum incidi:* & *tu misertus mei, semper respondisti votis meis,* & exaudisti me: *quare vt promisso huic satisfacias, & nunc* doce me *statuta &* iustificationes tuas, *quibus custodiendis, animi & corporis morbi pelluntur.*

Viam, *inquam, præceptorum &* iustificationum tuarum instrue me, *sic vt non solùm mandata ipsa per se extrinsecus, sed & interiorem scopum ac finem*

eorum intelligam: & *vbi hoc consecutus fuero*, exercebor *loquendo ac meditando* in mirabilibus tuis, *quæ à sensu & intelligentia separata, in præceptis illis continentur.*

Nam dum ob harum rerum ignorantiam aliter viuo quàm oportet, dormitauit *propè, & tanquam distillans liquefacta est* anima mea præ tedio *ac dolore, postquam ob delicta mea in graues hos morbos incidi:quare* confirma *ac reuoca* me *à malis istis ægritudinum* in verbis *ac promissis* tuis.

Atque hoc faciens, viam iniquitatis *ac mendacij* amoue à me, *abducendo à malo:*& *adducendo ad bonum*, de lege tua miserere mei, *vt secundùm solitam bonitatem ac misericordiam tuam, illam me doceas, eiusq; participem me facias.*

Scis enim quòd, quantum in me fuit, viam veritatis *semper* elegi, *&* iudicia tua, *quæ ex veritate tua procedunt*, non sum oblitus, *ponens ea semper ob oculos meos, & ad ea intelligentiam meam coæquans & accommodans.*

Quin non solùm elegi illa & posui ante me, sed & adhæsi *toto animo* testimoniis tuis: *quare, quæso,* Domine, noli me confundere, *sic vt spe mea frustratus pudore afficiar.*

Etenim vti semper viam mandatorum tuorum *non solùm ambulaui, sed & cum summa alacritate* cucurri, cùm *ab angustiis aliquando* dilatasti, *& lætitia affecisti* cor meum: *ita & nunc sum facturus, si ab anxietatibus istis, ac doloribus in quibus nunc versor,*

verſor, me liberare ac recreare digneris.

EXPLANATIO.

Viam iniquitatis] Obſerua hîc pulchram Antitheſim ſiue Oppoſitionem viæ iniquitatis, quæ eſt lex peccati & mortis;& legis Dei,quæ eſt iuſtitiæ & vitæ. Item viæ iniquitatis,& viæ veritatis.

He. 5. *Diffidens ſuis viribus.*

LEgem pone mihi Domine, *ac doce me* viam *ſtatutorum,ac* iuſtificationũ tuarum, *vt ipſam intelligam:* & *dabo operam vt* exquiram *ac ſeruem* eam ſemper, *& in memoria habeam, veſtigiiſque ipſius inſiſtam per omnem vitæ meæ curſum, à capite vſque ad calcem.*

Quin præter doctrinam da mihi *etiam* intellectum:& *ſic* ſcrutabor *omni ſtudio* legem *ac doctrinam* tuam, *ad intelligẽdum*: & cuſtodiam illam in toto corde meo, *ad rememorandum.*

Iterum dico : Deduc me in ſemita, *& in rectam intelligentiam* mandatorum tuorum, quia *vtique ſcis quòd* ipſam *ſemper* volui *& amaui.*

Quin præter illuſtrationem rationis, & intelligentiæ circa iuſtificationes & vias tuas, inclina *etiam* cor meum *& voluntatem meam* in teſtimonia tua, *ſic vt te vnum colam, qui ſolus verus es Deus*: & non *me ſinas labi* in auaritiam *ac proprij commodi pecuniarij, honoris, ac ſapientiæ cupiditatem, quæ radix eſt, & lerna omnium malorum, dum ſeipſum & mamonam pro Deo quis colens, omnium*

maximè detestandam idololatriam committit.

Atque hoc quidem cùm circa appetitiones & cogitationes interiores facies;circa actiones exteriores, auerte *ac celeriter fac transire* oculos meos ne videant *nec appetant* vanitatem *opum & honorum, quæ ad nihilum & mortem tendens, à te,qui reuera existis, longissimè abest: sed contrà* in via tua, *quæ ad te fontem vitæ ducit,* viuifica me.

Et vt præter cogitata & facta, sermo quoq; meus ita sit vt oportet, statue *ac secundùm promissa tua suscita ac confirma in* seruo tuo eloquium tuum,*vt in ore id semper habeat,non quidem leuiter & in vanum, sed cum summa reuerentia, &* in *sancto ac filiali* timore tuo.

*Atque ita quidem tam mentis meæ intelligentiam ac voluntatem,quàm facta & dicta externa dirigens,*amputa *& auerte à me pudorem &* opprobriũ meum quod suspicatus sum, *ac timui, si fortè secundùm rigorem iustitiæ tuæ orationem meam reiiceres:* quia iudicia tua *non stricta sunt, sed* iucunda,*& omni clementia, bonitateq; condita.*

Ecce *enim tu scis, quòd semper omni desiderio* concupiui mandata tua*: quare* in *benigna illa iustitia &* æquitate tua *non me perire sinas, sed* viuifica me.

Explanatio.

Quoniam ipsam volui] Voluntatis nomen generale est, quo quidem modo iustitia dicitur constans & perpetua voluntas. Accipitur etiam specialiter pro eo quod non

metu pœnæ, nec spe præmij, sed sponte nostra volumus: quo significatu habet in se tres gradus, dilectionem iusti, amorem pulchri, & charitatem siue eudociam boni.

Auaritiam] Quemadmodum iustitia, quæ est cùm in Dei voluntate, voluntatem suam quis collocat, omnes virtutes comprehendit, quam lex Dei monstrat: ita auaritia, quæ est cùm ad se cuncta quis refert, omnia vitia complectitur; quam lex peccati ostendit: idque siue animum spectes, cùm sicut Deus quis esse cupit, sciens bonum & malum; siue corpus, cùm ventrem pro Deo habet; siue res externas; cùm diuitias, hoc est, mamonam, pro Deo quis colit. Vnde auaritia idolorum cultus à Paulo dicitur.

Vanitatem] Vanitas est quidquid à Deo abducit: qua significatione, omnia vanitas apud Salomonem dicuntur, si quis non quæ Dei, sed quæ sua sunt, in iis quærat.

In timore tuo] Timor, alius seruilis, est malus, de quo dicitur: Oderunt peccare mali formidine pœnæ. alius filialis bonus, de quo Dauid: Initium sapientiæ timor Domini. Et in Euangelio timorati & iusti homines dicuntur. Dico autem initium, quoniam non ibi subsistendum, sed magis secundùm gradus iustitiæ supradictos ascendendum esse docet Propheta, cùm ait: Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.

Concupiui] Sic esurire & sitire iustitiam in Euangelio dicimur: nam substantia iustitiæ in appetitione boni consistit.

Vau. 6. *Contra calumniatores.*

ET *vt inceptum de benignitate tua sermonem continuem*, veniat, *quæso*, super me, *& quasi manu me ducat*, misericordia tua Domine, *& consequẽter* salutare tuum, secundùm eloquiũ tuum, *quo salutem verè te inuocantibus promisisti.*

Et *sic habebo quod* respondebo exprobrantibus

&

& obiicientibus mihi *quotidie consuetum sermonem & verbum meum,quo dicere soleo, certam mihi fore salutem*:quia speraui, *& penitus confido* in *verbis &* sermonibus tuis, *& quòd sine dubio opem mihi sis laturus.*

Et *secundùm hoc* ne auferas,*rogo, nec permittas vt recedat* de ore meo,*quod equidem fieret si perirem,*verbum *illud quod dico;sed contrà,ostēde esse, vt reuera est,verbum* veritatis vsquequaque: *quod vtique eo magis facere debes*, quia *exspectans cum patientia,& sine vlla querela*, in iudiciis tuis *planè* supersperaui,*certò confidens te quasi per sententiam quam secundùm me feres,diremptur um litem, quã cum exprobrantibus illis mihi est super veritate verbi illius mei.*

Et *hoc cùm tu facies, ego* custodiam legem *ac doctrinam* tuam,*quam tam ratam ac fixam reperero, iugiter ac* semper, in sæculum, *quamdiu ero in hac vita*,&,*quod est vltrà*, in sæculum sæculi, *vbi ad aliam vitam migrauero.*

Nam vt paucis referã quopacto cum exprobrantibus illis,& inimicis meis sum versatus,ego contemptis illis semper liberè professus sum verbum illud quod dixi,& ambulabam, *non anxius & solicitus, sed* in latitudine, *& quasi per loca spatiosa animo soluto & vacuo*,quia *nihil curans eorum maledicta, sola* mandata tua *semper* exquisiui.

Et loquebar de testimoniis *ac legibus* tuis, *quibus sanctam voluntatem tuam testificatus es. non solùm*

ſolùm apud communem plebem,ſed & in conſpectu *ipſorum* Regum, & *tamen* non confundebar *pudore,nec quiſquam erat qui me poſſet confutare.*

Et meditabar *ac mirum in modum delectabar* in mandatis tuis,quæ *tantopere ſemper* dilexi.

Et *ad opus ipſum accedens*, leuaui manus meas ad *reipſâ præſtandum* mandata tua ,quæ *tantopere, vt dico*,dilexi. & *mente ea reuoluens,oreq́ profitens*, exercebar *ſemper & meditabar ac loquebar* in iuſtificationibus *ac ſtatutis* tuis.

Explanatio.

Miſericordia] Demonſtratum eſt ſuperiùs,iuſtitiā aliam directam eſſe,ſecundùm dictamen rationis;aliam laxam ac moderatam,ſecundùm viam bonitatis. Vtriuſque hîc & paſſim in Pſalmis fit mentio,ſub veritatis & miſericordiæ nomine: Sic vt quidquid boni nobis contingit, tum quidem ſecundùm Dei bonitatem ac miſericordiam fiat, quo ad nos,quorum numquam miſereri deſinit;tum autem ſecundùm veritatem,quoad ſe, quatenus promiſſum ſuum numquam deſerit.

Salutare] Mercedem iuſtitiæ,perpetuam à malis ſalutem eſſe, ſuprà oſtenſum eſt. Vnde Dauid: Vox exſultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum.

Superſperaui] Iuſtitiæ tres gradus eſſe, metum, ſpem, & voluntatem,antè traditum eſt.

Zain. 7. *Admonet Dominum promiſſi.*

MEmor eſto *Domine* verbi tui, *quod locutus es* ſeruo tuo, in quo *ſalutis* mihi ſpem *& exſpectationem* dediſti.

Hæc

Hæc *enim res sola* me cōsolata *semper* est in humilitate *& afflictione* mea: quia *cùm propè extinctus essem*, eloquium *illud* tuum, *& promissio tua*, viuificauit me.

Superbi *illi & contumaces homines, ac rerum diuinarum contemptores*, iniquè *quidem aduersus me semper* agebant, *& me deridebant* vsquequaque *ob spem quam in te habebam, & cultum quo te colebam: sed ego rebus iis nihil omninò commotus*, à lege autem tua non declinaui, *& ne latum quidem vnguem recessi.*

Etenim reputans cùm animo meo res olim gestas, memor fui iudiciorum tuorum, *quibus iam inde à primo* sæculo *bonos ac pios* Domine *ab hostibus suis semper vindicasti*: & in *hoc* consolatus sum, *nihil dubitans quin de me idem sit futurum.*

Et contrà, defectio tenuit me *& cohorrui totus*, pro peccatoribus *& impiis* derelinquentibus legem *ac doctrinam* tuam, *recolens apud animum meum, quanam ab omni memoria præmia scelerum suorum abs te reportarint.*

Quare in te solo totū me oblectans, tanquā suauissimi hymni cātabiles mihi *semper* erāt iustificationes tuę, *quibus calamitates meas solabar*, in *domo ac* loco peregrinationis meæ, *in tota hac vita, nec non cùm ad hostium impetus euitādos à patria abessem.*

Et non contentus interdiu te colere, memor fui *etiam de* nocte nominis tui Domine, & custodiui *ac reuolui cum animo meo* legem tuam.

Atque

Atque hæc *quidem tanta felicitas, quòd in te solo me oblecto, & in omnibus rebus aduersis spem salutis mihi prabes*, facta est mihi, quia *pracepta &* iustificationes tuas *semper* exquisiui *& seruaui.*

Explanatio.

Pro peccatoribus] Iniusti varia in hoc psalmo sunt nomina, tam generalia quàm specialia, vt peccator, iniustus, malignus, præuaricator, calumniator, superbus, inimicus, persecutor, tribulator, princeps. Et ipsa iniustitia, iniquitas, vanitas, auaritia, iniustitia dicitur: quorum omnium rationem reddere non est difficile.

Cantabiles] Gaudium, vnum ex effectibus iustitiæ esse suprà traditum est, quod per cantum hîc Propheta significat. Cui accedit quòd in cantici formam rem redigere, ad rectam doctrinam & memoriam mirificè conducit. Vnde summam totius legis Moyses in hymnum includebat.

Heth. 8. *Portio eius Dominus.*

POrtio mea, *& fors hæreditatis meæ tu solus es* Domine: *quare*, dixi, *ac prorsus statui* custodire *verbum ac* legem tuam.

Ad quod consequendum, deprecatus sum *ante* faciem tuam in toto corde meo: *tu igitur* miserere mei secundùm eloquium tuum, *quo promisisti te opem omnibus inuocantibus te, laturum.*

Nam si quæras, quamnam diligentiam ego à parte mea adhibuerim: equidem cogitaui *& recensui apud animum meum*, vias meas *& omnes vitæ præteritæ actiones, quas malas ac peruersas reperiens puduit continuò me mei*, & conuerti pedes meos

in

in testimonia tua, *vt non secundùm antiquas vias meas, sed secūdùm eorum præscriptionē ambularem.*

Ad quod executioni mandādum paratus, *& instructus omnibus rebus, cum summa festinatione iter ingressus* sum: & non sum *vllis rebus* turbatus, *quæ moram mihi iniicerent, aut suspensum me cogitando tenerent, negligentiamue inducerent, non adspiciens ad aliud, quàm* vt custodiam mandata tua.

Quin & funes *impiorum ac* peccatorum, *qui quotidie inter se congregabātur ad me deprædādum,* circumplexi sunt me, *vt me tanquam laqueis suis irretitum detinerent:* & *tamen* legem *ac doctrinam* tuam non sum oblitus.

Sed contrà, vel media nocte surgebam ad confitendum, *& gratias agendū* tibi super iudicia iustificationis tuæ, *quòd ab impiis illis me vindicasses.*

Etenim maximo tuo beneficio, particeps ego sum *& cohæres, vt antè dixi, & socius* omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

In qua re vt magis etiam ac magis progredi possim, ecce quoniam misericordia *ac bonitate* tua Domine plena est terra *secūdùm eandem; alia porrò statuta &* iustificationes tuas doce me.

EXPLANATIO.

Portio mea] Duplex est hæreditas, vna iniustitiæ, cùm sua propria virtute, ac inuentione, opibusque extra Deum quis nititur: altera iustitiæ, cùm reliqua omnia quis deserens, solum Deum partem hæreditatis nanciscitur, ponens voluntatem suam in voluntate Dei. Atque hoc quidē qui facit,

facit, magnum illud sacrificium offerre dicitur, quod iustitiæ in psalmis vocatur, cùm nimirùm non oues, aut boues, sed se ipsum, & quidem optimam sui partem, voluntatem, Deo quis offert, vt iam antè admonuimus.

Teth. 9. *Gratiarum actio cum precatione.*

BOnitatem fecisti, *& exercuisti* cum seruo tuo Domine, *quod* secundùm verbum *ac promissum* tuum *omnibus beneficiis me es complexus.*

Cuius rei nomine vt dignas tibi gratias agere possim, quaeso, & bonitatem, *vt libenter & cum bono gustu velim*; & disciplinam, *vt possim*; & scientiam, *vt norim*, doce me: *inuenies certè me docilem*, quia, *quod primum in discendo est*, mandatis *ac praeceptis* tuis *semper* credidi *& fidem habui.*

Certè priusquam *rebus aduersis edoctus* humiliarer, *& dimitterem me ad te audiendum, & credendum doctrinæ tuæ, putans me aliquid per me sapere*; ego *saepe erraui ac* deliqui: *sed postea malo edoctus aliud sum expertus*; *&* propterea *ab eo tempore vsque nunc* eloquium tuum *semper* custodiui.

In cuius quidem intelligentia erudiri cupiens non ausim ea de re te compellare, si te difficilem aut morosum putarem: verùm è contra bonus es tu *& beneficus: quare pro benignitate* & in *illa* bonitate tua, doce me *statuta &* iustificationes tuas.

A quibus quidem vt me auerterent per falsas ac vanas doctrinas suas, proponebant mihi figmenta & mendacia sua impij, & multiplicata est *planè* super me iniquitas *hominum* superborum *ac contempto-*

rum Dei, dum me suis futilibus mendacibúsque doctrinis onerare ac applicare student : caterùm ego autem *omnino aliter constitui, nimirum quòd* in toto corde meo scrutabor *& custodiam sola* mandata tua.

Nam coagulatum *& incrassatum* est sicut lac *& adeps* cor eorum, *dum à luce ad tenebras se conuertentes nihil nisi infima ista & crassa sapiunt, & ad altiora planè stupidi fiunt*: ego verò *è contrà* legem tuam, *qua in summa claritate versatur*, meditatus sum, *& in ea sola me oblecto.*

Quod quidem considerans quantam felicitatem mihi adferat, nunc demum video, quàm bonum mihi *fuerit* quia humiliasti, *& rebus aduersis afflixisti* me: *nempe* vt *ea re commotus* discam *statuta &* iustificationes tuas.

Quas diligenter intuens, prorsus intelligo, & confiteor palàm, quòd tale & tantum bonum mihi *est* lex oris tui, *vt nihil cum eo comparari possit, & sit* super *omnia* millia auri & argenti; *quia melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.*

EXPLANATIO.

Coagulatum] Quemadmodum animus ad superiora se erigens, non se solùm, sed & corpus mundat, & diuinum quodammodo reddit: ita è contrà ad inferiora & corporalia se demittens, & ipse corporalis ac crassus efficitur. Atque hinc quidem fit, vt alia sit sapientia carnalis huius mundi, alia animalis principū huius mundi, & alia spiritualis Dei. Nec rarò fit, vt aliò superior, aliò inferior sapientia ducat, & diuersis modis de rebus propositis iudicet.

Iod.

Iod. 10. *Factus à Deo, petit eius gratiam.*

MAnus tuæ *Domine* fecerunt & *summo artificio* plasmauerunt, *& firmauerunt* me, *quantum ad corpus attinet*: da, *quaso, porrò* mihi intellectum, vt discam mandata tua, *quantum ad animum.*

Id enim si facias, veri Dei cultores, qui timent, *& oculos habent intentos in* te, videbunt me *tantis beneficiis & rebus à te auctum & ornatum*, & lætabuntur, *quoniam scient id non alia re mihi cōtigisse, quàm* quia in verba *& promissa* tua supersperaui, *exspectans abs te salutem cum omni patientia.*

Equidem cognoui *& scio* Domine, quia *nihil nisi ipsa iustitia &* æquitas *sunt* iudicia tua, & *quòd secundùm hoc* in veritate tua *iusteq́ ac meritò* humiliasti *& afflixisti* me.

Sed postquam iam tantum secundùm iustitiam passus sum, & quidem propè ad desperationem; veniat, quaso, tandem gratia, & fiat *ac adsit mihi* misericordia tua vt consoletur me, secundùm eloquium *& promissum* tuum, *quod fecisti* seruo tuo *de venia danda pœnitentibus.*

Veniant, *inquam*, mihi miserationes tuæ, *ex fonte illo misericordia profluentes & in me deducta*, & viuam: quia lex *ac doctrina* tua, *in qua sola vita inest*, meditatio *& consolatio, delectatioq́* mea est.

Et sic confundantur, *& pudore afficiantur* superbi *illi, & contumaces rerum diuinarum con-*

temptores & hostes: quia *tametsi, quantum ad te attinet, iusta, vt dixi, passus sum; quantum tamen ad illos, ipsi* iniustè *& sine causa* iniquitatem fecerunt in me, *& per mendacium me opprimere studuerunt: quibus iustas pœnas tibi pendentibus*, ego autem *interim tam dicto quàm cogitato* exercebor in mandatis tuis.

Atque hoc modo malis ac superbis è medio sublatis, contrà conuertantur mihi, *& redeant ad me omnes boni ac humiles* timentes te, & qui nouerũt *& facto ipso cognoscunt* testimonia tua.

Denique, quod summa est omnium, fiat *per te* cor meum *perfectum & penitus* immaculatum in *obseruandis statutis ac* iustificationibus tuis: *nam sic eueniet* vt *pudore* non confundar, *neque apud te, neque apud homines, siue bonos, siue malos.*

Explanatio.

Iniustè iniquitatem fecerunt] Vti iustitiam duobus modis exercemus; iustè, vnde dicitur, Iudicia Dei iustè iudicare; & iniustè, vt si quis precio inductus iustam sententiam ferat, vnde non nomina, sed aduerbia hominem saluum facere vulgò dicitur: ita iniustum partim iniustè fit, si quis, sciens iniquam sententiam ferat; partim non iniustè, si per ignorantiam inculpatam, vt nonnumquam fieri potest.

Immaculatum] Hoc nomine sacræ scripturæ sæpe hominem plenè, perfectèque iustum solent describere; vt & ille, cùm ait: Integer vitæ, scelerisque purus.

Caph.

Caph. 11. *In extremis malis constitutus.*

IAm defecit *& penitus labascit* in *exspectando ac desiderando* salutare tuum, animà mea, ô *Domine, dum in te*, & in *promissum, ac* verbum tuum *semper cum summa exspectatione* supersperaui.

Sed & defecerunt oculi mei, in *te, &* eloquium *ac promissum* tuum *semper cum omni desiderio intenti*, dicentes: quando *tandem* consolaberis me?

Quia si ab vna parte quæras, quonam vsque sum redactus; ecce factus *iam* sum, *& præ summis miseriis ita in rugas contracta est cutis mea*, sicut vter in pruina, *qui primùm madefactus, pòst ad ignem apponitur, aut in fumo suspenditur: si verò ab altera parte interroges, quo pacto in his calamitatibus me habeam; inuenies quòd tamen statuta &* iustificationes tuas non sum *vllo modo* oblitus.

Et quòd adhuc ampliùs fortasse me probare, & auxiliū tuū differre statuis; quot sunt, *quæso Domine*, dies serui tui, *cuius vita tam est breuis?* & quando facies de persequentibus me iudicium, *sumēs meritam ab iis vltionem: an cùm mortuus iam & extinctus ero?*

Ne id fiat, considera, obsecro, Domine, in quibus malis verser, & quàm constanter tamen tibi adhæream: etenim foderunt mihi latentes foueas, & sub prætextu veræ religionis narrauerunt mihi iniqui *illi, & superbi impij* fabulationes, *ac nugas suas artificiosè excogitatas*: sed *ego firmiter in tua doctrina*

perstans nihil illis fui commotus, sciens non *esse ea,* vt lex tua, *nec secundùm præcepta illius.*

Etenim omnia mandata tua *nō solùm vera sunt, sed, quod magis est, ipsa* veritas: *ea autem quæ* iniqui *illi qui iniquè* persecuti sunt me, *proferunt, falsa sunt & vana: quare ad illa superanda ac vincenda* adiuua me.

Certè paulo minùs *quàm expletum fuit, quòd* consummauerunt *& prostratum perdiderunt* me in terra: *& tamen* ego autem non dereliqui mandata tua.

Eius igitur rationem habens, secundùm misericordiam *ac bonitatem* tuam viuifica me, *ne ab illis pessunder:* & *dabo operā, te hoc mihi dante,* vt *quemadmodū semper feci,* custodiam testimonia oris tui.

EXPLANATIO.

Fabulationes] Insignis hæc inter legem iustitiæ, quæ Dei est, & iniustitiæ quæ Diaboli, est differentia, quòd illa vera solidaque & expressa est; hæc autem falsa & futilis vt fabula, licet prima specie formam quandam, ac imaginem veritatis præ se ferre videatur. Et quidem hoc vel maximè propriū est iniustitiæ, quòd cùm iustitiæ sit contraria, non modò priuatiuè, quatenus est priuatio bonę voluntatis; verùm etiam positiuè, quatenus est appetitio peruersa; tamen eius figuram quandam externam assumat, sub qua lateat, vt angelus tenebrarum, qui se transfigurat in angelum lucis; & hypocrita, qui foris veniens in vestibus ouium, intus est lupus rapax.

Lamed.

Lamed. 12. *Lex Dei perpetua & immensa.*

IN æternum, ô Domine, *siue maiorem mundum, siue minorem, hoc est, hominem respiciamus, lex* & verbum tuum, *quod vitam ac motum illis præbet, subsistit ac* permanet, *idq́ue vno & eodem semper modo* in cælo, *quod secundùm legem Dei procedens nulli mutationi est obnoxium.*

Et in rebus inferioribus, quamquam nulla ibi sit æternitas; tamen per decursum temporis, quod æternitatē imitatur, fit vt in generatione & generationem veritas tua *quoque ducet, licet externas quasdam mutationes, res nonnumquam accipere videantur: & ideo, quoniam tu* fundasti, *& stare voluisti* terram, *ipsa parens legi tuæ stat,* & permanet.

Atque ita ordinatione tua *secundùm voluntatem, ac iudicium tuum; tam terrestria, quàm cælestia* perseuerant *ac perstant in præsentes vsque* dies *nostros:* quoniam omnia seruiunt tibi; *nec vnquam desinunt noctes pariter ac dies, vices suas peragere.*

Atque hæc quidem cùm circa mundum maiorem & legem naturalem ita se habeant; quantū ad mundum minorem, nempe hominem, & legem moralem attinet; certè nisi (quòd) *suauissima* lex tua *quam tradidisti,* meditatio *ac delectatio, consolatioq́ue* mea *semper* est, tunc *cùm tot malis vndequaque vrgerer,* forte periissem, *& sine dubio obrutus fuissem* in humilitate *& afflictione* mea.

Sed sanè in æternum non obliuiscar *præcepta ac*

 iusti-

iustificationes tuas: *quia dum earum recordatione in rebus illis aduersis me recreo*, in ipsis viuificasti, *& quasi ab inferis reuocasti* me.

Quare totus tuus sum ego: *tu autem* saluum me fac, quoniam *mandata &* iustificationes tuas, *in quibus vitam ac salutem posuisti*, exquisiui.

Insidias quidem posuerunt & me exspectauerunt peccatores *& impij*, vt *lapsum in retia ipsorum* perderent me, *si ad illorum vanitates me applicarem: sed ego aurem illis præbere nolens*, *&* testimonia tua *considerans*, intellexi *ex illis quidnam rerum mihi esset faciendum*.

Etenim omnis *perfectionis &* consummationis *rerum inferiorum & à Deo creatarum, quamtumcumque absoluta illa sint, semper* vidi *aliquē* finem, *sic vt tandem interirent, aut certè terminū aliquem & limitem habeant: verùm ad te me conuertens, & ad verbum tuum, quo cæli firmati sunt, & homo conditus & creatus est*, latum *reperio* mandatū tuum nimis, *sic vt nullus sit in eo finis nec interitus; sed quemadmodum initio dixi, in æternum duret ac permaneat in cælo, & in terra; & sine termino, omnia quæcunque sunt, amplitudine sua complectatur ac coërceat.*

Explanatio.

Omnia seruiunt tibi] Quæcunque in mundo sunt, siue cælestia, siue terrestria, siue ratione prædita, vt Angeli; siue carentia, vt cælum ipsum & terra. quanquam hoc interest, quòd quæ ratione prædita sunt, sua sponte mouentur, & quod

quod agunt, intelligũt, quæ non sunt, vi externa, sic vt quod agunt, non diiudicent.

Latum mandatum tuum nimis] Sic vt neque temporis, quod ad res adspectabiles attinet; neque loci, quod an inadspectabiles, finibus concludatur. Nã non quemadmodũ alia, lex Domini creatura aliqua est, sed ipsissima eius substantia, foris in res creatas infusa, quæ neque tempore perit, quoniam perpetua est; neque finibus vllis circumscribitur, quoniam infinita. Quod vtrumque in inferioribus legibus humanis aliter se habet.

Mem. 13. *Effectus legis Dei in homine.*

V*Ide* quomodo *&* *quantopere* dilexi legem tuam (Domine?) *etenim* tota die meditatio *ac cogitatio* mea *in ea sola* est, *& est ipsa cogitatio mea.*

Quod quidem cùm facio, super *omnes* inimicos meos, *& peccatores, qui licet sapientes sæpe videantur, reuera tamen non sunt*, prudentem me fecisti mandato tuo: quia *semper &* in æternum *hoc* mihi *versatur ante oculos, &* est *in perpetua apud me memoria, ne qua in re aberrem.*

Sed & super omnes docentes me, *qui mundi huius sapientia instructi sunt*, intellexi: *propterea* quia testimonia tua meditatio mea est, *dum non aliud loquor aut cogito quàm de illis.*

Quin & super senes *ipsos, qui principum huius mundi sapientiam possident*, intellexi, *ob id*, quia mandata tua, *in quibus diuina sapientia inest*, quæsiui *intelligere ac custodire.*

Atque hac quidem cùm circa intelligentiam mihi contigerint, vide etiam quid circa vitam, & mores vsu venerit: etenim ex quo legem tuam cœpi diligere, ab omni via *ac semita* mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.

Sed & bonum prosequens, à iudiciis tuis non declinaui, *& ne latum quidem vnguem recessi, ob id* quia tu legē posuisti mihi, *docens & illuminās me.*

Quin ad extremum, ecce quàm dulcia *fuerint palato, ac* faucibus meis eloquia tua, *certè* super mel *quod suauissimum est* ori meo.

Quare vt omnia supradicta in vnum concludam; quoniam à mandatis tuis *in parte rationali illustratus*, intellexi *quid verum & rectum esset, aut non esset*; propterea *in parte appetibili* odiui omnem viam *falsitatis &* iniquitatis.

EXPLANATIO.

Prudentem me fecisti] Effectum legis diuinæ esse, vt sapientem hominem faciat, suprà traditum est, & ostendit illud Dauidis: Testimonium Domini fidele, sapientiā prçstans paruulis: idque siue de simulata sapientia loquaris inimicorum, siue inchoata docentium, siue progrediente senum. quas omnes lex Dei superat ac perficit.

Super mel ori meo] Inter cæteros effectus iustitiæ, hoc illi quoq. tribuitur, quòd dulcis sit & suauis, iucundaque: à quo Dominus iugum suum suaue, & onus suum leue esse ait. Nam cùm in lege Domini omnia pura sinceraque sint, nec quidquam in se à malo deductum, aut ad id respiciens habeat, vt in legibus humanis cōtingit: fit vt omni ex parte per se dulcis sit ac lenis; licet hominibus ob suam corruptionem secus sæpe subinde videatur.

Nun. 14. *Verbum Dei lucerna nostra.*

LVcerna *est* pedibus meis verbum tuum *Domine, dum quonã eundum mihi sit, demonstrat*; & lumen semitis meis, *dum quanam eò perueniri possit, ostendit.*

Quod ego considerans, iuraui, & *votum tibi faciendo firmiter* statui custodire iudicia iustitię tuę, *quæ ab illa profluunt, & ad eam tendunt.*

In quo quidem conatu quoniam mirũ in modum humiliatus *& afflictus* sum *vehemẽter* vsquequaque; *tu* Domine, viuifica, *quæso, & repara* me secundùm verbum *ac promissum* tuum, *quo te quærentibus auxilium es pollicitus.*

Voluntaria, *inquam, illa sacrificia & spontanea vota & iuramenta* oris mei, *quæ de iudiciis tuis custodiendis feci*, beneplacita fac, *quæso*, Domine, *& ostende ea tibi esse grata*, & *secundùm hoc* iudicia tua doce me.

Quod quidem eo magis facere debes, quoniam tametsi in summis periculis versor propter nomẽ tuum, adeò vt anima *& vita* meà in manibus meis *sit* semper, *dum contra impetum hostium manu me, & vitam meam defendere compellor*; *tamen mandata* & legem tuam non sum oblitus.

Etenim posuerũt *impij &* peccatores laqueum mihi *ad me captandum, & à te abducendum:* & *tamen ego* de mandatis tuis non erraui *nec recessi.*

Quod sanè non alia re factum est, quàm quia per supra-

supradictum votum & iuramentum, *quasi* hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum, *sic vt nulla ratione à me auelli possint*; quia *gaudium & exultatio cordis mei sunt*.

Et sic inclinaui *& penitus inflexi* cor meum ad faciendum, *ac viuendum secundùm statuta & iustificationes* tuas in æternum, *& in sæculum sæculi*, propter retributionem; *& premium quod scio repositum esse diligentibus te, dum in te tanquam vltimo rerum expetendarũ fine, in perpetuũ acquiescũt.*

Explanatio.

Lucerna] Lex & iustitia diuina duobus modis lux vocatur, vt suprà traditum est: Primùm, quia rationem ac intelligẽtiam illustrat, vnde dicitur in psalmis, Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, & Dominus ipse lucem mundi se vocat. Secundò, quia præclaris vitæ actionibus hominem illustrat: vnde dicitur in Euangelio, Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra, & Tũc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui: Dauid, Et educet, inquit, sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. Hic autem locus secundùm priorem modum accipiendus est.

Beneplacita] Iam suprà probatum est, aliud esse diligere, quod infimi gradus est; aliud amare, quòd secundi; aliud charum habere, quod summi est, cum quo & eudocia, siue beneplacitum esse censetur: vnde Deus Pater in Euangelio in Filio suo beneplacitum sibi esse ait.

Samech.

Samech. 15.

Declinandum à malo, & faciendum bonum.

INiquos, *& eorum vanas cogitationes, inuentionésque* odio habui, *ad fugiendum malum*: & legem, *doctrinámque* tuam dilexi, *ad faciendum bonum.*

Etenim adiutor & susceptor meus, *in quo tutus tanquam in latibulo abscondi, & à quo quasi scuto protegi possum*, es tu: & in verbum *ac promissum* tuum supersperaui, *& fiduciam meam omnem collocaui.*

Quare declinate *& recedite* à me *improbi & maligni, ne vllum à vobis patiar impedimentum*: & *sic liber & expeditus* scrutabor *ac custodiam* mandata Dei mei.

Et tu contrà Domine, propiùs accedens, suscipe *ac sustenta* me secundùm eloquium *ac promissum* tuum, & viuam: & non confundas, *nec cum pudore decidere* me *sinas* ab exspectatione *& spe* mea, *quam in te habeo.*

Adiuua, *inquam, & sustenta* me, & saluus ero: & *hoc cōsecutus* meditabor *ac delectabor* in *statutis ac* iustificationibus tuis semper *sine intermissione.*

Etenim spreuisti, *& quasi pedibus conculcasti* omnes *reipsa, licet verbis aliud simulent*, discedentes *& per sinistram interpretationem aberrantes* à iudiciis *ac statutis* tuis: quia iniusta *& mendacio ac falsitate, hypocrisiq; plena, fraudulenta* cogitatio

eorum

eorum eſt, *in qua ſuam ſapientiã habẽt cõſtitutam.*

Quod quidẽ ego animaduertens, & videns quòd tanquã ſcoriã, quæ ab auro ſeparatur, tu impios illos ab aliis ſegregaſti, & ceſſare feciſti, vt tibi præuaricãtes, *& doloſâ interpretatione legem tuam corrumpentes* reputaui omnes peccatores terræ; *&* ideo dilexi *pura puta* teſtimonia tua.

In quibus vt verè proficere poſſim, confige *tali* timore *filiali* carnes meas, *qualem ſubacto penitus corpore, & quaſi clauis confixo eum intus habere oportet, qui verus Dei cultor eſt futurus:* à iudiciis enim tuis *exterioribus, quibus in peccatores tam grauiter te vidi animaduertere, ſic* timui *timore cõmuni, qui principium eſt alterius timoris, vt erectis pilis toto corpore cohorreſcerem, & à mente quaſi alienus eſſem.*

EXPLANATIO.

Odio habui] Vti viri boni eſt, iuſtitiam diligere, ita eiuſdem eſt, iniquitatem odiſſe: vnde conſtat odium per ſe malum non eſſe, vt ſuprà probatum eſt; niſi cùm malè eo quis vtitur, quemadmodum & de dilectione contingit: ex quibus dilectio ab eo quod eſt, odium ab eo quod non eſt proficiſcitur.

Diſcedentes] Cùm duobus modis à lege Dei diſcedatur, clarè & apertè, vt publici peccatores faciunt; vel tectè & obſcurè, vt hypocritæ, qui ſub ſpecie ſanctitatis, ſaluis verbis legis, ſententiam eius circumueniunt; vtrique quidem mali ſunt, ſed ij odio digni maiore. Et quidem cùm difficilè à bonis internoſcãtur; quàm diligentiſſimè danda eſt opera, vt tanquam ſcoria ab auro ſeparentur.

Ain.

Ain. 16. *Contra calumniatores.*

FEci *Domine* iudicium *quoad alios*,& iuſtitiam *quoad me, veritatē & innocentiam publicè pariter ac priuatè ſequens*: non tradas *nec permittas* me, *quæſo, iniuriantibus ac* calūniantibus me, *qui actiones meas rectas ſiniſtrè, & contrà quàm facta ſunt, per fraudem interpretantur.*

Sed contrà, ſuſcipe *cum ſuauitate ac dulcedine* ſeruum tuum, *& teſtem de ipſo, ac ſpōſorem te præbe* in bonum; *vt* non calumnientur me, *& quaſi per vim actiones meas contorquentes aliter quàm oportet, fraudulosè eas interpertentur hominès* ſuperbi *ac contumaces.*

Ad quod abs te aſſequendum, oculi mei *iam planè* defecerūt, *dum eleuatos eos habeo* in ſalutare tuum, & in eloquium *ac promiſſum* iuſtitiæ tuæ.

Quare fac, *obſecro*, cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam *ac bonitatem* tuam; *&, ne qua in parte iudicij ac vitæ peccem, ſtatuta &* iuſtificationes tuas doce me.

Dico autem cum ſeruo tuo, quia iam vtique ſcis quòd ſeruus tuus ſum ego: *itaque doce me, inquam, &* da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua.

Nec verò id ampliùs differas, quia iam tempus *tibi eſt* faciendi Domine: *etenim quia nemo eſt qui præcepta tua tueatur, & rectè interpretur, impij illi ac ſcelerati homines* diſſipauerūt *& peruerſa interpretatione planè irritam fecerunt* legem tuam.

Quibus

Quibus vt resistatur ac obuiam eatur, ideo dilexi mãdata tua super aurum *obryzũ purissimum*, & topazion *preciosum*.

Propterea, *inquam*, ad omnia mandata tua, *quibuscumq; de rebus sunt*, dirigebar; *& è contrà* omnẽ viam iniquam *falsitatis ac mendacij* odio habui.

EXPLANATIO.

Calumniantibus me] Cùm grauissimum, quod vir bonus pati potest, sit calumnia, sic vt summæ perfectionis sit, non solùm benefacere his qui oderunt nos, verùm etiam orare pro prosequentibus ac calumniantibus nos; nihil magis veræ iustitiæ ac iudicio conuenit, quàm calumnias depellere. vnde Dauid de vero Regis officio loquens, Iudicabit, inquit, pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.

Super aurum & topazion] Legis Dei cultum, tum quidem diuitiis externis præferendum esse, per aurum significatur; tum autem honoribus, per topazion.

Phe. 17. *Vis legis diuinæ.*

MIrabilia testimonia tua *Domine*, *& à communi captu longè separata, innumerabilibus mysteriis sunt plena*: ideo scrutata est *& custodiuit* ea anima mea.

Etenim non modò interior declaratio, *sed vel solũ ostium, ac prima reseratio* sermonum *& verborum* tuorum illuminat *hominem*, & intellectum dat paruulis *ac simplicibus*, *qui sua sapientia nequaquam elati dociles se præstant*.

Cum quibus ego me coniungens, & ad sermones tuos

tuos, quasi anhelans os meum aperui, & attraxi ſpiritum, *quemadmodum in magno æſtu ad captandum aërem fieri ſolet*: quia *dici non poteſt quantopere* mandata tua deſiderabam.

Quod tu vtique non ignorans, verte te, & adſpice, *quæſo*, in me, & miſerere mei ſecundùm iudicium *ac modum quo omnium* diligentium nomen tuum, *pro immenſa bonitate tua ſoles miſereri.*

Et hoc faciendo, greſſus meos dirige *ac firma* ſecundùm eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniuſtitia. *ſic vt neque aliena, neque mea propria iniquitas imperium in me habeat.*

Sed contrà redime *& libera* me à calumniis *& iniuriis fraudibuſq́;* hominum *filiorum Adam: vt liberè agens*, cuſtodiam mandata tua.

Quin faciem tuam, *tamquam Solem clarum*, illumina ſuper ſeruum tuum: & *ſic* doce me *ſtatuta &* iuſtificationes tuas, *vt eas cuſtodiam.*

Quoniam exitus *& quaſi riuos* aquarum *ſæpe* deduxerunt *ac profuderunt* oculi mei: quia *aliò quàm oportet me auertentes*, non cuſtodierunt legem tuam.

EXPLANATIO.

Faciem tuam illumina] Quemamodum enim Solem, niſi per ipſum Solem eiuſque radiis illuſtrati, videre non poſſumus: ita nec legem Dei, niſi per ipſum Deum poſſumus cognoſcere. Nam quod in mundo adſpectabili Sol eſt, hoc in mundo intelligibili eſt Deus: vnde in Apocalypſi, nouam Dei ciuitatem, non alium Solem, quàm ipſum Agnum, habituram ſcribitur.

Sade. 18.

Zelus contra violatores legis Dei.

IVstus es Domine, & rectum iudicium tuum, *quod ex iustitiâ tua procedit, & eò tendit.*

Circa quòd mandasti, *vt tum quidem in* iustitiam *sint nobis* testimonia tua, *tum verò in prudentiam* & veritatem tuam: *ita vt nulla alia sit nostra iustitia, quàm obseruatio; nulla prudentia, quàm cognitio præceptorum tuorum, quæ nõ vulgari quidem modo, sed etiam atque etiam &* nimis *exactè præcepisti custodiri.*

Quod ego considerans, tabescere me fecit *præ mœrore* zelus meus, *quem erga te & mandata tua habeo:* quia *video quòd* obliti sunt verba tua inimici mei, *qui me in angustias coniiciunt.*

Nam præterquam quòd planè purum putum, & omni ex parte probatum est verbum tuum, quæ res indignationem mihi mouet, quòd cùm tam pulchrum sit, ab iis tamen negligatur; tum etiam ignitum *& feruens* est eloquium tuum vehementer: & seruus tuus, *cùm pulchritudine, tum calore eius inflammatus*, dilexit illud.

Fateor quidem quòd adolescentulus *& paruulus* sum ego, & contemptus *præ illis hostibus meis: sed de hoc autem audeo gloriari, quòd mandata &* iustificationes tuas non sum oblitus, *quemadmodum illi faciunt.*

Etenim iustitia tua *non quemadmodũ hominum*

est

est iustitia, quæ cum temporibus commutatur, sed est iustitia in æternum, *quæ semper eodem modo se habet* : & lex tua, *non quemadmodum hominum est lex; quæ imaginem ac similitudinem dumtaxat habet veritatis, sed est ipsa* veritas.

Quare quotiescumque tribulatio & angustia *circumcursitantes* inuenerunt me, *ad* mandata tua *me retuli, in quibus semper omnis* meditatio *& oblectatio ac consolatio* mea est.

Quippe non dico iusta & æqua, sed ipsa iustitia & æquitas *sunt* testimonia tua, *idq; nō ad tempus, & quibusdam in rebus, & quibusdam non; sed simpliciter, & absolutè, &* in æternum: *quare ad intelligendum ea,* intellectum da mihi, & viuam, *quoniam verba vitæ æternæ habent.*

EXPLANATIO.

Iustus es Domine] Iustus in sacris scripturis, tribus modis accipitur: vno plenè & perfectè, quod soli Deo conuenit, vnde in Euangelio Pater iustus dicitur. Item, Peccaui tradens sanguinem iustum. Nihil tibi, & iusto illi. & hîc eodem modo accipi debet. Alterum per communicationem, qua ratione homines iusti in Euangelio, & Psalmis, aliisque sacræ scripturæ locis dicuntur: veluti cùm de Zacharia & eius vxore dicitur, quòd erant ambo iusti ante Deum. Et tertiò, per simulationem: veluti cùm dicitur in Euangelio, qui se simularent iustos. Et quidem cùm primum diuinum sit, secundum humanum, tertium diabolicum est.

Coph. *19.* *Oratio intensa.*

CLamaui in toto corde meo, exaudi me, *& votis meis responde* Domine:*ego statuta &* iustificationes tuas requiram *ac custodiam.*

Clamaui, *inquam*, ad te, *tu autem* saluum me fac, vt custodiam mandata *ac testimonia* tua.

Præueni *ipsum crepusculum, surgens summo mane*, in maturitate, *nocte intēpesta*, & clamaui, *dicēs: Iuua me Domine*, quia in verba tua supersperaui, *exspectans promissiones tuas.*

Quin præuenerunt oculi mei *etiam ipsas noctis vigilias, sublati* ad te *primo* diluculo, vt *tacitè mecum mussitans*, meditarer eloquia tua.

Quæ quidem cùm ita se habeant, vocem meam, *quæso*, audi secundùm misericordiam tuam Domine: & secundùm *promissionis tuæ veritatem, &* iudicium tuum viuifica me.

Etenim quemadmodū appropinquauerunt persequentes me *iniustè* iniquitati *ac sceleri, &* à lege autem tua longè facti sunt, *dum propriis suis cogitationibus & inuentis indulgent, eaq́ sequuntur:*

Ita contrà ego à scelere quàm longissimè abesse, & ad te quàm proximè accedere, legemq́ tuā sequi cupio: nam cùm propè es tu Domine, *tum omnia rectè se habent*; & omnes viæ tuæ, *& mandata tua ipsa sunt* veritas.

Nam ab ipso statim initio *sciui &* cognoui de testimoniis tuis, quia *non ad aliquod dumtaxat tempus*

tempus, & ex certo tempore, sed iam inde ab æterno & vsque in æternum fundasti *ac stabilinisti* ea.

Explanatio.

Omnes viæ tuæ veritas.] Non debet autem mouere, quòd alibi omnes viæ Domini veritas dicuntur & misericordia, quia veritatis vocabulum subinde specialiter accipitur pro iustitia recta, quæ à benigna distinguitur: subinde generaliter, sic vt omnem omnino iustitiam comprehendat, vt hîc. nam tametsi quidem specialiter aliud iustitia recta veraque sit, aliud autem gratia siue misericordia: vtiq; tamen generaliter misericordia non est sine ratione ac veritate, absque qua non misericordia est, sed zelus sine scientia; nec veritas sine benignitate, absque qua iudicium dicitur sine misericordia.

Res. 20. *Contra hostes.*

Vide humilitatem *& afflictionem* meam, & eripe me, quia legem *ac doctrinā* tuam non sum oblitus.

Iudica *ac discepta causam &* iudicium meum, & redime me *ab iis qui iniustè me persequuntur:* propter eloquium, *inquam, ac promissum* tuum viuifica me.

Etenim vti longè à peccatoribus, *& impiis est* salus, quia *statuta &* iustificationes tuas non exquisierunt:

Ita è diuerso misericordiæ tuæ multæ *sunt*, Domine, *erga eos qui legem tuam sequuntur: quare* secundùm *solitum ac iustum* iudicium tuum viuifica me.

Quod quidem eo magis facere debes, quòd tametsi multi *sunt* qui persequuntur me, & tribulant *ac in angustias redigunt* me, *propè vsque ad desperationem; ego tamen* à testimoniis tuis nō declinaui.

Sed è contrà vt vidi *homines stultos ac peruersos mendacesq́;* præuaricantes *legem tuam, deficiebam animo*, & *penitus* tabescebam *præ dolore*, quia eloquia tua non custodierunt.

Quare eius rationem habēs, vide, *quæso, & respice me, ô Domine: ac* quoniam mandata tua dilexi, *ideo* in misericordia tua viuifica me.

Quoniam caput & principium verborum tuorum *est* veritas, *vnde procedunt & durant* in æternum omnia iudicia, *& effectus* iustitiæ *ac bonitatis* tuæ, *quibus pro viribus in via iustitiæ ambulātibus, & tuam porrò misericordiam implorantibus, auxilium tuum es pollicitus.*

EXPLANATIO.

Longè à peccatoribus salus] Iam suprà admonuimus, salutem ac beatitudinem solis iustis, iniustis autē minimè conuenire: quia contritio, inquit Apostolus, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.

Domine in misericordia tua viuifica me] Coronans me corona iustitiæ, quæ propter rectè facta, quantum in me fuit, ex promissione tua debetur: & in misericordia ac miserationibus, quatenus quæ mihi desunt, ex benignitate tua supplentur.

Sin. *21.* *Deuictis hostibus.*

PRincipes *huius mundi* persecuti *quidem* sunt me, *sed frustra &* gratis: *quoniā sciens sine iusta*

causa

causa id fieri, nihil eos timui: verùm à te Domine, & à verbis tuis *semper* formidauit cor meum, *ne qua in parte aberrarem.*

Et ideo, si, superato malo eorum præsidio, quid boni aliquando fecero, lætabor ego super eloquia tua *reperta & custodita,* sicut qui *deuictis hostibus* inuenit spolia multa, *cuius duplex est gaudium.*

Etenim iniquitatem *& mendacium ac falsum* odio *semper* habui, & *prorsus* abominatus sum, *ad malum vitãdũ;* legem autem tuam dilexi, *ad bonum faciendum.*

Secundùm quam septies in die laudem dixi tibi super *admirabilia* iudicia *& opera* iustitiæ tuę, *per quam cuncta ratis ordinibus distincta regis ac gubernas.*

Vnde fit, vt cessante omni confusione ac discordia, pax multa *sit* diligentibus legem tuam, & *quod* non est *nec accidit* illis *vllum* scandalum, *nec offendiculum, quo à quieto & tranquillo mentis sua statu dimoueantur.*

Quod ego considerans, semper exspectabã salutare tuum Domine, *contra hostes & inimicos meos:* & mandata tua dilexi, *& opere ipso compleui.*

Custodiuit, *inquã,* anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.

Denique seruaui *omnia* mandata tua, & testimonia tua: quia *scio quòd* omnes viæ meæ in conspectu tuo *sunt, & quòd tu omniũ actionum, atque etiã cogitationũ mearũ oculatus testis es, & arbiter.*

Septies in die laudem dixi tibi] Sacrificium laudis, iustitiæ proprium esse, suprà traditum est. Septenarius autẽ numerus ideo ei attribuitur, quia quaternario numero, qui iustitiæ est, septenarius per quatuor vnitates, & tria internalla inest, in quo tamquã in vero Sabbatho acquiescitur.

Pax multa] Pacem inter effectus iustitiæ numerari, suprà quoque docuimus: nam hinc iustitia & pax osculatæ dicuntur, & suscipere montes & colles iustitiam. Denique Angeli in Euangelio annunciant pacem hominibus bonæ voluntatis, hoc est, iustis.

Tau. 22. *Peroratio ad impetrandum petita.*

E*Rgo cùm omnia quæ supradicta sunt, ita se habeant*, appropinquet, *quæso*, *& appareat clamor ac* deprecatio mea in conspectu tuo Domine, *sic vt eam videas & audias*: *& respondẽs, Deus, benignè votis meis*, iuxta eloquium *ac promissum* tuum, *quo cunctis inuocãtibus te opem pollicitus es*, da mihi intellectum *legis tuæ*.

Intret, *inquam*, postulatio mea in conspectu tuo, *&* secundùm *illud ipsum* eloquium *ac promissum, verbumq́;* tuum, eripe me *à malis istis & erroribus, in quibus propter ignorationem legis tuæ nunc versor*.

Etenim loquentur, & quasi suaui quodam cum odore eructabunt *ob abundantiam* labia mea hymnum *laudum tuarum*, cùm docueris me *statuta & iustificationes* tuas.

Et pronunciabit *ac cum gaudio cantabit* lingua

mea

mea eloquiũ tuum:quia omnia mandata tua *ipsa* æquitas *sunt & iustitia.*

Quare iterum dico, fiat *ac veniat super me* manus tua, vt *iuuet ac* saluet me:quoniam *vtique scis quòd* mandata tua elegi,

Quodq́; concupiui salutare tuum Domine, & *quòd vna* lex tua meditatio *ac delectatio* mea est.

Et id quidem si facias, viuet anima mea,*quæ nũc propè exstincta iacet,ac mortua;*& *omnibus præconiis* laudabit te: & *si quà fortè in eo deficere videar,*iudicia tua, *& vires bonitatis tuæ* adiuuabunt me, *& supplebunt id quod mihi deest.*

Quare, vt vel tertiò te compellem,ecce ego erraui *ab omni via prudentiæ ac iustitiæ,* ſicut *agnus, siue* ouis quæ periit:*tu obsecro,pro immensa tua bonitate ac misericordia,*quęre seruum tuum,*Domine*:quia *licet non verè fecerim quod debuerim ,omnia tamen* mandata tua non sum oblitus, *sed ea semper, vt scis, expetiui.*

EXPLANATIO.

Erraui sicut ouis quæ periit] Ea in montibus, siluísque oberrans,nulla ratione per se ad ouile redire potest , nisi si pastor eam quærat ac reducat:quod vtique eo magis facere debet, si eam sui non omnino oblitam sentiat,sed contrà balare,& reditum optare videat.

PSALMVS CXIX.

Titulus.

Canticum graduum *ad sancta sanctorum, & locum illum in templo vnde lex recitatur, & adscensionum ex captiuitate Babylonica in Ierusalem, siue à rebus inferioribus ad superiores.*

Argumentum.

1. DIcit vir sanctus, ad Deum in tribulatione se clamasse, & fuisse exauditum. 2. Vnde ad hostem conuersus, nihil ei suam maledicentiam profuturam ait. 3. Addens ad extremum exclamationem, quòd tanto tempore inter inimicos sibi sit degendum.

1. AD Dominũ *in angustia mea*, cùm tribularer, clamaui: & *respondens votis meis*, exaudiuit me.

Dicebam enim: Domine, libera animam meam à labiis iniquis *& mendacibus, quibus nihil addi potest nocentius;* & à lingua dolosa, *qua nihil est magis penetrans, quod & faciebat.*

2. *Quare ad inimicum meum conuersus, tu calumniator, inquibam, & Sycophãta,* quid detur tibi, aut quid apponatur *addatúrue* tibi (ad) linguam *tuam* dolosam? *quídue illa tandem tibi proderit quantumcumque acuta sit & ardens?*

Nihil profectò, nihil: nam sagittæ *Dei* potentis *ac fortis, qui se mihi adiutorem præstat, magis sunt* acutæ, *quibus tu resistere non poteris, quo minùs te penetrent ac vrant, tamquam* cum carbonibus desolatoriis

ſolatoriis *geniſtarum & iuniperorum, quorum vehementiſſimus eſt ardor.*

3. *Verumtamen quamquam hoc ita ſit*, heu mihi *tamẽ*, quia *peregrinatio &* incolatus meus *apud Meſech* prolongatus eſt, *& tanto tempore* habitaui cum habitantibus *in tabernaculis* Cedar, multum *certè* incola *& hoſpes* fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, *contrà ego* eram pacificus : *&* cùm *aliquando de pace* loquebar illis, *ipſi è contrà tanto magis incitabantur ad bellum, &* impugnabant me gratis, *ſine vlla cauſa.*

Explanatio.

Ad Dominum] Poteſt etiam ſic accipi hic Pſalmus, vt ſit imploratio auxilij cõtra calumniatores, addita ratione, quia nihil peius lingua doloſa, quæ vrit tamquã carbones iuniperorũ. Concludendo tandẽ per exclamationẽ, quòd tanto tẽpore cum id genus hominibus ſibi ſit viuendum.

Psalmvs cxx.

Canticum graduum.

Argumentum.

1. AIt Propheta, ſe, omnibus circumſpectis, non alibi quàm in vno Domino ſpem auxilij reperire: quod ſibi adeſſe optat.
2. Ad quod ſtatim reſpondet, omnino ita futurum.

1. LEuaui oculos meos in montes, *circumſpiciens vndique, & dixi,* vnde veniet auxilium mihi?

Verùm omnibus luſtratis, deprehendi non aliùnde auxilium

auxilium meum *esse, quàm* à Domino, qui fecit cælum & terram.

Itaque tacitus apud me sic optabam: vtinā non det in commotionem *neque vacillare sinat* pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.

2. *Quod cùm mecum sic dixissem, continuò huiusmodi mihi vox aderat*: ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio *& quasi vmbra* tua, super manum dexteram tuam.

Per diem Sol non vret *nec percutiet* te, neque Luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiet introitum tuum & exitum tuum, *& è cōtrà exitum & introitum*, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Explanatio.

Dormitabit neque dormiet] Dicit Dominum in populo Israëlitico custodiendo non solùm nō dormiturum, quod pleni somni est; sed ne dormitaturum quidem, quod leuis, cùm oculi dumtaxat conniuent.

Psalmvs cxxi.

Canticum graduum.

Argumentum.

1. Dicit vir sanctus, se magno gaudio affectum fuisse, quòd sibi diceretur ad domū Domini esse eundū, quę Hierosolymæ est: quæ sedem habens regiam, ædificiis & habitatioribus augetur.

2. Vnde

2. Vnde ad ciues suos & ciuitatem cõuersus, omnia bona illi optat. Siue autem de prima ædificatione tẽpli, tempore Dauidis, psalmum hunc accipias, siue de restauratione vrbis post captiuitatem Babylonicam, proba est vtraque interpretatio.

1. LÆtatus sum in his quæ dicta sunt; *inquè illis qui dixerunt* mihi, in domum Domini ibimus.

Stantes *enim iam tum* erãt pedes nostri in atriis *& portis* tuis Hierusalem, *in qua domus Domini constituta est.*

Hierusalem, *inquam*, quæ *iam* ædificatur vt ciuitas, *sic vt domus iungantur domibus*: cuius participatio *& arcta confœderatio est ciuium* eius *inter se, sic vt omnes conueniant ac conspirent simul* in idipsum.

Illuc enim adscenderunt tribus, tribus, *inquam*, Domini, *inter quas est* testimonium *& mandatum quod factum* est *ipsi* Israël, ad confitendum *ac cantandum* nomini Domini.

Quia illic sederunt, *& collocatæ sunt* sedes in iudicio, *ad iudicium exercẽdum*: sedes, *dico, & tribunalia iudicialia, quæ vnà cum regia dignitate venerunt* super domum Dauid.

2. Rogate *ergo quotquot estis, & petite* quæ ad pacem sunt *ciuitatis* Hierusalem: & *vt sit* abundantia *& quies, rerumq́; omnium prosper successus* diligentibus te, *ô sancta Dei ciuitas.*

Fiat pax in virtute *ac fortitudine* tua, *murisq́; ac mœnibus quibus præcingeris*; & abundantia *quiesq́;*

ac

ac felicitas in turribus,*ac domibus palatiisq́; tuis.*

Etenim propter fratres meos, & proximos meos, *ciues nempe qui te inhabitant*,loquebar *semper* pacem de te,*eamq́; tibi optabam.*

Et propter domum Domini Dei nostri, *quæ in te est*,quæsiui *semper omnia* bona tibi.

EXPLANATIO.

Pacem] Pacem hîc ter optat Propheta ciuitati Hierosolymorum,quia pax effectus est iustitiæ, quæ est anima ciuitatis, vnde & Hierusalem tamquam visio pacis dicitur. Cum pace autem omnium rerum abundantiam coniunctam esse, quod & ipsum ter hîc repetitur, iam suprà diximus. Ac cùm primùm generaliter vrbi bene precetur, pòst specialiter ad ciues suos id refert,quod iustitię est erga homines;& domum Domini,quod sanctitatis ergaDeum.

PSALMVS CXXII.

Canticum graduum.

Argumentum.

1. ALloquens vir sanctus Dominum, ait se toto obtutu in eo hærere,exspectans eius auxilium. 2 Quod vt præstare velit;habita ratione miserię & oppressionis à malis,in qua versatur, orat.

1. AD te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.

Ecce sicut oculi seruorum in manibus *sunt* dominorum suorum,*& ad eas semper respiciunt.*

Sicut oculi ancillæ in manibus *sunt* dominæ suæ:ita oculi nostri ad Dominũ Deum nostrum, donec misereatur nostri.

2. *Quare*

2. *Quare* miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multum repleti, *& planè saturati* sumus despectione *& contumelia.*

Quia multum, *dico*, repleta est anima nostra, *dum* opprobrium *nobis fit per illusionẽ ab opulentis & abundãtibus*, *qui in diuitiis suis acquiescunt*; & despectio *ac contemptus à* superbis, *qui supra alios se efferunt.*

EXPLANATIO.

Superbis] Sæpe superborum fit mentio in Psalmis, quoniam eorum grauissimum est peccatum, quo non modò supra homines, sed & supra ipsum Deum se efferunt.

PSALMVS CXXIII.

Canticum graduum.

Argumentum.

1. DIcit sanctus populus primis quatuor versibus, nisi per Deum factum fuisset, certò de se actum fuisse. 2. Vnde reliquis quatuor gratias illi agit de auxilio præstito, tum quidem cõtra vim hostium, quæ per impetum aquæ significatur; tum autem contra dolum, qui per laqueum contritum.

1. NIsi quia Dominus erat in nobis, dicat nũc Israël, nisi quia Dominus erat in nobis,

Cùm exsurgerent homines in nos, fortè *tunc* viuos *vtique* deglutissent nos.

Cùm irasceretur *& excandesceret* furor eorum in nos, forsitan *tunc* aqua *vtique obruisset &* absorbuisset nos.

Cùm

Cùm effuso super nos fluuio torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan, *elatis nimium fluctibus*, pertransisset *vtique* anima nostra aquam intolerabilem, *quam ob impetum furiosum ac superbum non potuisset sustinere.*

2. *Quare* benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem *& prædam* dentibus eorum.

Etenim anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Quod quidem adiutorium nostrum, *non ope humana, sed* in nomine Domini *accidit*, qui fecit cælum & terram.

EXPLANATIO.

Passer] Quadruplex est vsus animalium in sacris literis, vt suprà tactũ est. Primùm ad vsum vitæ, vt Adhuc carnes erant in ore ipsorũ. Deinde ad sacrificią, vt, Tunc imponẽt super altare tuum vitulos. Tum ad exempla vitæ ac scientiæ, vt, Ad similitudinem serpentis, obturantis aures suas. Denique ad similitudines, vt hîc: & suprà, Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita anhelat anima mea ad te Deus.

PSALMVS CXXIIII.

Canticum graduum.

Argumentum.

1. AIt Propheta, eos qui confidunt in Domino, oppugnari quidem posse, sed non vinci, ne & ipsi ex bonis mali fiant. 2. Quod vt ita contingat, orat.

1. QVi confidunt in Domino, *erunt* sicut mons Sion, *qui* non commouebitur *nec* *labe-*

lætetur in æternum, *sed contrà qui stat*, *& habitat*, *durabitq; perpetuò immobilis* in Ierusalem.

Respectu cuius uti montes *sunt* in circuitu eius, & *ita respectu piorum* Dominus *ipse* in circuitu *est* populi sui, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Quia *tametsi quidem oppugnari eum nonnumquam sinit probandi causa*, non relinquet *tamẽ unquam* (Dominus) virgam *& sceptrum impietatis ac* peccatorum, *ut requiescat* super sortem iustorum, *nempe* vt non extendant *ac mittant ipsi* iusti ad iniquitatem manus suas.

2. *Cuius quidem rei causa*, benefac, *quæso*, Domine bonis & rectis corde.

Declinantes autem in *obliquationes*, *& deuia à præcepto Domini*, *unde in prauitatum suarum* obligationes *& vincula incidunt*, adducet Dñs cum operantibus iniquitatẽ, *ut iisdem quibus ipsi pœnis afficiãtur*, *caterùm* pax *verò iustitiæ sit* super Israël.

EXPLANATIO.

Recti.] His opponuntur qui in obliquationes descendunt: nam cùm iustitia recta via incedat, iniustitia tortuosa est, & deuia quærit.

PSALMVS CXXV.

Canticum graduum.

Argumentum.

1. DEcantant lætitiam suam, qui ex captiuitate domum redeunt. 2. Orantes Deum, vt & aliis, qui adhuc in captiuitate manebant, idem possit contingere.

1. CVm in conuertendo Dominus *converteret* captiuitatem Sion, facti sumus sicut con-

 solati,

solati, *& conualescentes è graui morbo, & quidem ad eum modum, vt præ lætitia res somnio nobis similis videretur.*

Quinimo tunc *penitus* repletum est *risu &* gaudio os nostrum, & lingua nostra *cantu laudis*, *&* exsultatione.

Et quidem dum paulatim è captiuitate domum reuertemur, tunc dicent inter gentes *hi qui captiuos nos abduxerunt*, *ecce* magnificauit Dominus facere cum eis, *mirabiliaq; sua in ipsis ostendit*.

Ac nos illis respondentes, *certè* magnificauit, *inquiemus*, Dominus facere nobiscum, *& ob hoc* facti sumus lætantes.

2. *Quod cùm ita sit*, conuerte, *quæso*, Domine, *ex toto* captiuitatem nostram: *vt nostri inde læti, magna multitudine & impetu reuertentes*, *sint* sicut torrens in austro, *qui aqua pluuia & niuali illo vento flante auctus, fertur concitatus*, *& habitatores terræ aridæ ac desertæ exhilarat.*

Quod si facias, reipsa ostendes quòd qui seminant in lachrymis, in exsultatione metent.

Euntes *enim illi qui adhuc absunt in captiuitate, erant sicut qui* ibant *cum canistro seminis*, & flebant, mittentes *inde longè preciosa* semina sua, *quæ nesciebant vtrùm excrescere deberent, nec ne.*

Venientes autem *inde*, *erunt sicut qui veniendo* venient cum exsultatione, portantes manipulos suos, *ex semine illo auctos.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Seminant in lachrymis]. Difficile quidem communiter est, ob naturam deprauatam, principium virtutis & iustitiæ; cui accedit, quòd ferè persecutionem patitur à malis; sed fructus eius longè iucundissimus.

PSALMVS CXXVI.

Canticum graduum Salomonis.

Argumentum.

1. NIsi Dominus adsit, frustra nos niti, vir sanctus ait. 2. Ipso autem fauente, omnia ex animi sententia, cum dulci sobolis propagatione succedere.

1. NIsi Dominus ædificauerit domum, *ac familiam constituerit,* in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat *ac solicitus est* qui custodit eam: *adeò tam priuata quàm publica omnia, solus Deus sustinet.*

Imò (vt & de singulis quoque loquar) nisi Dominus adsit, vanum est vobis *festinare, & vel* ante lucem surgere, *ad laborandum, vosq́; mutuò cohortari, dicentes:* surgite postquam *iam satis* sederitis *ac tardaueritis, vos* qui māducatis panem doloris, *quem continuò manuum labore ac solicitudine quærere & parare debetis.*

2. *Cæterùm* cùm *ille adest ac fauet, &* dederit dilectis suis *pro labore ac solicitudine pacem, & altam quietem tamquam* somnum, *tum omnia rectè*

succedunt tam ipsis, quàm liberis eorum: ecce *enim* hæreditas Domini *sunt* filij, *&* merces *iustitia ipsius est* fructus ventris *eius.*

Ac sicut *sunt veloces* sagittæ in manu *hominis fortis ac* potentis: ita *sunt* filij *iuuentutis* excussorum, *qui leues & expediti, liberisq́ȝ suis comitati, contra quosuis se facilè defendunt.*

Et quidē beatus *ille* vir qui impleuit *pharetram suam ex huiusmodi sagittis,* & desiderium suũ ex ipsis: *certè* non confundētur *aut pudore afficientur huiusmodi, cùm, filiis illis suis comitati*, loquentur *cum* inimicis suis in porta; *ac iudicio publico.*

EXPLANATIO.

In manu potentis] Siue vi certandum sit, quod hoc versu exprimitur; siue iure, quod sequenti; semper eum cui Deus fauet, superiorem fore ait.

PSALMVS CXXVII.

Canticum graduum.

Argumentum.

1. DEscribit vir sanctus beatitudinem priuatam viri pij: 2. Quæ vt ei & publicè contingere possit, óptat.

1. BEati omnes qui timeñt Dominum *animo intus*; *&* qui ambulāt in viis eius, *opere foris.*
Etenim, Deo fauente, labores manuum tuarum quia manducabis, *quisquis eiusmodi es*, beatus es & bene tibi (erit.)

Vxor

Vxor tua sicut vitis *fructifera erit, &* abundans, in lateribus domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ *plantulæ* oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.

2. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, & pacem super Israël.

EXPLANATIO.

Labores] Tria hîc enumerantur præmia piorum: vnum in vita singulari, quòd labores manuum suarum manducabit; alterum in domo & familia, quòd habebit vxorem & liberos: & tertium in republica, cuius tres sunt gradus, arx Sion, ciuitas Ierusalem, quæ arcem Sion complectitur, & tota terra Israël, in qua Ierusalem sita est.

PSALMVS CXXVIII.

Canticum graduum.

Argumentum.

1. INducit Propheta populum Israeliticum dicentem sæpe quidem oppugnatum se fuisse, sed nihil potuisse impios. 2. Quos pudore confundi, & tamquam fœnum quod in tectis domorum crescens, per se arescit, fieri optat.

1. SÆpe *ac multum* expugnauerunt me, *varijsq; molestiis & angustiis affecerunt, iam inde à pueritia ac* iuuétute mea, *quo primùm in populum Dei sum cooptatus,* dicat nunc Israël:

Sæpe expugnauerunt *& aggressi sunt* me à iuuentute mea, *sed nihil effecerunt*: etenim non potuerunt mihi *præualere*.

Quin supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, *& tamquam aratores arauerunt*: *& sulcum suum ducentes*, prolongauerunt iniquitatem suam.

2. *Et tamen* Dominus iustus concidit *funes impiorum, &* ceruices peccatorum: *qui quidem oro vt pudore* confundantur, & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiāt sicut *herba &* fœnum tectorum, quod *terra & radice caret*, priusquam *ab hominibus* euellatur, *vel etiam exsiliit, iam per se* exaruit.

De quo, *cùm nihil sit, & nullius precij*, non impleuit manum suam qui metet, & *vlnam ac* sinum suum, qui manipulos colliget.

Et non dixerunt *metētibus, vt fit, hi* qui præteribant, benedictio Domini super vos, benedeximus vobis in nomine Domini.

Explanatio.

Fœnum tectorum] Cùm iustus palmæ ad aquam florenti, & fructus producenti sit similis: iniustus fœno tectorum, quod radice carens, & terra & aqua destitutum, à Sole mox comburitur, sic vt neque mortalibus prosit, neque benedictio Dei super eo optetur, comparatur.

Psal-

PSALMVS CXXIX.

Titulus. Canticum graduum.

Argumentum.

1. Inuocat vir sanctus Dei misericordiam de peccatis condonandis, quod certò ita fore sperat. 2. Adhortans populum Israeliticum, vt se in eo imitetur.

1. DE profundis *malorum & angustiarum vndis* clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ, *vt mei miserearis.*

Si *enim* iniquitates *omnes nostras in memoria semper habes, rigidè* obseruaueris, *summoq; iure nobiscum agas* Domine, *qui trinus es & vnus*; ô Domine, quis sustinebit, *aut subsistere poterit?*

Certè nemo, nemo, inquam, quia *non apud nos innocentia, sed* apud te (*secundùm legem tuam, in qua veniam pœnitentibus promittis*) propitiatio est, *& remissio peccatorũ: vnde fit vt ab omnibus tamquam bonus ac benignus colaris, & ego quoque* propter *eandem benignam* legem tuam *semper* sustinui *& exspectaui, coluique cum timore & reuerentia* te Domine.

Sustinuit, *inquam, & exspectauit* anima mea *sperans* in verbo *illo promissionis* eius: sperauit, *dico,* anima mea in Domino *meo, trino & vno.*

2. *In qua quidem re me imitando* à custodia

g 4 matu-

matutina vsque ad noctem, speret Israël in Domino, *anheletq́, ad illum, haud secus atque custodes nocturni matutinum tempus exspectare, custodes dico nocturni, matutinum tempus exspectare solent.*

Quia apud Dominum misericordia, *in peccatis condonandis*; & copiosa apud eum redemptio, *in malis auferendis.*

Et *secundùm hoc sine dubio* ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus *& aduersitatibus* eius.

EXPLANATIO.

Legem tuam] Legis nomine non solùm iussa & vetita, sed & promissa intelliguntur de peccatis condonandis. Qua quidem vtrique opus est, quia nemo tam perfectus esse potest in hac vita, vt non ea indigeat.

PSALMVS CXXX.

Titulus. Canticum graduum.

Argumentum.

1. Dicit Dauid, se neque ob regnum, superbia elatum, neque ob donum prophetiæ, curiosum in secretis Dei perquirendis factum fuisse. 2. Offerens iustam pœnam subire, nisi quàm humillimè semper de se senserit, & ab vno Deo totus pependerit. 3. Quod vt totus populus Israeliticus imitetur, optat.

1. DOmine, non est exaltatum cor meum, neque elati *ac superbi* sunt oculi mei, *quantum ad vitam & mores attinet.*

Et quantum ad rerum intelligẽtiam, neque ambulaui in magnis, neq. in mirabilibus super me, *quæ vim ingenij mei excederent.*

2. *Imò*

2. *Imo reprehende ac castiga me acriter*, si non *compescens & silere faciens meipsum*, humiliter *de omnibus rebus* sentiebam, *æquans & dimetiens intelligentiam meam ad legem Dei, eiq; me subiiciens*; sed *è contra* exaltaui animam meam *supra eam.*

Si non, inquam, sicut *puer qui primùm* ablactatus est, *& totus pendet* super matrem suam, *illius munuscula expectans*, ita *& à me* retributio *& ablactatio facta est* in anima mea*: vt non in se, sed in te solo & tuis donis acquiescat.*

3. *Quod quidem cùm ita sit, sequens exemplum meum* speret Israël in Domino, *& exspectet ab illo solo omnia*, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

EXPLANATIO.

Magnis & mirabilibus] Magna in diuinis sunt, quæ capacitatem ingenij humani excedunt, nec vllo modo cognosci possunt: mirabilia, quorum effectus quidem percipiuntur, sed rationes aciem ingenij nostri effugiunt, vnde admiratio nascitur.

PSALMVS CXXXI.

Titulus. Canticum graduum.

Argumentum.

1. INuocans vir sanctus Dominum, ait se vouisse, non quieturum se, antequam locum templo ipsi ædificando aptum inuenerit. 2 Quem mox se inuenisse dicens, rogat vt sua præsentia locum sanctificare velit, nec se à populo suo auertere. 3. Idque tum quidem ob promissioné ipsi Dauidi, & eius posteritati factam.

 4. Tum

4. Tum verò quòd ipsemet Dominus montem Sion in perpetuam habitationem sibi elegit, vt ibi Dauidem & eius posteritatem illustret per Christum filium suum.

1. MEmento Domine Dauid, & omnis *afflictionis & mansuetudinis* eius, *in patienter ea perferendo.*

Nempe sicut *illius qui* iurauit Domino, votum voui *potenti* Deo Iacob.

Dicens, vide, si introiero in tabernaculum domus meæ, *aut* si adscendero in lectum strati mei:

Vel si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, *etiam leuissimam:*

Et *denique* (requiem temporibus meis) donec inueniam locum *aptum ad ædificandum templum* Domino, tabernaculum *forti* Deo Iacob: *certè non sum facturus, non faciam vllo modo.*

2. *Quia* ecce *iam* audiuimus, *locum, & aream ad* eam *rem idoneã exstare* in Ephrata *Bethlehem,* inuenimus eam in campis siluæ.

Ibi introibimus in tabernacula eius, *& incuruati* adorabimus *scabellum* in loco vbi steterunt pedes eius.

Tu modò surge Domine in *perpetuam* requiem tuam, tu, *inquam,* & arca sanctificationis *& fortitudinis* tuę, *quæ hactenus incertis sedibus vagata est.*

Sacerdotes tui, *qui circa eam versabuntur,* induantur iustitia, *tamquam veste ex omnibus virtutibus contexta, quæ totum corpus tegit:* & sancti tui,

mores

mores sacerdotum secuti, atq; sanctificati, exsultent, *quod præmium est iustitiæ.*

Quinimo propter Dauid seruum tuum, *quem tantopere diligis,* non auertas, *quæso*, faciem, *nec differas amplius aduentum* Christi tui.

3. Iurauit *enim* Dominus Dauid veritatem; &, *cùm sit fidelis,* nō frustrabitur eum, *nec ipsam veritatem suam, dicens,* de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Et si custodierint filij tui testamentum *& fœdus* meū, & testimonia mea hęc (quę) docebo eos.

Et filij *quoque* eorum vsque in *æternum* sæculum sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion, *desiderauit &* elegit eam in habitationem sibi.

4. *Dicens,* hæc *est* requies mea in sæculum sæculi: hîc habitabo, quoniā *concupiui &* elegi eam.

Viduam *quæ in ea degit, & cibum, annonámque* eius benedicens benedicam; & pauperes eius saturabo panibus.

Sacerdotes eius induam salutari, *quod à iustitia proficiscitur*: & sancti eius, *quos gratia & misericordia sua complexus est,* exsultatione exsultabunt.

Illic *&* producam *ac germinare faciam* cornu *& potentiam ipsi* Dauid, *&* paraui *iam* lucernam *& perpetuum splendorē* Christo meo, *quem illi hæredem sum missurus.*

Inimicos eius *pudore affectos* induam cōfusione,

super

super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea, *& corona regni eius.*

EXPLANATIO.

Induantur iustitia] Comparatur iustitia vestimento: quoniam vti hoc corpus, ita illa anima ornatur. Estque vniuersalis, continens omnes in se virtutes. & est propria Sacerdotum, quemadmodum sapientia Prophetarum, & potentia Regum.

PSALMVS CXXXII.

Titulus. Canticum graduum.

Argumentum.

1. PRædicat Propheta vitam socialem, cùm tamquam fratres plures concordes inter se degunt.

1. ECce, quàm bonum & *simul* quàm incundum, habitare *ac sedere* fratres *concordes* in vnum.

Quantum enim ad iucunditatem attinet, *est* sicut *oleum &* vnguentum *optimum ac fragrantissimum* in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit, *inquam*, in oram *superiorem* vestimenti eius, *cùm in sacerdotem inungeretur*: *& quantum ad bonitatem*; *est* sicut ros *montis* Hermon, qui *de cælo veniens*, descêdit *quoque* in montem Sion, *& alios montes vicinos, tamquam fratres.*

Quoniam *vti* illic *per odoris suauitatem, & roris fertilitatem* mandauit Dominus benedictionem,

dans

dans rerum omnium fragrantissimarum abundantiam,& vitam vsque in sæculum: *ita & inter fratres per concordiam contingit, vt in iucunditate & bonitate perpetua, cum omni rerum abundantia, quæ soror est concordiæ, inter se viuant.*

Explanatio.

Bonum, iucundum] Iungit vtrumque: quoniam multa speciatim sunt bona, quæ non sunt iucunda; & multa specialiter iucunda, quæ non sunt bona.

Psalmvs CXXXIII.

Titulus. Canticum graduum.

Argumentum.

1. INuitat Dauid populum & sacerdotes ad Deo benedicendum: optans vice versa, vt & Deus illis benedicat.

1. ECce nunc, *pace ab hostibus parta*, benedicite Domino omnes serui Domini,

Ac potissimum quidem vos sacerdotes, qui statis in domo Domini; *& vos Leuitæ, qui versamini* (in atriis domus Dei nostri.)

Et quidem non de die solùm, sed & in noctibus *singulis* extollite manus vestras in sancta *sanctorum*, & benedicite Domino.

Quod quidem cùm tu Israël, tuq; Pontifex maxime facies: benedicat te *vicissim* Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Domo Domini] Omnes tres partes domus Domini hic enumerantur: Atrium, in quo Leuitæ versabantur; Tabernaculũ, in quo Sacerdotes; & Sanctum sanctorum, in quo Pontifex maximus semel in anno.

PSALMVS CXXXIIII.

Titulus.

Laudate Dominum Alleluia.

Argumentum.

1. HOrtatur vir sanctus populum & sacerdotes ad Dei laudes celebrandas, idque tum quidem generaliter, quia bonus est & omnipotens: 2. Tum autem specialiter, ob res naturales quas facit in mundo: 3. Et supernaturales, quas circa populum suum Israeliticum. 4. Quod secus accidit circa deos Gentium, qui non nisi argentum sunt & aurum; quibus similes fieri optat, qui faciunt & colunt eos. 5. Inuitans populum Israeliticum, vt soli vero Deo suo benedicat.

1. DEum celebrantes, laudate nomen Domini, laudate serui Dominum.

Qui statis *& versamini quotidie* in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

Laudate, *inquam*, Dominum, quia bonus *est* Dominus: psallite nomini eius, quoniã suaue est.

Quoniam, *dico*, Iacob elegit sibi Dominus, Israël in *propriam* possessionem, *& dilectum peculiumq;* sibi.

Quia, *iterum dico*, ego cognoui quòd magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus diis.

2. Omnia *enim* quæcumque voluit Dominus

fecit

fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

Educens & adscendere faciens nubem, *quæ suprà est*; ab extremo, *& superficie, exhalationeq́; terræ, quæ infrà*; fulgura *ignea, vt* in pluuiam *aqueam mutētur, illiq́;, tametsi contraria, admirabili ratione immisceantur*, fecit.

Is est qui producit ventos de *locis abditissimis, tamquam de* thesauris suis: qui percussit primogenita Ægypti, ab homine vsque ad pecus.

3. *Qui* emisit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem, & in omnes seruos eius.

Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes.

Seon regem Amorrhæorum, & Og, regem Basan, & omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël populo suo.

Qua quidem re fit, Domine, *quòd* nomen tuum in æternum *manet: quodq́;, ô* Domine, memoriale tuum in generationem *durat &* generationem.

Quia iudicabit, *& patrocinio suo tuebitur, vlciscetúrque* Dominus populum suum, *si quando ab aliis nationibus iniuria afficietur*: & in seruis suis, *si quando aduersum eum peccauerit*, deprecabitur, *& placabilem se ostendet, vt populum suum consoletur.*

4. *Cæterùm è contrà autem* simulacra gentium argētum *sunt* & aurum, opera manuū hominum.

Os

i.Os habent,& non loquentur: oculos habent,& non videbunt.

Aures habent, & non audient: neque enim *etiam* est spiritus in ore ipsorum,

Similes illis fiant qui faciunt ea *manibus*, & omnes qui confidunt in eis *corde*.

5. *Cæterùm vos* domus *& familia* Israël, benedicite Domino: domus Aaron, benedicite Dño.

Domus Leui, benedicite Domino: *omnes* qui timetis Dominum, benedicite Domino.

Benedictus *denique* Dominus ex Sion, qui habitat in Ierusalem.

EXPLANATIO.

Bonus] Bonitas Deo tribuitur, suauitas nomini eius: nam quemadmodum nomen à substantia, ita suauitas à bonitate profluit.

PSALMVS CXXXV.

Titulus. *Laudate Dominum* Alleluia.

Argumentum.

1. INcitat hoc elegantissimo carmine populum Propheta ad Dei laudes decantandas, idque ob bonitatem, & perpetuam eius misericordiam, quæ à bonitate profluit, quam singulis versibus repetit: enarrans primo in genere quisnam sit. 2. Deinde specialiter quo pacto mundum, & omnem eius ornatum crearit. 3. Et quid circa populum suum Israeliticum fecerit. 4. Vnde ad primam exhortationem, vnde cœperat, redit.

1. COnfitemini *& cum laude gratias agite* Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum

æternum sæculum misericordia *&* *gratia* eius.

Confitemini Deo Deorum, *qui trinus est &* *vnus*, quoniam in æternum misericordia eius.

Confitemini Domino Dominorum, quoniam in æternum misericordia eius.

2. Qui facit mirabilia magna, *& ab intelligentia nostra penitus separata* solus, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui fecit cælos in intellectu, *summo artificio ac sapientia*, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui *expandit &* firmauit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia eius.

Solem in potestatem *ac dominium* diei, *vt illi præsit*, quoniam in æternum misericordia eius.

Lunam & stellas in potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia eius.

3. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui eduxit Israël de medio eorum, quoniam in æternum misericordia eius.

In manu *forti ac* potenti, ac brachio excelso *extentóque*, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui diuisit *ac quasi discidit* mare rubrum (*siue cannæ & arundinis rubræ*) in *partes ac* diuisiones, quoniam in æternum misericordia eius.

Et eduxit *ac transire fecit* Israël per medium

eius, quoniam in æternum misericordia eius.

Et excussit, *& euertēs submersit* Pharaonem, & virtutē *exercitumq;* eius in mari rubro, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui traduxit *& ambulare fecit* populum suum per desertum, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui percussit Reges magnos, quoniam in ęternum misericordia eius.

Et occidit Reges fortes, quoniam in æternum misericordia eius.

Seon Regem Amorrhæorū, quoniam in ęternum misericordia eius.

Et Og Regem Basan, quoniam in æternum misericordia eius.

Et dedit terram eorum *in* hæreditatem, quoniam in æternum misericordia eius.

Hæreditatē Israël seruo suo, quoniam in æternum misericordia eius.

Quia in humilitate *& afflictione* nostra memor fuit nostri, quoniam in æternū misericordia eius.

Et redemit nos ab inimicis nostris, *qui angustiis nos afficiebant*, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui dat *panem &* escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius.

4. *Ergo* confitemini, *dico*, Deo cæli, *qui supra omnem naturam est positus*, quoniam in æternum misericordia eius.

(Confi-

(Confitemini Domino Dominorũ, *qui ſupra omnes homines conſtitutus eſt*, quoniam in æternum miſericordia eius.)

EXPLANATIO.

Domino] Nota ter hîc Dei nomen poni, ad Trinitatem deſignandam. Primò quidem abſolutè per ſe, per nomen Tetragrammaton, quod Deum trinum & vnum deſignat. Secundò autem, quòd eum vocat Deum deorum, vt ſupra omnes Angelos in cęlo eſſe intelligatur. Tertiò Dominum Dominorum, vt ſupra omnes homines in terra.

PSALMVS CXXXVI.

Titulus.

(Pſalmus Dauid, propter Ieremiam.)

Argumentum.

1. INducit Propheta loquentes eos qui captiui in Babylonia detinebantur, & ſuſpenſis præ mœrore inſtrumentis muſicis, ad cantandum à Babyloniis per irriſionem inuitabantur. 2. Quibus ipſi reſpondent, non poſſe ob memoriam patriæ cantare ſe in terra aliena 3. Vnde ad Deum deprecandum ſe conuertunt, vt liberari aliquando poſſint. 4 Et ad ipſos Babylonios, vt iuſtam de iis aliquando ſumant vindictam, quemadmodum fiebat in exciſione regni Chaldęorum.

1. SVpér flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus, dùm recordaremur tui Sion.

In ſalicibus *quæ ſunt paſſim in Babylonia ad ripas fluminum*, in *ipſo* medio eius ſuſpendimus *citharas & organa* noſtra.

Atque id quidem præ ſummo animi mœrore: quia illic interrogauerunt nos, *& poſtulabant à*

nobis qui captiuos duxerunt nos, verba cãtionum.

Et qui abduxerunt nos *citharis ſuſpenſis, nos deridentes, pro vlulatu exquirebant* hymnum *&* *lætitiam, dicentes*: cantate nobis de canticis Sion.

2. *Quibus autem nos reſpondebamus*, quomodo cantabimus canticum Domini, *extra patriam*, in terra aliena, *vbi verus Deus non agnoſcitur*?

Etenim ſi oblitus fuero tui Ieruſalem, *quæ ſola ciuitas ſancta es, & veri Dei ſedes*; obliuioni detur *vel propria* dextera mea, *ipſaq́ obliuiſcatur artis ſuæ pulſandi citharam.*

Et adhæreat lingua mea faucibus meis, *ita vt prorſus nequeam cantare*, ſi non meminero tui.

Si non, *inquam*, propoſuero *& extulero* Ieruſalem in *capite ac* principio lætitiæ meæ.

3. *Quod cùm ita ſit*; memor eſto, *quæſo, vel tandem* Domine, *hoſtium noſtrorũ*, filiorum Ædom, *& recordare quàm crudeliter concitatis Babyloniis, nos tractarunt Jdumæi* in die *illa quà hoſtiliter diripiebatur* Ieruſalem.

Qui, *inquam, vti tum dicebant, ita adhuc hodie pergunt ac* dicunt *quotidie*, exinanite, exinanite, *ac diripite totam ciuitatem, eruite ipſam* vſq. ad *vltimum* fundamentum *quod eſt* in ea.

4. *O* filia Babylonis *quæ nunc exſultas, quia nos afflixiſti, quàm viciſſim eris* miſera, *& omni ex parte deuaſtata*! beatus *ſanè* qui *iure talionis* retribuit tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

Beatus

Beatus, *dico*, qui *te comprehensam* tenebit, & *raptos ab vberibus* allidet paruulos *liberos* tuos ad petram.

EXPLANATIO.

Dauid propter Ieremiam] Hoc sic accipi potest, quòd hic Psalmus vel à Dauide spiritu prophetico factus est, & à Ieremia tempore captiuitatis Babylonicę decantatus: vel quod à Ieremia factus est, ad imitationem Psalmorum Dauidis. apud Hæbreos nulla est inscriptio.

Supra omne nomen tuum] Sententia ex Hebræo est, super omnia nomina Dei illud esse nobilissimũ, quòd Deus Verbum dicitur: siue Verbum Domini, qui est Christus, supra omnia illius esse nomina.

PSALMVS CXXXVII.

Titulus.

Psalmus cantatus ipsi Dauid.

Argumentum.

1. PRimùm agit Deo gratias Dauid de præteritis, 2. Deinde orat pro futuris, vt tanto maiores gratias agat, nõ ipse solùm, sed & omnes principes cum eo. 3. Tum confidentiam suam in Deo commemorat, rogans vt quod bene cœptum est, perficiatur.

1. COnfitebor *& gratias agam* tibi (Domine) in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu *deorum &* Angelorum, *iudicũmque ac magnatum populi*, psallam tibi: adorabo *& incuruabo me* ad templum sanctum tuum, & confitebor *ac canam* nomini tuo.

Idq́; super misericordia tua, *in peccatis condo-*

nandis, afflictisq; iuuandis;& veritate tua, *in promissis semper præstandis*: quoniam magnificasti *&* *celebre fecisti* super omne *id quod est*, nomen sanctum tuum, *& verbum eloquiumq; tuum.*

2. *Quod quidem cùm ita sit circa præterita & circa futura;ô Domine*,in quacumque die inuocauero te,exaudi,*quæso*,me,*votis meis respondens*: *id enim si facias*,multiplicabis in anima mea,*& quasi superædificabis* virtutem *ac fortitudinem, ad te magis ac magis prædicandum.*

Quod quidem opto vt non ego solus faciam.sed& vnà mecum confiteantur *& canant* tibi Domine omnes Reges terræ, quia audierũt (omnia) verba *& promissa* oris tui,*quæ in nobis perfecisti.*

Et *ob id ad te se applicãtes*, cantent,*ambulantes* in viis Domini, *ac dicãt* quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit,& alta à longè cognoscit.

3. *Profectò*,si ambulauero *vel* in medio tribulationis *& angustiæ, tu* viuificabis me, & super iram *ac furorem* inimicorum meorum *extendes, vt sæpe* extendisti, manum tuam; & saluum me *faciet, vti frequenter* fecit, dextera tua.

Dominus *enim* retribuet *iis* pro me,*& perficiet quod cœpit:etenim,ô* Dñe,misericordia tua in sęculũ *durat*, *quare nos* opera manuũ tuarũ ne despicias;*& quod tam bene instituisti in me opus,ne intermittas aut deseras, sed quemadmodũ cœpisti perge.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Omnes Reges terræ] Optat vt Christi gloria per omnes fines terræ diffundatur, quemadmodum fiet.

PSALMVS CXXXVIII.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, missus* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. ALloquens vir sanctus Dominum, ait se exploratum ab eo
esse & penitus cognitum in omnibus cogitatis, dictis, & fa-
ctis suis. 2. Quod quidem ea re fieri dicit, quia scientia Domini,
quæ nobis incóprehensibilis est, infinita est, & per omnia nostra se
extendit, & peruadit. 3. Quare ad eum laudandum se conuer-
tens, ait se contemplatione operum Domini infinitè delectari. 4 Et
quemadmodum amicos eius honore prosequitur, ita inimicos ex to-
to animo odisse. 5. In qua re si quid est dubitationis, orat vt Do-
minus ipsum probet; & si quid deesse videatur, suppleat.

1. DOmine *tu* probasti *& inuestigasti* me, & cognouisti (me:) tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam, *quicquid omnino aut stans aut sedens agam.*

Sed & intellexisti *malas* cogitationes meas do longè, *antequam in animum ipsum veniant*: semitam meam, *si qua inambulare velim*; & funiculum *stratumq́;* meum, *si quando velim accumbere*, inuestigasti, *& quasi circumdedisti, dum semper circa me versaris, & locum meum ipse ventilas.*

Denique rursus & omnes vias meas præuidisti, *sic vt nihil te fugiat*, quia non est sermo, *atque adeò*

ne verbulum quidem in lingua mea, *quod tu non multo antè pranoueris.*

2. Ecce *enim* Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua, tu *retrò & antè* formasti me, & posuisti super me manum tuam, *qua formam & & figuram oris mihi dedisti.*

Ad cuius quidem rei contemplationem me conuertens, mirabilis facta est scientia (*tua,*) *& longè posita* ex me, *mirumq; in modum supra captum meũ collocata: penitus* confortata *& exaltata* est, & non potero *vllo modo pertingere* ad eam, *propterea quod cùm ego finitus sim, illa infinita est, & per omnia se extendens.*

Nam quò ibo à spiritu tuo, *vt illinc euadam*; & quò à facie tua fugiam, *vt ab eius cõspectu lateam?*

Si adscendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum, *ibiq; lectum mihi strauero*, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo, *easq; tamquam alas ipsius aurora*, & *sic vno quasi momento ab Oriente volans ad Occidentem* habitauero in extremis maris,

Nihil adhuc proficiam: etenim *&* illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Quin & dixi *aliquando*, forsitan tenebræ conculcabunt *& obtegent* me; & *vtens illis pro luce*, nox *erit mihi* illuminatio mea in deliciis meis.

Et tamen nihil omnino proficiebam, quia tenebrę non *sunt tenebra, nec* obscurabuntur à te, *quo minùs me videas*: & nox sicut dies illuminabitur;

&

& ficut *funt* tenebrę (eius,) ita *eſt* & lumen (eius.)

Quod quidē ideo fit, quia tu *in ipſis intimis meis hærens*, poſſediſti renes meos, *&* ſuſcepiſti me de vtero matris meæ, *vbi admirabili quadam ratione me contexiſti ac cooperuiſti.*

3. *Quare* confitebor *& gratias agam* tibi, quia terribiliter magnificatus es *in me formando* : *&* mirabilia *ſunt omnia* opera tua, & anima mea cognoſcet nimis, *quàm omnia mea tibi ſint curæ.*

Non eſt *enim* occultatum *vel vnum* os meum à te, quod *ipſe* feciſti in occulto *cum textura &* & ſubſtantia mea, *neruis & venis aliiſq; rebus mirabiliter implicata, & quaſi acu picta, per te fieret in intima vulua, tamquam* in inferioribus terræ.

Imperfectum *& informem adhuc fœtum* meum viderunt oculi tui, & *tum eo ipſo tempore* in libro tuo *iam* omnes *artus & dies mei deſcripti erant, & in poſterum perpetuò* ſcribentur. *Ac quamquam quidem per ſuos quique* dies *poſtea* formabuntur, *tu tamen eos omnes antè cognoſcis*, & nemo *eſt, nulluſq; dies* in eis, *quem tu non priùs probè noris.*

Quod quidem cum animo meo reputans, enimuero mihi autē nimis, *& ſuprà quàm dici queat precioſæ & admirabiles cogitationes illæ tuæ viſæ ſunt, &* honorificati *mihi facti* ſunt amici *illi* tui, *omniúq; ex parte beneuoli actus*, ô Deus: nimis, *dico*, confortatus *& multiplex viſus* eſt principatus *& ſumma* eorum.

Nam ſi fortè repetitis principiis dinumerabo

 eos,

eos, *extendentur in infinitũ*, & super arenam multiplicabuntur: *& si euigilans* exsurrexi, *fortasse vt eos comprehendam, æque parum explico; incepi enim summo mane*, & *ecce imo hoc vespere* adhuc sum tecum, *versans animum in omnes partes, nec aliud inueniens, quam tantã operum tuorum esse admirabilitatem, vt nullo ingenio humano comprehẽdi possint; sed veri pij viri officium esse, illis semper nõ ad penitus intelligendum, sed colendum, cum summa reuerentia adhærere, nec vnquã à te vel latum vnguẽ discedere.*

4. *Quod quidem ego faciens, vti amicos tuos honoro, eorumq; prosperum successum ac multiplicationẽ in summo precio habeo, exsuscitans me ea re tamquam ex somno, & tibi semper adhærens: ita è contrà non possum non aduersus impios, qui tantopere te negligunt ac contemnunt, grauissimè sæpe commoueri, dicens*: si occideris, ô Deus, peccatores, *quàm præclarum opus feceris, & vos* viri sanguinum, *qui effundendo sanguine delectamini*, declinate *& recedite* à me.

Vos, inquam, qui *scelerata & abominabilia* dicitis *aduersum Deum* in cogitatione *vestra. fac, quæso, ô Domine, vt* accipiant *& exsuscitent contra te* in vanum *sine vllo effectu* ciuitates *& vires* suas, *& frustra se opponant nomini tuo.*

In qua quidem verba quòd prorumpam, non alia re fit, quàm zelo aduersum eos qui te persequuntur: nónne *enim* (*nam tu id scis*) qui oderunt te Domine, *semper* oderam, & super inimicos tuos,

qui

qui aduersum te insurgũt, indignatus tabescebam?

Enimuero perfecto, *& ad summum vsque terminum adducto* odio oderam illos, & *capitales* inimici facti sunt mihi.

5. *Et si quid dubitationis ea de re esse, aut boni adhuc zeli deesse mihi videatur*, proba me Deus, & scito *penitus* cor meum, *&* interroga *& explora* me, & cognosce semitas *ac cogitationes* meas.

Et vide si via iniquitatis *& irritationis derisionisq́*, in me est, *qualis est in illis impiis*: & *si id inuenias*, deduc me in via æterna, *corrigens me quemadmodum oportet*; *&, si non obtemperem, vel morte me afficiens*.

EXPLANATIO.

Amici tui] Quoniam ista vel ad opera Domini, vel ad eius cultores referri possunt, ideo vtramque expositionem posuimus in Paraphrasi, vnam decimo sexto versu, alteram decimo octauo.

PSALMVS CXXXIX.

Titulus.

In finem, *siue ad summum præfectum chori musici, cantandus missus* Psalmus Dauid.

Argumentum.

1. IMplorat vir sanctus auxilium contra calumniatores & hostes suos. 2. Idque interposito diapsalmate repetit. 3. Vnde post alterum diapsalma, ad intentiùs precandum reuertitur. 4. Quo facto, post tertium diapsalma iam se exauditum ait, foreque vt mali malè pereant, boni autem Deo gratias agant.

1. ERipe me Domine ab homine malo, à viro iniquo *& iniusto* eripe *ac custodi* me.

Ab

Ab illis, inquam, qui cogitauerunt *mala &* iniquitates in corde,*&* tota die *congregabantur &* constituebant prælia.

Qui acuerunt linguas suas sicut serpentes, *&* venenum aspidum sublabiis eorum. *Ita profectò res est*, Sela.

2. Custodi me Domine de manu peccatoris *impij*, & ab hominibus *violentis &* iniquis eripe me.

Ab his, dico, qui cogitauerunt supplantare *ac subuertere* gressus meos: *nam* absconderunt *homines contumaces ac* superbi *rete siue* laqueum mihi.

Et funes extenderunt in *rete ac* laqueum *pedibus meis, ac* iuxta iter, *quà transeundum mihi est*, scandalum *ac offendiculum & tendiculas* posuerũt mihi. *Sic sanè se habet*, Sela.

3. *Quod vides*, dixi Domino, Deus *fortis* meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

O Domine *Deus*, Domine *qui es* virtus *ac fortitudo* salutis meæ, *&* obumbrasti super caput meum, *idq́; semper protexisti* in die belli:

Ne tradas me *nunc tu, dico*, Domine à desiderio, *prout impij optant, hosti* meo peccatori: *& quæ* cogitauerunt contra me, ne, *quæso, perficias, aut in opus educi sinas*: *neque* derelinquas me, ne, *si* fortè *id facias*, exaltentur, *& superbia se efferant. Verùm eia eia*, Sela: *extollamus vocem.*

4. *Ecce enim iam Dominus exaudiuit me ipse princeps ac* caput circuitus *& cœtus* eorum *qui me circum-*

circumdare student: sub suis propriis machinis peribit, & labor *ac virus* labiorum ipsorum, *quod in me flare conantur,* operiet eos.

Cadent super eos carbones *ardentes,* in ignem deiicies eos: *in foueas profundas abs te detrusi,* in miseriis *suis* non subsistent, *nec vnquam emergent aut resurgent ex ipsis foueis.*

Denique vir linguosus, *& vaniloquus verbis,* non dirigetur *nec stabilietur vnquam* in terra, *&* virum iniustum *factis* mala *tamquam venatores persequentur, &* capient *eum* in interitu, *ad perpetuam ruinam & internicionem ipsius.*

Scio enim, & planè cognoui, quia *licet tardare nonnumquam videatur,* faciet *tamen ad extremum* Dominus iudicium *& vltionem* inopis, & vindictam pauperum, *sic vt scelerati & impij confundantur & pereant.*

Verumtamen *è contrà* iusti confitebuntur *& gratias agent* nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo, *sedentes ac versantes coràm facie tua.*

Explanatio.

Faciet Dominus] Pulchra est anthithesis præmij malorum & bonorum, quorum finis est, Deo perpetuas gratias agere, & cum eo habitare.

PSALMVS CXL.

Titulus. Pſalmus Dauid.

Argumentum.

1. PEtit Dauid exaudiri orationem ſuam, ne quid mali faciat aut cogitet, vel cum malis ſe iungat. 2. Dicens, ſe à conſuetudine illorum penitùs abhorrere: quoniam licet bonos ſubinde audire videantur, reuera tamẽ ſemper aliquid aduerſum ipſos machinantur. 3. Quare aduerſum eos cuſtodiri, & liberari ab iis optat.

1. DOmine clamaui ad te, *feſtina, &* exaudi me: intende voci meæ, cùm clamauero ad te.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum *ſuffimentum thuris* in conſpectu tuo, *&* eleuatio manuum mearum *ſit tamquam* ſacrificium veſpertinum, *quod, quia abſum, offerre non poſſum.*

Atque id quidem vt rectè faciam, & quemadmodum oportet orem, pone, *quæſo*, Domine cuſtodiam ori meo, & *ſerua* oſtium circumſtantiæ labiis meis: *ne aliter orando efferar quàm debeo, aut aliquem offendam.*

Ac non declines cor meum in verba *& res* malitiæ, *nec* ad *cogitandum ac tentandum res malas & impias*, *&* excuſandas excuſationes in peccatis.

Neque ad verſandum cum hominibus operantibus iniquitatem, *& comedendum ex deliciis eorum: nam* non communicabo *prorſus* cum electis *& principibus* eorum.

2. *Imò* corripiet me iuſtus in miſericordia *&* benigni-

benignitate, & increpabit *percutiétque* me, *& erit mihi gratum: cæterùm* oleum autem peccatoris *vel præstantissimum* non *volo vt* impinguet caput meum:*adeò à bonis castigari, quàm à malis vngi, malo.*

Quoniam *hoc est quod semper petij, &* adhuc *peto*, & *ad hoc tēdit hac* oratio mea,*ne vmquam delecter* in beneplacitis eorū, *& vt liberer à malitiis eorum:etenim ob peccata sua* absorpti sunt *tāquam* iuncti petræ,*allidentes ad scopulum in mari* iudices,*ac principes,doctoresq́;* eorum.

Audient *quidem illi nonnumquam* verba mea, quoniam *cùm decora sint & suauia;id* potuerunt *aliquādo ab se impetrare:sed quid id prodest?etenim* sicut *agricola proscindente ac secante agrum*,crassitudo terræ *fungosa* erupta est super terram, *propter fissuras & subactionem eius:*

Ita illis nos persequentibus, dispersa ac dissipata sunt ossa nostra secus infernum, *dum ad ostium vsque mortis ac sepulchri deducimur,idq́; ob id,* quia ad te, ô Domine,Domine, *respiciunt* oculi nostri: *equidem* in te speraui,non auferas,*quæso,nec dissipari sinas* animam meam.

3. *Sed contrà* custodi me à laqueo quem statuerunt *ac tetenderunt* mihi,& *serua me* à scandalis *ac tendiculis* operantium iniquitatem.

Enimuero,quantumcumque dux eorum malè mihi machinetur,confido per te, quòd cadent in retiaculo eius *ipsi impij &* peccatores : *quodq́; dum* singula-

singulariter *& separatim ab iis* sum ego, *ipsi se inuicem conficiendis occupati erunt*, donec *ego interim saluus* transeam.

EXPLANATIO.

Excusandas excusationes] Cùm pergraue sit peccare, tamen omnium grauissimum est, excusare peccatum tamquam non factum; vel, quod deterius est, tamquam bene factum; ac maximè quidem apud seipsum, quod omnium pessimum.

PSALMVS CXLI.

Titulus.

Intellectus, *siue carmen eruditiuum* Dauid, *eiusq;*, cùm esset in spelunca, oratio.

Argumentum.

1. DAuid in spelunca latitans, solum Deum se inuocare ait, reliqua ope humana omni destitutus. 2. Ad quem se conuertens, illius auxilium implorat.

1. VOce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu eius *eloquium &* orationem meam, & tribulationem *& angustiam* meam ante ipsum *coram facie eius* pronuncio.

Idq; in deficiendo ex me spiritum meum, *dum ille mœrore & anxietate collabitur* : & *enim* tu cognouisti semitas meas, *& innocentiam meam*, *& quàm dura tamen præter meritum patiar.*

Quippe in via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi, *ad me capiendum.*

Quod

Quod ego animaduertens, confiderabã ad dexteram, *huc & illuc me vertens*, & videbam *ánne quis esset qui opem ferret*; & non erat qui cognofceret me, *vt & ipse videbis, si animaduertas*.

Denique periit *prorsus* fuga à me, *sic vt omni effugio destituar*, & non eſt qui requirat animam meam, *vel aliquam mei curam gerat*.

2. *Quare* clamaui ad te Domine, dixi, tu es ſpes mea: *reliquis amissis, tu solus mansisti mihi vera pars &* portio mea in terra *hac* viuentium.

Intende, *quaso*, ad *clamorem ac* deprecationem meam, quia humiliatus, *& afflictus, attenuatusq;* ſum nimis.

Libera me à perſequentibus me, quia *per me nihil possum: quoniam praualuerũt viribus, &* confortati ſunt ſuper me.

Educ de *carcere, &* cuſtodia, *speluncaq; hac, in qua conclusus lateo*, animam meam, *vt causam habeam* ad confitendum nomini tuo, *tibiq; gratias agendi: etenim* me exſpectant *omnes boni ac* iuſti, donec retribuas *ac benefacias* mihi, *vt læti ad me accurrant, méque studio gratulandi tamquam corona circumdent, æstimantes meam retributionem, suam esse coronationem.*

Explanatio.

Retribuit] Quemadmodum Deus iuſtitiam à nobis exigit, ita & præmium ei rei propoſuit.

PSALMVS CXLII.

Titulus.

Psalmus Dauid (quando persequebatur eum Absolon, filius eius.)

Argumentum.

1. COnstitutus Dauid in periculo ob peccata sua, implorat Dei misericordiam: quoniam si iure agatur, non posset consistere. 2. Dicens, se, dum has persecutiones patitur, memorem fuisse patrum antiquorum, quo pacto semper à Deo ex omnibus malis fuerint liberati. 3. Quare & ipse ad illum se conuertens, opem eius implorat. 4. Quod ita fore omnino confidit.

1. DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam, in veritate tua, *qua promisisti veniam & misericordiam pœnitentibus*, exaudi me; & in tua iustitia, *qua quæ promisisti seruas, responde votis meis.*

Et non intres in iudiciú, *exigendo exactè rationem omnium debitorum*, cum seruo tuo: quia *id si facias*, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, *nemoq; mortalium plenè perfecteq; iustus & insons reperietur.*

2. *Etenim* quia persecutus est inimicus animam meam, & humiliauit *ac contriuit* in terra vitam meam:

Sic vt, dum huc & illuc fugio, collocauit & *habitare* me *fecit* in obscuris *speluncis*, sicut mortuos sæculi, *qui iam à multis annis defuncti in sepulcris abditi iacent:* & anxiatus *ac mœrore affectus* est

super

ſuper me ſpiritus meus, & in me, *ac medio mei*, turbatum eſt *& obſtupuit* cor meum:

Ideo memor fui dierum *& patrum* antiquorum;& meditatus ſum in omnibus operibus tuis, *quibus ſeruis tuis ſemper opem tuliſti*: & in *admirabilibus illis* factis manuum tuarum, *quæ pro illis præſtabas, tacitè mecum muſſitans*, meditabar.

Atque ea conſiderans, ipſe quoque auxiliũ tuum implorans, expandi manus meas ad te, *fuitq́;* anima mea ſicut terra ſine aqua, *ſitiens ad te, & tibi tota adhærens; vel vſque ad laſſitudinem, ſicut terra nimium ſubacta. Ita profectò res eſt*, Sela.

3. *Dixi, feſtina*, velociter exaudi me,& *reſponde votis meis* Domine, defecit *enim* ſpiritus meus.

Non auertas *nec abſcondas* faciem tuam à me: *id enim ſi facias, mox periero*, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum *ac ſepulcrum*.

Auditam fac mihi *ſine mora, primo ſtatim* mâne miſericordiam *ac clementiam* tuam, *vt ſentiam eam*, quia in te ſperaui.

Et notam fac mihi viam in qua ambulem, *ad hoſtium animi & corporis inſidias euitãdas*, quia ad te leuaui animam meam.

Denique eripe me de inimicis meis Domine; ad te *enim* confugi, *ac clamaui, vt in te me abſconderem: &, ne ampliùs peccem*, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

4. *Secundùm quod* Spiritus tuus bonus deducet me, *ſat ſcio, & planè confido*, in terram rectam,

per viam, qua declinatis omnibus hostibus, sine circuitione ad te itur, & propter nomen tuum Domine, *quod à bonitate ac iustitia deducitur.* viuificabis me in æquitate *ac iustitia* tua, *præstando promissa; vt hac ratione, facta nomini tuo respondeant.*

Educes, *inquam*, de tribulatione & *angustia* animam meam, & in misericordia *ac bonitate* tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant & *affligunt* animam meam, quoniam ego seruus tuus sum.

Explanatio.

Non iustificabitur] Neminem in hac vita tam iustum esse, quin misericordia Dei indigeat, iam antè dictum est. Iustum tamen esse posse aliquousque, & opera eius Deo placere, infinita scripturæ loca declarant; inter cætera, quod Zacharias & Elizabeth ambo iusti ante Deum dicuntur, Ioseph vir iustus, cum similibus.

Psalmus CXLIII.

Titulus.

Psalmus Dauid (aduersus Goliath.)

Argumentum.

1. Imploraturus Dei auxilium vir sanctus contra hostes, primùm laudes illius prædicat, suumque refugium eum vocat; non merito quidem suo, quoniam homo per se nihil est, sed per summam eius bonitatem. 2. Vnde pòst ad orandum se conuertens, rogat Dominum vt hostes suos conficere velit. 3. Quos verum Deum non agnoscentes, summum bonum in multitudine liberorum, fructuum terræ, & pecorum, immunitateque ab ho-stibus;

ftibus, fame, & pestilentia, ponere ait. 4. Cùm contrà, verum tamm im bonum, veraque beatitudo sit, veri Dei cultus & agnitio.

1. BEnedictus Dominus *fortis petra mea, &* Deus meus, qui docet *ac instruit* manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Qui est misericordia mea, & *arx, ac* refugium meum: susceptor meus, *à quo robur accipio*; & liberator meus, *qui salutem mihi præstat.*

Qui tamquam scutum protector meus *est*, & in *quo* ipso *semper* speraui: qui subdit populũ meum sub me, *vt mihi obediat, idq́; non pro merito meo, sed pro summa ipsius bonitate.*

Nam per se, Domine, quid est homo, quia innotuisti ei, *eumq́; ipse agnoscis?* (aut) *quid est* filius hominis, quia reputas eum?

Certè si ex vero expendenda res est, homo vanitati *ipsi ac nihilo* similis factus *ac creatus* est: dies eius sicut vmbra *Solis occidentis* prætereunt, *adeò vt nihil habeat, nisi abs te.*

2. *Quod quidem cùm ita sit*, ô Domine, *egoq́; iam ab hostibus premar*; inclina, *quaeso*, cælos tuos, & descende; tange montes *istos altos, homines impios ac superbos*, & fumigabunt, *ac tamquam puluis euanescent.*

Fulgura coruscationem, & *continuò* dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis *& penitus consumes* eos.

Emitte manum tuam de alto: eripe me, & libera me de aquis *& vndis aduersitatum* multis, *&* de

manu filiorum *à vero Dei cultu* alienorum.

Quorum os locutum eſt vanitatem *ac mendacium,quantum ad dicta*;& dextera eorum,dextera *eſt falſitatis &* iniquitatis,*quantum ad facta.*

Quod ſi facias, ô Deus, canticum nouum cantabo tibi,*ob noua beneficia praſtita*: in pſalterio & decachordo pſallam tibi:

Dicens te illum eſſe, qui das ſalutem Regibus, & qui redemiſti Dauid ſeruum tuum:de gladio maligno,*ergo iterum dico*,eripe,*obſecro*,me.

Et erue me de manu filiorum *illorum abs te* alienorum,quorum os,*vt dixi*, locutum eſt vanitatem,& dextera eorum,dextera iniquitatis.

3. Quorum *ſummum votum in hoc tamquam ſummo bono ac beatitudine conſiſtit*, *vt* filij *eorum ſint* ſicut nouellæ *arborum* plantationes, *qua eleganter creſcunt* in iuuentute ſua.

Et filiæ eorum compoſitæ, & circumornatæ vt ſimilitudo *colūna angularis* templi,*qua eleganter inciſa, & multis donariis ornata eſt.*

Item vt anguli & promptuaria eorum plena *ſint*, eructantia *nidorem cibi*, & *ſuperfluidentia frumentum*, *quod in iis redundat*, ex hoc *penario* in illud.

Porrò vt oues eorum fœtoſæ *ſint*, *ſic vt multa pariant*; & abundantes, *ſic vt in multa millia excreſcant,& appareant* in ingreſſibus, & *compitis, plateiſq;* ſuis:*nec non* boues eorum craſſæ, & *ad laborem valida.*

Quibus

Quibus & hoc accedat, quòd non eſt ruina *vel confractio, ne vnius quidem* (maceriæ) *in muris eorum per vim hoſtilem*; neque tranſitus *aut emigratio ab vno loco ad alium, ob famem ac ſterilitatem, vel abortionem animalium ipſorum*; neque *denique vlulatus aut* clamor in plateis, *propter morbos peſtilentes, & mortes* eorum.

4. *Enimuero* beatum dixerunt *illi* populum cui hæc ſunt: *verùm nobis autem ille demum* beatus *eſt ac dicitur* populus, cuius Dominus *cæli & terræ eſt* Deus eius, *quod caput eſt omnium, cùm reliqua non niſi adiectitia, & per ſe vana ſint, niſi ad Deum referantur.*

Explanatio.

Vanitati ſimilis factus eſt] Creatus enim eſt ex nihilo, cuius naturam per ſe refert, niſi à Deo eſſentiam accipiat.

Psalmvs cxliiii.

Titulus.

Laudatio *Domini*, *ſcripta* ipſi Dauid.

Argumentum.

1. Dicens Propheta ſe laudes Domini cantaturum, primùm de illius tractat omnipotentia, ſeipſum loquentem introducẽs. 2. Deinde de bonitate, vbi pios loquentes facit. 3. Tum de prouidentia & regno, vbi opera ipſa loquuntur. 4. Poſt quæ omnes ſimul tum quidem ſapientiam eius, & bonitatem canunt in miſeris ſubleuandis, & alendis cunctis: 5. Tum autem iuſtitiam &

misericordiam erga eos qui verè illum inuocant, & colunt. 6. Post quod id dicens Propheta ad id vnde cœperat, perpetuò se Deum laudaturum ait.

1. EXaltabo *& laudibus efferam* te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum *æternum, &, si quid vltrà est*, in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo *apud me* nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

2. *Dicens*, magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis, *nec plena inuestigatio aut inuentio.*

Generatio & generatio laudabit opera tua: & *narrans ea altera alteri, fortitudinem ac* potentiam tuam *ambæ* pronunciabunt.

Magnificentiam *ac decorem* gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia *facta* tua narrabunt, *& ego tacitè vnà cum illis.*

Et virtutem *ac fortitudinem* terribilium *operum* tuorum dicent, & magnitudinē tuam narrabunt.

Memoriā *multitudinis &* abundantię suauitatis *ac bonitatis* tuæ *loquentur, & quasi* eructabūt, & *in* iustitia tua exsultabunt, *eamq; vbiq; predicabūt.*

3. *Dicentes, clemens ac* miserator & misericors Dominus; patiens, *ac tardus ad iram*, & multum *promptus vt sit* misericors.

Quinimo suauis *quidem ac bonus est* Dominus vniuersis: *cæterùm misericordia* & miserationes eius *extendunt se & efferunt* super omnia opera eius,

eius, *ita vt omnium operum ipsius sit supremum, ac latissimè diffusum.*

Quod cùm ita sit, confiteantur, *&* *laudem dicant* tibi Domine omnia opera tua: & sancti tui, *quos misericordiâ complexus es*, benedicant tibi.

4. *Quod cùm facient*, gloriam regni tui dicent, & *fortitudinem, ac* potentiam tuā loquētur.

Vt notam faciant filiis hominum potentiam *ac fortitudinem* tuam, & gloriam magnificentiæ *ac decoris* regni tui.

Regnum *enim* tuum, regnum *est* omnium sæculorum *&* *orbium*, & dominatio *ac potestas* tua in omnem generationē & generationē *se extēdit.*

5. (*De te verè omnes vnà dicimus*, fidelis *&* *verax* Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus *ac bonus* in omnibus operibus suis.)

Alleuat *ac sustentat* Dominus omnes *nutantes*, qui corruunt; & erigit omnes elisos, *qui iam sunt collapsi.*

Oculi omnium in te sperant *ac spectant* (Domine:) & tu das *ipsis* escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuā, & imples *ac satias* omne animal benedictione, *refectioneq́ ei conuenienti.*

Nam verissimum est quod de te dicitur, iustus Dominus in omnibus viis suis, *tribuens vnicuique quod ei conuenit*: & *præter hoc etiam bonus, ac* sanctus *misericorsq́*, in omnibus operibus suis, *condonans facilè si quid peccatur.*

Etenim propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus, *dico*, inuocantibus eum in veritate, *& ex animo, eaq; fide, puritate, & fiducia qua decet.*

Quod cùm fiet, volũtatem timentium se faciet, & *clamorem ac* deprecationem eorùm exaudiet, & saluos faciet eos.

Custodit *quippe* Dominus omnes diligentes se: & *cõtrà*, omnes peccatores *& impios* disperdet.

6. *Quod cùm ita se habeat*, laudationem Domini loquetur os meũ: & *dicet*, benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum *æternum*, & *si quid est vltrà*, in sæculum sæculi.

EXPLANATIO.

Super omnia opera eius] Suauitas Domini ex bonitate eius est, qua omnes superat in rebus creandis; misericordia autem suprema pars bonitatis, qua etiam seipsum superat in peccatis condonandis: sic vt nullum maius eius sit opus, quàm exercitium misericordiæ.

PSALMVS CXLV.

Titulus.

Laudate Dominum Alleluia, *carmen* Aggæi & Zachariæ.

Argumentum.

1. DEum se perpetuò laudaturum vir sanctus ait. 2 Dicens, non esse confidendum in hominibus: 3. Sed in vno Deo, qui omnia facit solus.

1. LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in *tota* vita mea, psallam *ac canta-*

cantabo Deo meo *in omni opere meo*, quamdiu fuero: *eo enim ſolo nitor, ac fido.*

2. *Nam quòd alibi auxilium ſe quiſquam putet inuenturum, enimuero* nolite confidere in principibus; in filiis, *dico*, hominum, in quibus *vtique* non eſt ſalus.

Exibit *enim* ſpiritus eius *vitalis*, & reuertetur in terram ſuam: *&* in illa die peribunt (omnes) cogitationes eorum.

3. *Caterùm* beatus *autem* cuius Deus, *Deus* Iacob *eſt*: *& cùm is* adiutor, *& in auxilio* eius *eſt*, *viciſſim ſic ſe parat, vt* ſpes eius *ſit* in *illo vero* Domino *ac* Deo ipſius, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt.

Qui cuſtodit, *inquam*, veritatem, *& ſeruat fidem* in ſæculum *perpetuum*, facit iudicium iniuriam *per vim & calumniam* patientibus, *&* dat *panem &* eſcam eſurientibus.

Dominus *enim* ſoluit *vinctos per iniuriam ac* compeditos, Dominus illuminat cæcos *animo, & oculis quos aperit.*

Dominus erigit eliſos *ac collapſos*, Dominus diligit iuſtos.

Dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet *ac ſubleuabit*, & vias *impiorum ac* peccatorum *diſtorquebit ac* diſperdet.

Denique regnabit Dominus in *ſempiterna* ſæcula, *qui eſt* Deus tuus, ô Sion, in generatione & generationem. *Laudate Dominum*, Alleluia.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Aggei & Zachariæ] Carmen est Dauidis, cantatum vulgò temporibus horum Prophetarum.

PSALMVS CXLVI.

Titulus.

Laudate Dominum, Alleluia.

Argumentum.

1. HOrtatur Dauid ad laudes Deo canendas, enumerans illius beneficentiam, sapientiam, & potentiam erga bonos & malos, pro cuiusque merito. 2. Vnde iterum ad cohortationem rediens, dicit eum illum esse: qui omnia creat ac producit, ad quem ritè colendum, non exteriora, sed interiora sunt spectanda.

1. LAudate Dominum, quoniam bonus est *omnis cantus ac* psalmus *qui fit* Deo nostro *: quoniam, inquam*, iucunda decoraque *est omnis* laudatio *quæ fit de eo.*

Quippe ædificans *ac restaurans nunc* Ierusalem Dominus, dispersiones, *& passim iam disiectos filios* Israëlis, *in vnum* congregabit.

Is enim est qui sanat contritos corde, & alligat *plagas ac* contritiones, *& lenit dolores* eorum.

Qui *nihil ignorans*, numerat multitudinē stellarum, & omnibus eis nomina vocat.

Magnus *enim est* Dominus noster, & magna virtus *ac fortitudo* eius, & sapientiæ *intelligentiæque* eius non est numerus.

Ac suscipiens mansuetos Dominus, *sublevat* *eos*

eos: humilians autem peccatores *& impios, deprimit eos* vſque ad terram.

2. *Quod quidem cùm ita ſit*, pręcinite, *dico, ac cantate* Domino, *quotquot eſtis pij*, in confeſſione *beneficiorum ab eo acceptorum*: pſallite Deo noſtro, *pſallite ei* in cithara.

Ipſe enim eſt qui operit cælum nubibus, & *præparat* terræ pluuiam.

Qui *per eam germinare facit ac* producit *vel* in *ſummis* montibus fœnum & herbam (ſeruituti hominum.)

Qui dat *nimirum* iumentis, *quæ hominibus ſeruiunt, panem &* eſcam ipſorum; & pullis *quoque* coruorum inuocantibus *& clamantibus ad* eum, *cùm à parentibus deſeruntur.*

Ad quem rectè colendum, non *ille quidem* in fortitudine equi *gaudebit, aut* voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei, *vt huius mundi principes ſolent:*

Sed beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, *quod primi gradus eſt*; & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, *quod ſecundi.*

EXPLANATIO.

Cælum nubibus] Nota pulchram gradationem: Ex nubibus pluuia eſt, ex pluuia herba, ex herbis aluntur iumenta ad ſeruitium hominum.

PSALMVS CXLVII.

Titulus.

Laudate Dominum, Alleluia.

Argumentum.

1. ADhortatur vir sanctus laudare Dominum, primùm à ciuitate Hierosolyma in pace constituta. 2. Deinde ab omnipotentia eius circa pluuias, niuem, & grandinem inducendam, eamque rursum soluendam. 3. Tum à lege sua populo Israelitico data.

1. LAuda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortauit seras *ac vectes* portarum tuarum: benedixit filiis tuis, *qui sunt* in te, *& in medio tui versantur.*

Is est qui posuit *terminos ac* fines tuos pacem, *vt tranquilli sint ab hostibus* : & adipe frumenti, *optimiq́; tritici*, satiat te, *qui effectus est pacis.*

2. Qui *cùm* emittit eloquium suum terræ, *ad pluuiam inducendam*, velociter currit sermo eius, *sic vt statim fiat quod dicit.*

Qui dat niuem *suam* sicut lanam, *&* nebulam *ac pruinam* sicut cinerem spargit.

Qui cùm vult, mittit *ac deiicit de cælo glaciem, &* crystallum suam *per grandinem frustatim* sicut buccellas: *&* ante faciem frigoris eius quis *stabit ac* sustinebit?

Et cùm contrà vult, emittet verbum suum *inducendo calorem*, & liquefaciet ea; flabit *ventus ac* spiritus eius, & fluent aquæ.

3. Qui

3. Qui *denique, quod omnium maximum est*, annunciat *voluntatem & verbum* suum Iacob; iustitias, *ac statutu*, & iudicia sua Israël.

Certè non fecit taliter omni *alij* nationi, & iudicia sua non manifestauit eis, *vt, quemadmodum nos, ea cognoscerent. Laudate Dominum*, Alleluia.

EXPLANATIO.

Verbum] Cùm substantia legis diuinæ in verbo Dei consistat, fons eius est iustitia, vnde profluit; & effectus iudicium, per quod omnia perficit.

PSALMVS CXLVIII.

Titulus.

Laudate Dominum, Alleluia.

Argumentum.

1. INuitat Dauid ad laudes Deo cantandas, primùm Angelos & Spiritus cælestes, qui mundum inadspectabilem inhabitant: 2. Deinde totum mundum adspectabilem, superiorem pariter & inferiorem: 3. Tum hominem, ex vtroque mundo decerptum ac delibatum.

1. LAudate Dominum *quotquot oriundi estis* de cælis: laudate eum *quotquot habitatis* in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes *& exercitus* eius.

2. Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen *quod inde profluit*.

Laudate eum cæli cælorum, *qui super omnes sunt*

sunt cælos, & aquæ quę super cęlos *inferiores* sunt, laudent nomen Domini.

(Quia ipse dixit *vno verbo quod voluit*, & facta sunt) *omnia illa vestra superiora*; ipse mandauit, & creata sunt.

Et statuit ea *firmiter* in æternum, & in sęculum sæculi: *arctum* præceptum *ac legem* posuit *ac dedit iis*, & non præteribit *nec euanescet vmquam.*

Atque hæc quidem cùm circa superiora ita se habeant; *vos inferiora quoque* laudate Dominum de terra, *in qua degitis*; *vos* dracones, *dico*, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, *vaporą́ & glacies*, *vosą́* spiritus *ac venti* procellarum *ac turbinum*, quę *cuncta estis inter ea quæ* faciunt verbum eius, *prout ipse iusserit.*

Vos montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri.

Bestiæ, & vniuersa pecora, *iumentaą́*, serpentes *reptiles*, & volucres pennatæ.

3. Quin & præter res supernaturales & naturales, superiores & inferiores, Reges *quoque* terrę, & omnes populi, principes & omnes iudices terræ.

Iuuenes & virgines, senes cum *pueris ac* iunioribus, *sic vt nullus sexus, nulláque ætas omittatur, omnes vno ore* laudent nomen Domini, quia exaltatum *& verè suspiciendum* est nomen eius solius.

Confessio *& gloria* eius super cælum *est* & terram,

terram : & *præter hoc* exaltabit *quoque* cornu, *&* *gloriam* populi ſui.

Quare hymnus *& laus ei cantetur ab* omnibus ſanctis eius, *qui in ipſo & eius nomine acquieſcunt*; *ac maximè quidem à* filiis Iſraël, populo appropinquanti ſibi, *eiq́ præ cæteris familiari.*

Explanatio.

Reges] Conſtat quæque reſpublica vniuerſa ex Rege, qui præeſt; & populo, qui paret; & magiſtratibus mediis inter eos interiectis: qui alij principes ſunt, qui rebus politicis præſunt; alij iudices, qui litibus diſceptandis.

Psalmvs cxlix.

Titulus.

Laudate Dominum, Alleluia.

Argumentum.

1. Exſuſcitat Propheta populum Iſraeliticum ad laudes Deo canendas, ob beneficentiam ſuam in illos, & ſalutem datam ab hoſtibus. 2. Qua quidem de re, voce illos Dominum laudaturos ait; manu autem, iuſtas ſecundùm legem pœnas ab hoſtibus ſumpturos.

1. Cantate Domino canticum nouum, *ſit* laus eius in eccleſia *ac congregatione* ſanctorum, *quos ſua miſericordia complexus eſt.*

Lætetur Iſraël in eo qui fecit eum, & filij Sion *gaudeant &* exſultent in Rege ſuo.

k Lau-

Laudent nomen eius in choro: in tympano, & psalterio, *citharaq́,* psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit *humiles ac* mansuetos in salutem, *dans eis gloriam & honorem, cum perpetua salute contra hostes.*

2. *Quæ quidem de re* exsultabunt sancti, *quos misericordia sua complexus erit,* in gloria: *&* lætabuntur *ac laudabunt Dominum* in cubilibus suis.

Exaltationes *fortis* Dei *erũt* in gutture eorum: & gladij ancipites, *qui vtrinque acuti sunt,* in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus *à quibus oppressi fuerant: &* increpationes *ac castigationes* in populis *ac regnis, à quibus fuerant vexati.*

Ad alligandos, *dico, ac vinciendos* Reges eorum in compedibus, & *proceres ac* nobiles eorum in manicis *ac cathenis* ferreis.

Vt faciant in eis iudicium conscriptum, *pœnas illas ab ipsis exigentes, quæ in lege ea de re scripta sunt: quod cùm accidet,* gloria hæc est *& erit* omnibus sanctis eius, *qui se illi dedicarunt, in ipsoq́; toti acquiescunt. Laudate* *Dominum,* Alleluia.

EXPLANATIO.

In populis] Diuiditur quoque respublica in Regem, cuius est eam regere; milites, quorum est eam armis defendere; & plebem, cuius est vitæ necessaria ei parare. Quæ tria membra omnia hîc ponuntur.

PSAL-

PSALMVS CL.

Titulus. Laudate Dominum, Alleluia.

Argumentum.

EXhortans pro conclusione vir sanctus ad laudes Deo canendas, 1. Primùm ostendit in quibus rebus sit laudandus. 2. Deinde quibus instrumentis. 3. Tum à quibus, nempe ab omni eo quod quoquo modo spiritum trahit, aut sonum edit.

1. LAudate Dominũ *fortem* in sanctis *factis*, *veraq́ sanctitate* eius, laudate eum in firmamento *cælorum*, *quod per omnia patens*, *opus est fortitudinis ac* virtutis eius.

Laudate eum in *cunctis* virtutibus *& omnipotentia* eius: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.

2. Laudate eum in sono *& clangore* tubæ *ac buccinæ*: laudate eum in psalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis *ad numerum digestis*, & organo.

Laudate eum in cymbalis bene sonãtibus: laudate eum in cymbalis *gaudij & iubilationis*.

3. *Atq́ hoc quidẽ non vos solùm homines rationales facite*: *sed* omnis *omnino* spiritus, *& quicquid vbicumq́ quoquo modo spirat*, *& animam trahit*, *sonúmue edit*, laudet Dñm. *Laudate Dñm*, Alleluia.

EXPLANATIO.

In sono tubæ] Omnis lætitia publica tum quidem choro constat tripudiationis, tum autem voce iubilationis, tum verò instrumẽtis varij generis, quę vtrisque seruiunt. & sunt spiritalia, pulsatilia, & in chordis.

FINIS.

LIBELLVS

DE VSV PSALMORVM.

PSALMORVM diuinissimo libro per Dei gratiam breuiter strictimque exposito, vbi de singulis, quantum instituti nostri ratio, & tenuis facultas tulit, egimus; è re facturi videmur, si, eandem denuò implorantes, de vsu eorum in vniuersum nonnihil differamus: ne quidquam, quantum in nobis est, quod ad rem pertinere videatur, omittamus. Atque vt ordine progrediamur: Primùm generaliter de libro Psalmorum, & eius vsu dicemus: deinde specialiter de Psalmorum diuisione ac differentia: tum particulatim de eorum vi & effectu, quæ tria alia nectuntur ex aliis.

De libro Psalmorum.

LIBER *Psalmorũ est, qui tamquam nodus vniuersæ sacræ scripturæ à Dauide potissimùm, Rege & Propheta singulariter à Deo electo, & ad hoc à summo Pontifice vncto, vt ex eius semine Christus verus Rex, Propheta, & Sacerdos nasceretur, sub medium ætatis mundi, Spiritu sancto dictante, conscriptus, omnem omnium ætatum memoriam, doctrinam, prophetiam, circa res præteritas, præsentes, ac futuras, pulcherrimis Psalmis ac Cãticis ex versibus contextis descriptam, ad Dei, qui trinus est & vnus, laudem; hominum circa animi, corporis, & externa bona vtilitatem; & Christi Dei & hominis prædicationem, continet. Dico nodum esse vniuersæ sacræ scripturæ, quia Legẽ & Prophetas inter se connectẽs, & tam quæ noui quàm veteris Testamenti sunt comprehendens, omnia omnino compléctitur. Vnde Dominus in Euangelio, in Lege, Prophetis, & Psalmis, qui vtriusque sunt generis, de se scriptum esse ait. Addo à Dauide potissimùm fuisse conscriptum, vt intelligatur, non à quouis, sed ab omnium mortalium præstantissimo homine, maiore ex parte (nam quidam Psalmi aliis adscribuntur, de qua re suis locis diximus) fuisse compositum: qui tum quidem potentia regali, tum autem scientia prophetica, tum verò virtutis excellentia cunctos antecessit, sic vt ad Christum è sanguine suo producẽdum dignus sit habitus.*

Atque adiicio autem nominatim, Dictante Spiritu sancto: vt ostendam, non tam hominis, licet præstantissimi, quàm ipsius Dei esse opus. Aio autem, Sub medium ætatis mundi: quia cùm ea statuatur sex millium annorum, nempe duorum millium sine lege, duorum millium sub lege, & duorum millium sub gratia, quæ diuersorum respectu lex est & non est: Dauid non longè ab anno ter millesimo, nempe post annum bis millesimum nongentesimum, floruit, sic vt bis mille annos sine lege, & mille fere sub lege ante se habuerit, pòst autem mille sub lege & bis mille sub gratia. de quibus omnibus in hoc libro agitur. Quo quidem pertinet quod mox subiicitur, omnem omnium ætatum memoriam, doctrinam, & prophetiam circa res præteritas, præsentes & futuras, hunc librum continere. Nam si tempus ante legem spectes, quo mundus & homo conditus est; multi passim se offerunt Psalmi quibus ea de re agitur. Si tempus gratiæ, quo Christus Dei Filius in hunc mundum venit, suamq; Ecclesiam & Apostolos constituit; omnia tam exactè in hoc libro describuntur, vt non narrari, sed geri videãtur. Si tẽpus medium sub lege, quod ab Abrahami migratione in Cananæam, quo tẽpore lex cœpit, vsq; ad Christi mortẽ, per quam velum legis scissum est, durat, & tum quidem Patriarcharum ac Iudæorũ gestis, tum autem Regũ, tum verò Pontificum in captiuitate Babylonica, & post liberationẽ ab ea cõtinetur; omnia passim clarè & apertè in Psalmis depinguntur, vt mox singulatim videbimus. Ac quãtum

tum

tum ad ipsam legis doctrinã attinet, nullũ est genus philosophiæ, siue de Deo, siue de mundo, siue de homine, cuius nõ manifesta hic impressa sunt vestigia, idq́; siue res Physicas, quæ cælo ac terra cum suis animalibus, plantis, & fossilibus continentur: siue morales, quæ ad Regem, ac rempublicam, familiamq́;, & singulos homines pertinent, vt sanctitate ac iustitia imbuãtur; cuius partes sunt fides, spes, charitas, item prudentia, fortitudo, temperantia, ad hæc lex, iudicium, & iustitia minor, gradus, metus, spes, dilectio, forma, rectum, durum, leue, vnde benignitas, æquitas, misericordia: siue denique rationales, quæ orationis vim & suauitatem continent. quæ quidem in his Psalmis tanta est, vt non solùm nullis verbis exprimi, sed nec ingenio vllo humano comprehendi possit. Atq; eò quidem pertinet, quòd dicimus pulcherrimis Psalmis ac Canticis ex versibus contextis, hunc librum cõstare: quod genus orationis proprium est tum quidem eorum hominum qui extra se rapti, diuino numine afflantur; tum autem earum rerum, quas semper in memoria ad agendum, & in oculis intellectus ad contemplandum, & in ore ad se & alios circa vtrumq; cõmouendos habere oportet: Vnde Moyses post totam legem soluta oratione descriptam, tandem suauissimo Hymno totam eam comprehendit ac concludit, quem pro inuiolato (nam verba carminum non tam facilè quàm in soluta oratione corrumpuntur) & generali totius populi Israelitici, cuiuscumque sexus, ordinis, aut ætatis esset, & perpetua ac

sempiterna doctrina esse voluit. Nam cùm ea sit natura diuinæ Poëseos ac Musicæ, vt totam rempublicam suis versibus cōtineat: ea mutata, ipsam mutari; cōseruata, cōseruari necesse est. Addo ad extremum, Ad Dei laudē, Christi prædicationem, & hominum vtilitatem: vt demonstrem quis proprius his Psalmis sit propositus finis, nempe vt per eos Deum laudemus, eiusq́; Filium Iesum Christum Dominum nostrum (vti multis Psalmis fieri mox ostendemus) & nobis omne bonū procuremus, tam circa res externas, quæ ad vitam sunt necessaria; quàm circa corporis bonam valetudinem, liberorumq́; ex vxore procreationē, & educationem; nec non, & quidem maximè, circa animi bona, vt ille omni virtute erga Deum, Christum, & homines sit ornatus, idq́; tum quidem precando, tum autem nos exercēdo, tum denique gratias agendo, quorum omnium hic liber Psalmorum est plenus.

De Psalmorum diuisione ac differentia.

DIVISIO *Psalmorū in duo summa genera deducitur: laudū, & precationum. Laudes sunt, quibus fama & gloria celebratur: precationes, quibus aliquid petitur. Laudes, aliæ Dei sunt, aliæ hominum, aliæ Christi, qui Deus est & homo: precationes partim ad bonum adipiscendum pertinent, partim ad malum amouendum, partim ad vtrumque, cùm circa hostes versatur oratio. Nos de singulis ordine explicabimus; & cuius generis quique Psalmi sint, ostendemus, addētes quisnam omnium sit vsus.*

Et

Et quidem cùm tanta sit in iis exuberantia Spiritus sancti, vt sæpe vnus & idem Psalmus diuersorum sit generum: haud rarò accidet, vt eosdem Psalmos, diuersorum respectu, diuersis locis ponamus.

Laudes Dei.

PSALMI *laudum Dei, duorum omnino sunt generũ. nam vel sunt præconia, vel gratiarũ actiones. Præconia sunt, quæ in mera Dei laude ac prædicatione versantur, vnde sacrificium laudis appellatur: gratiarum actiones, quibus de beneficio aliquo speciali accepto gratiæ agũtur. Ac rursum præconia alia sunt, quibus Deus in se laudatur, & variis modis extollitur; alia, quibus à rebus conditis; alia, quibus à lege; alia, quibus à rebus gestis.*

Primi generis sunt:

Psalmus nonagesimus quartus, *cuius initium est*, Venite exsultemus Domino.

Nonagesimus quintus, Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra.

Nonagesimus septimus, Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.

Nonagesimus octauus, Dominus regnauit, irascantur populi.

Nonagesimus nonus, Iubilate Deo omnis terra.

Centesimus, Misericordiam & iudicium cantabo.

Centesimus secundus, Benedic anima mea

 Domino,

Domino: & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.

Centeſimus tertius, Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Centeſimus duodecimus, Laudate pueri Dn̄m.

Centeſimus decimus ſextus, Laudate Dominum omnes gentes.

Centeſimus decimus ſeptimus, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centeſimus triceſimus tertius, Ecce nunc benedicite Dominum.

Centeſimus triceſimus quartus, Laudate nomen Domini.

Centeſimus triceſimus quintus, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centeſimus quadrageſimus tertius, Benedictus Dominus Deus meus.

Centeſimus quadrageſimus quartus, Exaltabo te Deus meus.

Centeſimus quadrageſimus octauus, Laudate Dominum de cælis.

Centeſimus quinquageſimus, Laudate Dominum in ſanctis eius.

Atque in his quidem laudibus, & aliis, de quibus poſt dicetur, cātandis, ſubinde Deum alloquitur Propheta, ſubinde ſeipſum, ſubinde alios, nempe Angelos, homines, cælos, terram, & maria, & omnia quæ in eis ſunt: quæ cuncta excitat ad præconia iſta Deo cantan-

cantanda, voce, variis instrumentis, & cum chorea.

Q*VI à mundo, homine, & aliis rebus conditis ac creatis Deum laudant, Psalmi (quos secundi generis esse diximus) sunt:*

Octauus, Domine Dominus noster.

Decimus octauus, Cæli enarrant gloriam Dei.

Vicesimus tertius, Domini est terra.

Vicesimus octauus, Afferte Domino filij Dei.

Vicesimus nonus, Exaltabo te Domine.

Tricesimus secundus, Exsultate iusti in Dño.

Nonagesimus primus, Bonum est confiteri Domino.

Nonagesimus secundus, Dominus regnauit.

Nonagesimus quartus, Venite exsultemus Domino.

Centesimus tertius, Benedic anima mea Dño.

Centesimus decimus, Confitebor tibi Dñe.

Centesimus tricesimus quartus, Laudate nomen Domini.

Centesimus tricesimus quintus, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centesimus tricesimus octauus, Domine probasti me.

Centesimus quadragesimus quartus, Exaltabo te Deus meus.

Centesimus quadragesimus sextus, Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus.

Centesimus quadragesimus septimus, Lauda Ierusalem Dominum.

Quibus

Quibus omnibus Psalmis admirabilis vis inest, vt rebus creatis contemplandis ad Dei creatoris admirationem ac laudem excitemur, qui est verus eorum vsus.

QVÆ *à lege ac bonitate, pulchritudineq́, domus Dei cantantur Domino laudes, quibus ipsa quoque lex, & bonitas, domúsque & ciuitas Dei celebrantur, his Psalmis continentur:.*

Decimo octauo, Cæli enarrant gloriam Dei.

Octogesimo tertio, Quàm dilecta tabernacula tua Domine.

Octogesimo quarto, Benedixisti Domine terram tuam.

Octogesimo sexto, Fundamenta eius in montibus sanctis.

Octogesimo octauo, Misericordias Domini in æternum cantabo.

Centesimo, Misericordiã & iudicium cantabo.

Centesimo secundo, Benedic anima mea Domino.

Centesimo decimo, Confitebor tibi Domine.

Centesimo decimo sexto, Laudate Dominum omnes gentes.

Centesimo decimo septimo, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centesimo decimo octauo, Beati immaculati in via.

Centesimo tricesimo quarto, Laudate nomen Domini.

Cente-

Centesimo tricesimo quinto, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centesimo quadragesimo tertio, Benedictus Dominus Deus meus.

Centesimo quadragesimo quarto, Exaltabo te Deus meus.

Centesimo quadragesimo quinto, Lauda anima mea Dominum.

Centesimo quadragesimo sexto, Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus.

Centesimo quadragesimo septimo, Lauda Ierusalem Dominum.

In quibus Psalmis tum quidem sapientia Dei prædicatur, vnde lex manat; tum autem voluntas, vnde bonitas; tum verò potentia, quæ per ciuitatem eius ac domum significatur.

LAVDES *Dei à rebus gestis ductas, tum quidem generaliter, circa totum populū Israëliticum; tum autem specialiter, circa certas victorias, liberationes, tuitiones, continēt Psalmi sequētes, partim historici, partim alij. Prioris generis, nempe generales sunt:*

Septuagesimus septimus, Attendite popule meus legem meam.

Centesimus quartus, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius.

Centesimus quintus, Confitemini Domino, quoniam bonus,

Cente-

Centesimus sextus, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centesimus decimus tertius, In exitu Israël de Ægypto.

Centesimus quadragesimus quartus, Laudate nomen Domini.

Centesimus tricesimus quintus, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

Posterioris generis, hoc est, speciales, sunt:

Tricesimus nonus, Exspectās exspectaui Dñm.

Quadragesimus sextus, Omnes gentes plaudite manibus.

Quadragesimus septimus, Magnus Dominus & laudabilis nimis.

Septuagesimus quintus, Notus in Iudęa Deus.

Octogesimus, Exsultate Deo adiutori nostro.

Octogesimus octauus, Misericordias Domini in æternum cantabo.

Nonagesimus tertius, Deus vltionum Dñs.

Centesimus decimus quartus, Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.

Centesimus vicesimus sextus, Nisi Dominus ędificauerit domum.

Centesimus quadragesimus septimus, Lauda Ierusalem Dominum.

Centesimus quadragesimus octauus, Laudate Dominum de cælis.

Quibus

Quibus quidem Psalmis partim historia populi Israëlitici contexitur, quantum ad priores attinet; partim varij euentus cum laude Domini enarrantur, quantum ad posteriores.

CÆTERVM *cùm praconia hoc modo se habeāt, veniamus nunc ad gratiarum actiones, quæ tum quidem generales sunt, tum autem speciales. Generales sunt, quibus generaliter Deo gratiæ aguntur, partim ob ipsummet, partim ob mundi creationem, partim ob populum ex Ægypto eductum, ad ciuitatem Ierusalem reductum, ex captiuitate Babylonica liberatum, cum similibus. de quibus sunt Psalmi:*

Octogesimus, Exsultate Deo adiutori nostro.

Nonagesimus quartus, Venite exsultemus Domino.

Centesimus secundus, Benedic anima mea Domino.

Centesimus septimus, Paratum cor meum.

Centesimus duodecimus, Laudate pueri Dominum.

Centesimus decimus tertius, In exitu Israël de Ægypto.

Centesimus vicesimus primus, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.

Centesimus vicesimus tertius, Nisi quia Dominus erat in nobis.

Centesimus vicesimus quintus, In conuertendo Dominus captiuitatem Sion.

Cente-

Centesimus tricesimus quartus, Laudate nomen Domini.

Centesimus tricesimus quintus, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Qui quidem Psalmi omnes pleni sunt gaudio & lætitia.

S PECIALES *gratiarum actiones sunt, primùm ob victoriam. qua de re sunt Psalmi:*

Nonus, Confitebor tibi Domine.

Decimus septimus, Diligam te Domine.

Sexagesimus septimus, Exsurgat Deus.

Centesimus septimus, Paratum cor meum.

D EINDE *ob liberationem ab hostibus, morbis, & aliis malis, rebusq; aduersis. quò pertinẽt Psalmi:*

Quartus, Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ.

Vicesimus nonus, Exaltabo te Domine.

Tricesimus tertius, Benedicam Dominum in omni tempore.

Tricesimus nonus, Exspectans exspectaui Dominum.

Quadragesimus quintus, Deus noster refugium & virtus.

Quadragesimus sextus, Omnes gentes plaudite manibus.

Sexagesimus primus, Nónne Deo subiecta erit anima mea?

Sexage-

Sexagesimus secundus, Deus Deus meus.

Sexagesimus quintus, Iubilate Deo omnis terra.

Septuagesimus quartus, Confitebimur tibi Deus.

Centesimus decimus quartus, Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.

Centesimus decimus quintus, Credidi, propter quod locutus sum.

Centesimus vicesimus tertius, Nisi quia Dominus erat in nobis.

Centesimus vicesimus quintus, In conuertendo Dominus captiuitatem Sion.

Centesimus tricesimus quartus, Laudate nomẽ Domini.

Centesimus tricesimus quintus, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centesimus tricesimus septimus, Confitebor tibi Domine.

Centesimus quadragesimus nonus, Cantate Domino canticum nouum.

TVM *verò ob beneficẽtiam ac tuitionem, in qua se penitus confidere dicit.*

Psalmus decimus, In Domino confido.

Vigesimus secundus, Dominus regit me.

Vicesimus sextus, Dominus illuminatio mea.

Quadragesimus quintus, Deus noster refugiũ & virtus.

Quadragesimus sextus, Omnes gentes plaudite manibus.

Sexagesimus primus, Nonne Deo subiecta erit anima mea.

Sexagesimus secundus, Deus Deus meus.

Centesimus secundus, Benedic anima mea Domino.

Centesimus decimus quintus, Credidi, propter quod locutus sum.

Centesimus vicesimus tertius, Nisi quia Dominus erat in nobis.

Centesimus tricesimus septimus, Confitebor tibi Domine.

Laudes hominis.

QVI *ad hominis laudes pertinent Psalmi, alij generales sunt, & speciales alij. Generales sunt, quibus dignitas hominis describitur, vt*

Octauus, Dominus Dominus noster.

Et formatio eius in vtero, vt

Centesimus trigesimus octauus, Domine probasti me, & cognouisti me.

Speciales, qui tum quidem descriptionem viri boni continent, tum autem laudes eius, tum verò obiurgationem malorum.

DESCRIPTIONEM *viri boni continent, qui propriũ eius opus ac munus depingũt, necnon præmia*

quæ

quæ eo nomine percipit, posita subinde ab altera parte, ad maiorē elucidationē, descriptione viri mali & impij, cum suis præmiis. Ac sunt quidē huius generis:

Psalmus primus, Beatus vir qui non abiit.
Nonus, Confitebor tibi Domine.
Decimus, In Domino confido.
Decimus tertius, Dixit insipiens in corde suo.
Decimus quartus, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?
Decimus quintus, Conserua me Domine.
Vicesimus secundus, Dominus regit me.
Vicesimus tertius, Domini est terra.
Tricesimus quintus, Dixit iniustus vt delinquat.
Quadragesimus, Beatus vir qui intelligit.
Quadragesimus octauus, Audite hæc omnes gentes.
Octogesimus tertius, Quàm dilecta tabernacula tua.
Nonagesimus, Qui habitat in adiutorio altissimi.
Nonagesimus primus, Bonum est confiteri Domino.
Centesimus, Misericordiam & iudicium.
Centesimus vndecimus, Beatus vir qui timet Dominum.
Centesimus decimus octauus, Beati immaculati in via.

Centesimus vicesimus quartus, Qui confidunt in Domino.

Centesimus vicesimus sextus, Nisi Dominus ædificauerit domum.

Centesimus vicesimus septimus, Beati omnes qui timent Dominum.

Centesimus tricesimus, Domine non est exaltatum cor meum.

Quibus quidem Psalmis partim exageticôs, partim dramaticôs boni & mali, & eorum præmia, vt dictum est, describuntur.

LAVDES *bonorũ, & vituperationes malorũ, nec non consolationes piorum de impiorum prospero successu, & eorum antitheses, his Psalmis describuntur:*

Quinto, Verba mea auribus percipe Domine.

Duodecimo, Vsquequo obliuisceris me Dñe.

Decimo quarto, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?

Vicesimo tertio, Domini est terra.

Tricesimo tertio, Benedicã Dominum in omni tempore.

Tricesimo quinto, Dixit iniustus vt delinquat.

Tricesimo sexto, Noli æmulari in malignantibus.

Quadragesimo, Beatus vir qui intelligit.

Quadragesimo nono, Deus deorũ Dominus.

Quinquagesimo primo, Quid gloriaris in malitia.

Septua-

Septuagesimo secundo, Quàm bonus Deus Israël his.

Septuagesimo quarto, Cõfitebimur tibi Deus.

Octogesimo tertio, Quàm dilecta tabernacula tua.

Nonagesimo, Qui habitat in adiutorio altissimi.

Nonagesimo primo, Bonum est confiteri Domino.

Centesimo, Misericordiam & iudicium cãtabo.

Centesimo vndecimo, Beatus vir qui timet Dominum.

Centesimo decimo octauo, Beati immaculati in via.

Centesimo vicesimo quarto, Qui confidunt in Domino.

Centesimo vicesimo sexto, Nisi Dominus ædificauerit domum.

Centesimo vicesimo septimo, Beati omnes qui timent Dominum.

Centesimo tricesimo secundo, Ecce quàm bonum.

Centesimo quadragesimo tertio, Benedictus Dominus Deus meus.

OBIVRGATIONEM *malorum de tyrannide, hypocrisi, & aliis vitiis eorum, necnon triũphum de illis, continent hi Psalmi:*

Quintus, Verba mea auribus percipe Domine.

Nonus, Confitebor tibi Domine.
Decimus, In Domino confido.
Tricesimus quintus, Dixit iniustus vt delinquat.
Quadragesimus, Beatus vir qui intelligit.
Quadragesimus nonus, Deus deorũ Dominus.
Quinquagesimus primus, Quid gloriaris in malitia.
Quinquagesimus secundus, Dixit insipiens in corde suo.
Quinquagesimus septimus, Si verè vtique iustitiam loquimini.
Septuagesimus quartus, Confitebimur tibi Deus.
Octogesimus primus, Deus stetit in synagoga deorum.
Nonagesimus primus, Bonum est confiteri Domino.
Nonagesimus tertius, Deus vltionũ Dominus.
Nonagesimus sextus, Dominus regnauit.
Centesimus vicesimus octauus, Sæpe expugnauerunt me.
Centesimus quadragesimus tertius, Benedictus Dominus Deus meus.

Laudes Christi Dei & hominis.

DE Christo in Psalmis esse proditum, ipse Dominus in Euangelio testatur, idq; siue specialiter loquare de vita eius, morte, & triumpho; siue generaliter.

Vitam

VITAM *in grauissima persecutione hostium & calumnia eum transegisse, atq; adeò à proprio Apostolo tandem proditum fuisse, docent:*

Psalmus secundus, Quare fremuerunt Gentes.

Tricesimus septimus, Domine ne in furore tuo.

Tricesimus octauus, Dixi custodiã vias meas.

Quadragesimus, Beatus vir qui intelligit.

Quinquagesimus primus, Quid gloriaris in malitia.

Quinquagesimus quartus, Exaudi Deus orationem meam.

Septuagesimus, In te Domine speraui.

Octogesimus quintus, Inclina Domine aurem tuam.

Octogesimus octauus, Misericordias Domini in æternum cantabo.

Centesimus octauus, Deus laudem meam ne tacueris.

MORTEM *Domini describunt Psalmi qui de passione eius & cruce loquuntur, qui sunt:*

Vicesimus primus, Deus Deus meus, respice in me.

Tricesimus, In te Domine speraui.

Tricesimus septimus, Dñe ne in furore tuo.

Quadragesimus, Beatus vir qui intelligit.

Quinquagesimus quartus, Exaudi Deus orationem meam.

Quinquagesimus octauus, Eripe me de inimicis meis.

Sexagesimus octauus, Saluum me fac Deus.

Septuagesimus, In te Domine speraui.

Octogesimus quintus, Inclina Domine aurem tuam.

Octogesimus septimus, Domine Deus salutis meæ.

Centesimus octauus, Deus laudem meam ne tacueris.

TRIVMPHVM *Christi, veri pelicani, à natiuitate, resurrectione, adscensione in cælum, hostibus omnibus superatis, quos in extremo iudicio cōdemnabit, regnans cum beatis in æternum, canunt Psalmi sequentes:*

Secundus, Quare fremuerunt gentes.

Octauus, Domine Dominus noster.

Decimus quintus, Conserua me Domine.

Vicesimus secundus, Dominus regit me.

Vicesimus tertius, Domini est terra.

Tricesimus nonus, Exspectans exspectaui Dominum.

Quadragesimus sextus, Omnes gentes plaudite manibus.

Quinquagesimus octauus, Eripe me de inimicis meis.

Sexagesimus septimus, Exsurgat Deus.

Septuagesimus, In te Domine speraui.

Septuagesimus quartus, Confitebimur tibi Deus.

Octogesimus quintus, Inclina Domine aurem tuam.

Octogesimus sextus, Fundaměta eius in montibus sanctis.

Octogesimus octauus, Misericordias Domini.

Nonagesimus quintus, Cantate Domino canticum nouum.

Nonagesimus sextus, Dominus regnauit.

Nonagesimus septimus, Cantate Domino canticum nouum.

Nonagesimus octauus, Dominus regnauit.

Centesimus, Misericordiam & iudicium.

Centesimus primus, Domine exaudi orationem meam.

Centesimus nonus, Dixit Dominus Domino meo.

Centesimus decimus sextus, Laudate Dominum omnes gentes.

Centesimus decimus septimus, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centesimus decimus octauus, Beati immaculati in via.

ATQVE *hæc quidem cùm specialiter ita se habeant, generaliter omnes Psalmi de Christo intelligi possunt. Ac nominatim quidem de ipso, & eius regno, sponsaq́ Ecclesia, nec non de ciuitate pacis per eum constituta, tractant Psalmi:*

Decimus septimus, Diligam te Domine.

Decimus octauus, Cæli enarrant gloriam Dei.

Decimus nonus, Exaudiat te Deus.

Vicesimus, Domine in virtute tua.

Quadragesimus, Beatus vir qui intelligit.

Quadragesimus quartus, Eructauit cor meum.

Quadragesimus quintus, Deus noster refugium & virtus.

Quadragesimus sextus, Omnes gentes plaudite manibus.

Quadragesimus septimus, Magnus Dominus, & laudabilis nimis.

Quinquagesimus nonus, Deus repulisti nos.

Septuagesimus primus, Deus iudicium tuum Regi da.

Octogesimus sextus, Fundamenta eius in montibus sanctis.

Nonagesimus secundus, Dominus regnauit, decorem indutus est.

Nonagesimus sextus, Dominus regnauit, exsultet terra.

Centesimus tricesimus primus, Memento Domine Dauid.

Quibus quidem omnibus Psalmis vel Deus Pater introducitur loquens ad Filium, aut de illo; vel Deus Filius ad Patrem, aut homines; vel ipse Propheta ad Filium, aut alios de Filio. Ac tractant quidem omnes vel de Christo tantùm; vel secundùm literam de Dauide aut aliis, & mysticè de Christo; vel de vtrisque.

Preca-

Precationes ad bonum adipiſcendum.

IAM *quantum ad precationes attinet, cùm ex iis primæ ſunt, quibus de bono à Deo adipiſcendo agitur, generales in hoc genere preces continent:*

Pſalmus viceſimus ſextus, Dominus illuminatio mea.

Sexageſimus ſextus, Deus miſereatur noſtri.

Sexageſimus nonus, Deus in adiutorium meum intende.

Octogeſimus quintus, Inclina Domine aurem tuam.

Speciales autem, vel ſunt populi pro Rege, vel Regis pro populo, vel ſingulorum pro ſeipſis.

Primi generis ſunt:

Decimus nonus, Exaudiat te Dominus.

Viceſimus, Domine in virtute tua.

Septuageſimus primus, Deus iudicium tuum Regi da.

Secundi generis ſunt:

Tertius, Domine quid multiplicati ſunt.

Quartus, Cùm inuocarem.

Quinquageſimus nonus, Deus repuliſti nos.

Sexageſimus quartus, Te decet hymnus Deus in Sion.

Sexageſimus quintus, Iubilate Deo omnis terra.

Centeſimus primus, Domine exaudi orationem meam.

Cente-

Centesimus quintus, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centesimus vicesimus septimus, Beati omnes qui timent Dominum.

Centesimus tricesimus tertius, Ecce nunc benedicite Dominum.

Tertij generis sunt:

Decimus octauus, Cæli enarrant gloriam Dei.

Vicesimus sextus, Dominus illuminatio mea.

Quinquagesimus nonus, Deus repulisti nos.

Sexagesimus, Exaudi Deus deprecationẽ meã.

Sexagesimus quartus, Te decet Deus hymnus in Sion.

Octogesimus tertius, Quàm dilecta tabernacula tua Domine.

Centesimus septimus, Paratum cor meum Deus.

Centesimus tricesimus primus, Memento Domine Dauid.

Cẽtesimus tricesimus octauus, Dñe probasti me.

Precationes ad malum amouendum.

QVÆ *ad malum amouendum preces pertinent, vel animi sunt, ad peccatum eluendum; vel corporis, ad morbos depellendos; vel vtriusq;, ad varias calamitates amouendas.*

Primi generis sunt septem Psalmi pœnitentiales, nempe:

Sextus, Domine ne in furore tuo.

Trise-

Tricesimus primus, Beati quorum remissę sunt iniquitates.

Tricesimus septimus, Domine ne in furore tuo.

Quinquagesimus, Miserere mei Deus.

Centesimus primus, Domine exaudi orationem meam.

Centesimus vicesimus nonus, De profundis clamaui ad te Domine.

Centesimus quadragesimus secundus, Domine exaudi orationem meam.

Secundi generis sunt:

Sextus, Domine ne in furore tuo.

Tricesimus septimus, Domine ne in furore tuo.

Octogesimus nonus, Domine, refugium factus es nobis.

Tertij generis sunt:

Sextus, Domine ne in furore tuo.

Vicesimus primus, Deus Deus meus, respice in me.

Vicesimus quartus, Ad te Deus leuaui.

Tricesimus septimus, Domine ne in furore tuo.

Sexagesimus octauus, Saluum me fac Deus.

Septuagesimus sextus, Voce mea ad Dominum clamaui.

Octogesimus quintus, Inclina Domine aurem tuam.

Octogesimus septimus, Dñe Deus salutis meæ.

Octo-

Octogesimus octauus, Misericordias Domini in æternum cantabo.

Centesimus quintus, Confitemini Domino quoniam bonus.

ATQVE *hi quidem Psalmi cùm sint speciales, per quos generaliter malum amoueri petitur, sunt partim iidem ipsi, partim alij, vt*

Sextus, Domine ne in furore tuo.

Vicesimus quartus, Ad te Domine leuaui animam meam.

Sexagesimus nonus, Deus in adiutorium meum intende.

Septuagesimus, In te Domine speraui.

Septuagesimus sextus, Voce mea ad Dominum clamaui.

Octogesimus quintus, Inclina Domine aurem tuam.

Octogesimus septimus, Dñe Deus salutis meæ.

Octogesimus octauus, Misericordias Domini in æternum cantabo.

Centesimus decimus nonus, Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui.

Centesimus vicesimus, Leuaui oculos meos in montes.

Centesimus vicesimus secundus, Ad te leuaui oculos meos.

Centesimus vicesimus quartus, Qui confidunt in Domino.

Centesimus quadragesimus, Dñe clamaui ad te.

Preca-

Precationes circa hostes.

QVÆ *circa hostes versantur precationes generales, & totum populum Israëliticum respiciunt, his Psalmis continentur:*

Vndecimo, Saluum me fac Domine.

Vicesimo sexto, Dominus illuminatio mea.

Trigesimo quinto, Dixit iniustus vt delinquat.

Quadragesimo, Beatus vir qui intelligit.

Quadragesimo primo, Quemadmodum desiderat ceruus.

Quadragesimo tertio, Deus auribus nostris audiuimus.

Quinquagesimo octauo, Eripe me de inimicis meis.

Septuagesimo tertio, Vtquid Deus repulisti.

Septuagesimo octauo, Deus venerunt Gentes.

Septuagesimo nono, Qui regis Israël intende.

Octogesimo quinto, Inclina Domine aurẽ tuam.

Centesimo primo, Domine exaudi orationem meam.

Centesimo quinto, Confitemini Domino, quoniam bonus.

Centesimo vicesimo secundo, Ad te leuaui oculos meos.

Centesimo vicesimo octauo, Sæpe expugnauerunt me.

Centesimo tricesimo sexto, Super flumina Babylonis.

Spe-

Speciales preces circa hostes sunt querelæ, orationes pro liberatione, & orationes pro victoria contra illos.

QVERELÆ *contra hostes, sunt de iniustitia & improbitate eorum; qua commoti, homines iustos & innocentes, & qui nihil eiusmodi meriti sunt vexãt, & multis iniuriis afficiunt. qua de re sunt Psalmi:*

Quartus, Cùm inuocarem.
Quintus, Verba mea auribus percipe Domine.
Septimus, Domine Deus meus.
Nonus, Confitebor tibi Domine.
Decimus sextus, Exaudi Dñe iustitiam meam.
Vicesimus quintus, Iudica me Domine.
Tricesimus quartus, Iudica Dñe nocentes me.
Quadragesimus, Beatus vir qui intelligit.
Quadragesimus secundus, Iudica me Deus.
Quinquagesimus quartus, Exaudi Deus.
Quinquagesimus septimus, Si verè vtique.
Quinquagesimus octauus, Eripe me de inimicis meis.
Sexagesimus octauus, Saluum me fac.
Septuagesimus tertius, Vt quid Deus repulisti.
Centesimus octauus, Deus laudem meam.
Centesimus decimus nonus, Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui.

PRECATIONES *quibus ab hostibus & eorum machinationibus liberari cupimus, his Psalmis continentur:*

Quinto

Quinto, Verba mea auribus percipe Domine.
Septimo, Domine Deus meus.
Nono, Confitebor tibi Domine.
Duodecimo, Vſquequo Domine.
Decimo ſexto, Exaudi Domine iuſtitiã meam.
Viceſimo quarto, Ad te Domine leuaui animam meam.
Triceſimo, In te Domine ſperaui.
Triceſimo quarto, Iudica Domine nocentes me.
Triceſimo octauo, Dixi cuſtodiam vias meas.
Triceſimo nono, Exſpectans exſpectaui Dominum.
Quadrageſimo primo, Quemadmodum deſiderat ceruus.
Quadrageſimo ſecundo, Iudica me Deus.
Quadrageſimo tertio, Deus auribus noſtris audiuimus.
Quinquageſimo tertio, Deus in nomine tuo.
Quinquageſimo ſexto, Miſerere mei Deus.
Quinquageſimo octauo, Eripe me de inimicis meis.
Sexageſimo tertio, Exaudi Deus orationem meam.
Sexageſimo octauo, Saluum me fac Deus.
Septuageſimo, In te Domine ſperaui.
Centeſimo decimo nono, Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui.
Centeſimo triceſimo nono, Eripe me Domine.

Centesimo quadragesimo, Dñe clamaui ad te.
Centesimo quadragesimo primo, Voce mea ad Dominum clamaui.
Centesimo quadragesimo secundo, Domine exaudi orationem meam.
VICTORIAM *ac triumphum de hostibus petunt Psalmi*:
Tertius, Domine quid multiplicati sunt.
Quintus, Verba mea auribus percipe Domine.
Septimus, Domine Deus meus.
Nonus, Confitebor tibi Domine.
Vicesimus septimus, Ad te Domine clamabo.
Tricesimus, In te Domine speraui.
Tricesimus nonus, Exspectãs exspectaui Dñm.
Quinquagesimus quintus, Miserere mei Deus.
Quinquagesimus octauus, Eripe me de inimicis meis.
Sexagesimus octauus, Saluum me fac Deus.
Sexagesimus nonus, Deus in adiutoriũ meum.
Octogesimus secũdus, Deus quis similis erit tibi.
Nonagesimus tertius, Deus vltionũ Dominus.
Centesimus octauus, Deus laudem meam.
Centesimus vicesimus octauus, Sæpe expugnauerunt me.
Centesimus tricesimus sextus, Super flumina Babylonis.
Centesimus quadragesimus tertius, Benedictus Dominus Deus meus.

VSvs *supradicta diuisionis Psalmorum est triplex. Primùm quòd admonent Deum laudandum & orandum esse. Deinde quòd exegeticè docēt quo pacto id fieri debeat. Tum quòd reipsa dramaticè id praeunt, sic vt nullum argumentum secundùm ea quæ dicta sunt offerre se possit, ad quod non aliqui Psalmi accommodati reperiantur. Quibus tractandis tum quidem cor accenditur, tum autem os ad Deum prædicandum commouetur, tum verò externæ corporis actiones incitantur, sic vt nihil penitus sit in homine, quod non per eos impellatur: idq́ sive Deus orandus sit, vt quod bonum est det, quòd malum est auferat, & ab hostium tentatione nos liberet, quod cum posteriore parte orationis Dominicæ congruit, & ad corporis pariter & animi, externaq́ bona refertur: siue idem laudādus, & cum gratiarum actione prædicādus, tam ipse quàm Filius eius Christus, necnon imitator eius vir bonus, Spiritu sancto repletus, quod priori parti respondet, vbi nomen Dei Patris sanctificari, regnū Filij aduenire, & voluntas eius ab omnibus afflatu Spiritus sancti fieri optatur. Ad quæ quidem omnia certis generibus distincta, & in suas species deducta, quinam Psalmi pertineant, iam est expositum, quibus, prout quisque Deum laudare vel orare velit, vti potest.*

DE VI ET EFFECTV PSALMORVM.

VIs *& effectus Psalmorum tum quidem ad Deum refertur, tum autem ad proximū, tum verò ad nos ipsos. Ad Deum refertur, quòd iis verè &*

ex animo recitandis, legēdis, ac cantandis ipsum nobis propitium ac beneuolū reddimus, sic vt pro omni genere sacrificiorum sint, quæ homo Deo offert. Nam cùm ea tria sint numero, holocaustum, quod ad veram Dei laudem offertur, vnde & sacrificium laudis dicitur; huius generis sunt omnes Psalmi, quos laudis Dei Christi & hominis esse diximus: hostia pacifica, quæ pro gratiarum actione est, vel re aliqua impetranda; ad hoc genus pertinent Psalmi illi, quos gratiarum actiones vocauimus, & ad bonum aliquod impetrandū, & ad hostes pertinere ostendimus: & sacrificium pro peccato, quo malum expiatur; huc referuntur Psalmi pœnitentiales, & alij, quibus ad malum amouendum, & Deum nobis placandum, secundùm ea quæ supradicta sunt, vtimur. Proximum autem spectat, primùm vniuersaliter, quòd nulla re magis tota respublica quàm Psalmorum modulatione, quæ omni ætati, loco, & tempori, ab Ecclesia pulcherrimè accōmodata est, cōtinetur. Deinde generaliter, quòd omnes sanctorū hominum societates nulla magis in re sunt fundatæ, quàm vt Psalmis modulandis die ac nocte certis horis dent operam. Tum verò specialiter, quòd cùm Psalmos quis legit aut canit, auditorem eodem ferè modo quo seipsum afficit, ad virtutem in eum inducēdam. Ad nos ipsos pertinet, quòd attenta lectio, recitatio vel cantatio Psalmorū, triplicem omnino vim & effectum in animis nostris producit. Prima est, quòd ad virtutis exercitationem, memoriā nobis conseruāt Dei, & operum ac benefactorum

ctorum eius. Idq́; tum quidē vniuersaliter per omnes Psalmos, tum autem generaliter per certos Psalmos, quibus creationē mundi & hominis, necnon historiam rerū gestarū contineri diximus; tum verò specialiter certis Psalmorum versibus, qui passim & vbique se offerunt. Altera, quòd ad Dei ac virtutis cognitionem admirabilis in Psalmis doctrina exstat, non solùm generaliter per omnes, sed & specialiter in iis vbi de viri boni officio, & mali cum eo comparatione agitur, necnon particulatè in versibus qui frequenter occurrunt, veluti cùm dicitur: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos, *cum similibus. Reliqua, quòd ad Dei & virtutis amorem excitandum Psalmi mirificè animum commouent, & in omnes partes flectunt, siue omnes simul spectes, siue singulos, qui suam quique ferè mouendi vim habent, siue certos in iis versus ac locos. Ac sunt quidem omnes motus vel voluptatis, vel doloris (qui sunt duo eorum fontes) vel vtriusque. Voluptatis sunt, spes futuri boni: vt,* In te Domine speraui, non confundar in æternum. *lætitia: vt,* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. *& amor vtriusque cum desiderio & delectatione cōiunctus: vt,* Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarū: ita desiderat anima mea ad te Deus. In via testimoniorum tuorū delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. *Ac de horum quidem genere sunt plerique omnes*

Psalmi praconiorum Dei, & gratiarum actiones, precationũ pro bono adipiſcendo, cum nonnullis aliis. Doloris ſunt, metus futuri mali: vt, Seruite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore. *Triſtitia ob præſens malũ: vt*, Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me. *Et odium vtriuſque cum defectione animi & zelo coniunctũ: vt*, Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Tabeſcere me fecit zelus meus, quoniam obliti ſunt verba tua inimici mei. *Atque huc quidem pertinent Pſalmi pœnitentiales contra hoſtes, contra Chriſti & bonorum perſecutores, & alij aliquot. Vtriuſque, tam voluptatis quàm doloris, ſunt; fiducia in futurum: vt*, In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer. *Patientia circa præſens: vt*, Ab ipſo enim patientia mea. *Et conſolationes circa vtrumque: vt*, Renuit conſolari anima mea. *Ac referuntur quidem huc Pſalmi de Chriſto, de bonorum & malorum comparatione, orationes ad malum amouendum, cum quibuſdam aliis. Et verò cùm hi nouem primi ſint motus, qui à voluptate, ac dolore, & vtroq; profluunt: ab iis manant multi alij ſecundarij, qui ad hos tamquam ad ſua capita facilè reuocantur. Quibus quidem per Pſalmorũ cõtinentem lectionem commotus animus, mirificè ob latentem vim Spiritus ſancti, qui in iis ineſt, ad Deum creatorem ſuum incitatur. Cui trino & vni ſit laus, honor, & gloria, per omnia ſæcula ſæculorum.*

AMEN.

DIVISIO PSALMORVM secundùm eorum qualitates.



Omnes psalmi sunt
- Laudes
  - Dei.
    - Præconia quibus Deus laudatur.
      - Generaliter in se.
      - Specialiter.
        - Ob res creatas.
        - A lege.
        - Ob res gestas.
    - Gratiarũ actiones.
      - Generales.
      - Speciales.
        - Ob victoriã.
        - Ob liberationem à malo.
        - Ob beneficentiã ac tuitionem.
  - Hominis.
    - Generales.
    - Speciales.
      - Describendo virum bonum, & eius contrarium.
      - Laudando & consolando bonos, & vituperando malos.
      - Triumphando de malis, cum eorum obiurgatione.
  - Christi Dei & hominis.
    - Generales.
    - Speciales.
      - De vita eius.
      - De morte.
      - De triũpho.
- Precationes
  - Ad bonum adipiscendum.
    - Generaliter.
    - Specialiter, rogãte
      - Rege pro populo.
      - Populo pro Rege.
      - Vnoquoque pro seipso.
  - Ad malũ amouẽdum.
    - Specialiter,
      - Animi, quantũ ad peccatum.
      - Corporis, quantum ad morbos.
      - Vtriusque, quantum ad varias calamitates.
    - Generaliter.
  - Circa hostes.
    - Generaliter.
    - Specialiter.
      - Conquerendo de iniuriis hostium.
      - Petendo liberationẽ ab iis.
      - Postulando triumphum & victoriam de iis.
- Mixti.

DE SINGVLORVM Psalmorum ex ordine, secundùm supradicta, qualitate.

1. *Beatus vir qui non abiit*] Laus & descriptio viri boni, & contrà.

2. *Quare fremuerunt gentes*] Laus Christi à persecutionibus in vita: item triumphus Christi.

3. *Domine quid multiplicati sunt*] Precatio Regis pro populo: item pro victoria & triumpho de hostibus.

4. *Cùm inuocarem*] Gratiarum actio ob liberationẽ à malis: item precatio Regis pro populo: item querelosa de hostibus.

5. *Verba mea*] Laudes bonorum, & vituperationes malorum: item obiurgatio malorum, & triumphus de iis: item precatio querelosa de hostibus: item pro liberatione ab iis: item victoria & triumphus de iis.

6. *Domine ne in furore tuo*] Precatio pœnitentialis pro peccato: item contra morbum: item contra varias calamitates: item ad malum amouendum in genere.

7. *Domine Deus meus*] Precatio pro liberatione ab hostibus.

8. *Domine Dominus noster*] Præconium laudis Dei à rebus conditis: item laus hominis in genere: item triumphus Christi.

9. *Confitebor tibi Domine*] Gratiarum actio ob victoriam: item laus & descriptio viri boni: item precatio querelosa de hostibus: item pro liberatione ab iis: item pro victoria & triumpho de iis.

10. *In Domino confido*] Gratiarum actio ob beneficentiam: item laus & descriptio viri boni: item obiurgatio malorum, & triumphus de iis.

11. *Saluum me fac Domine*] Precatio contra hostes in genere.

12. *Vsquequo Domine*] Laudes bonorum,& vituperationes malorum: item precatio pro liberatione ab hostibus.

13. *Dixit insipiens in corde suo*] Laus & descriptio viri boni, & contrà.

14. *Domine quis habitabit*] Laus & descriptio viri boni: item laudes bonorum,& vituperationes malorum.

15. *Conserua me Domine*] Laus & descriptio viri boni, & contrà: item triumphus Christi.

16. *Exaudi Domine iustitiam meam*] Precatio querelosa de hostibus: item pro liberatione ab iis.

17. *Diligam te Domine*] Gratiarum actio ob victoriam: item de Christo & Ecclesia in genere.

18. *Cæli enarrant gloriam Dei*] Præconium laudis Dei à rebus conditis: item à lege & bonitate: item de Christo & Ecclesia in genere: item pro bono sibi adipiscendo in specie.

19. *Exaudiat te Dominus*] Idem de Christo: item precatio populi pro Rege.

20. *Domine in virtute tua*] Idem: item precatio populi pro Rege.

21. *Deus Deus meus*] Laus Christi à passione & morte illius: item precatio contra varias calamitates.

22. *Dominus regit me*] Gratiarum actio ob beneficentiam: item laus & descriptio viri boni: item triumphus Christi.

23. *Domini est terra*] Præconium laudis Dei à rebus conditis: item laus & descriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item triumphus Christi.

24. *Ad te Domine leuaui animam meam*] Precatio contra varias calamitates: item ad malum amouendum in genere: item pro liberatione ab hostibus.

25. *Iudica me Domine*] Precatio ad Dominum, vt eum probet: item vt duplici igne eum vrat.

26. *Dominus illuminatio mea*] Gratiarum actio ob beneficentiam: item precatio pro bono adipiscendo in genere: item in specie pro se: item precatio contra hostes in genere.

27. *Ad te Domine clamabo*] Precatio pro victoria & triumpho de hostibus.

28. *Afferte Domino filij Dei*] Præconium laudis Dei à rebus conditis.

29. *Exaltabo te Domine*] Præconium laudis Dei à rebus conditis: item gratiarum actio ob liberationem à malis.

30. *In te Domine speraui*] Laus Christi à passione & morte illius: item precatio pro liberatione ab hostibus: item pro victoria & triumpho de iis.

31. *Beati quorum remissæ*] Precatio pœnitentialis pro peccato.

32. *Exsultate iusti in Domino*] Præconium laudis Dei à rebus conditis.

33. *Benedicam Dominũ in omni tempore*] Gratiarum actio ob liberationem à malis: item laudes bonorum, ac vituperationes malorum.

34. *Iudica Domine nocentes me*] Precatio querelosa de hostibus: item pro liberatione ab iis.

35. *Dixit iniustus vt delinquat*] Laus & descriptio viri boni, & contrà: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item obiurgatio malorum, ac triumphus de iis: item precatio contra hostes in genere.

36. *Noli æmulari in malignantibus*] Idem.

37. *Domine ne in furore tuo arguas me*] Laus Christi à persecutionibus in vita, item à passione & morte illius: item precatio pœnitentialis pro peccato: item contra morbum: item contra varias calamitates.

38. *Dixi custodiam vias tuas*] Laus Christi à persecutionibus in vita: item precatio pro liberatione ab hostibus.

39. *Exspectans exspectaui Dominum*] Præconium laudis Dei à rebus gestis in specie: item gratiarum actio ob liberationem à malis: item triumphus Christi: item precatio pro liberatione ab hostibus: item pro victoria & triumpho de iis.

40. *Beatus vir qui intelligit*] Laus & descriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item obiurgatio malorum, & triumphus de iis: item laus Christi à persecu-

ſecutionibus in vita: item à paſſione & morte illius: item de Chriſto & Eccleſia in genere: item precatio contra hoſtes in genere: item querelosa de iis.

41. *Quemadmodum deſiderat ceruus*] Precatio contra hoſtes in genere: item pro liberatione ab iis.

42. *Iudica me Deus*] Precatio querelosa de hoſtibus: item pro liberatione ab iis.

43. *Deus auribus noſtris audiuimus*] Precatio contra hoſtes in genere: item pro liberatione ab iis.

44. *Eructauit cor meum*] De Chriſto & Eccleſia in genere.

45. *Deus noſter refugium & virtus*] Gratiarum actio ob liberationem à malis: item ob beneficentiam: item de Chriſto & Eccleſia in genere.

46. *Omnes gentes plaudite manibus*] Præconium laudis Dei à rebus geſtis in ſpecie: item gratiarum actio, vt proximè ſuprà: item triumphus Chriſti: item de Chriſto & Eccleſia in genere.

47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*] Idem.

48. *Audite hæc omnes gentes*] Laus & deſcriptio viri boni, & contrà.

49. *Deus deorum Dominus locutus eſt*] Laudes bonorum, & vituperationes malorum: item obiurgatio malorum, & triumphus de iis.

50. *Miſerere mei Deus*] Precatio pœnitētialis pro peccato.

51. *Quid gloriaris in malitia*] Laudes bonorum & vituperationes malorum: item obiurgatio malorum, & triumphus de iis: item laus Chriſti à perſecutionibus in vita.

52. *Dixit inſipiens in corde ſuo*] Obiurgatio malorum, & triumphus de iis.

53. *Deus in nomine tuo*] Precatio pro liberatione ab hoſtibus.

54. *Exaudi Deus orationem meam*] Laus Chriſti à perſecutionibus in vita: item à paſſione & morte illius: item precatio querelosa de hoſtibus.

55. *Miſe-*

55. *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit*] Precatio pro victoria & triumpho de hostibus.

56. *Miserere mei Deus, miserere mei*] Precatio pro liberatione ab hostibus.

57. *Si verè vtique iustitiam loquimini*] Obiurgatio malorum, & triumphus de iis: item precatio querelosa de iis.

58. *Eripe me de inimicis meis*] Laus Christi à passione & morte illius: item triumphus Christi: item precatio contra hostes in genere: item querelosa de iis: item pro liberatione ab iis: item pro victoria & triumpho de iis.

59. *Deus repulisti nos*] De Christo & Ecclesia in genere: item precatio Regis pro populo: item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

60. *Exaudi Deus deprecationem meam*] Precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

61. *Nónne Deo subiecta erit anima mea*] Gratiarum actio ob liberationem à malis: item ob beneficentiam.

62. *Deus Deus meus*] Idem.

63. *Exaudi Deus orationem meam*] Precatio pro liberatione ab hostibus.

64. *Te decet hymnus Deus in Sion*] Precatio Regis pro populo: item pro bono sibi adipiscendo in specie.

65. *Iubilate Deo omnis terra*] Gratiarum actio ob liberationem à malis: item precatio Regis pro populo.

66. *Deus misereatur nostri*] Precatio ad adipiscendum bonum in genere.

67. *Exsurgat Deus*] Gratiarum actio ob victoriam: item triumphus Christi.

68. *Saluum me fac Deus*] Laus Christi à passione & morte illius: item precatio contra varias calamitates: item querelosa de hostibus: item pro liberatione ab iis: item pro victoria & triumpho de iis.

69. *Deus in adiutorium meum intende*] Precatio pro bono adipiscendo in genere: item ad malum amouendum in genere: item pro victoria & triumpho de hostibus.

70. *In te Domine speraui*] Laus Christi à persecutionibus in vita: item à passione & morte illius; item triumphus Christi; item precatio ad malum amouendum in genere: item precatio pro liberatione ab hostibus.

71. *Deus iudicium tuum Regi da*] De Christo & Ecclesia in genere: item precatio populi pro Rege.

72. *Quàm bonus Israël Deus*] Laudes bonorum & vituperationes malorum.

73. *Vt quid Deus repulisti in finem*] Precatio contra hostes in genere: item querelosa de iis.

74. *Confitebimur tibi Deus*] Gratiarum actio ob liberationem à malis: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item obiurgatio malorum, & triumphus de iis: item triumphus Christi.

75. *Notus in Iudæa Deus*] Præconium laudis Dei à rebus gestis.

76. *Voce mea ad Dominum clamaui*] Precario contra varias calamitates: item ad malum amouendum in genere.

77. *Attendite popule meus legem meam*] Præconium laudis Dei à rebus gestis in genere.

78. *Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam*] Precatio contra hostes in genere.

79. *Qui regis Israël intende*] Idem.

80. *Exsultate Deo adiutori nostro*] Præconium laudis Dei à rebus gestis in specie: item gratiarum actio in genere.

81. *Deus stetit in synagoga deorum*] Obiurgatio malorum, & triumphus de iis.

82. *Deus quis similis erit tibi*] Precatio pro victoria & triumpho de hostibus.

83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine*] Præconium laudis Dei à lege, bonitate, & habitatione illius: item laus & descriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

84. *Benedixisti Domine terram tuam*] Idem.

85. *Inclina Domine aurem tuam*] Laus Christi à persecutionibus

tionibus in vita: item à passione & morte illius: item triumphus Christi: item precatio pro bono adipiscendo in genere: item precatio contra varias calamitates: item ad malum amouendum in genere: item precatio contra hostes in genere.

86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*] Præconium laudis Dei ad habitationem ipsius: item triumphus Christi: item de Christo & Ecclesia in genere.

87. *Domine Deus salutis meæ*] Laus Christi à passione & morte illius: item precatio contra varias calamitates: item ad malum amouendum in genere.

88. *Misericordias Domini in æternũ cantabo*] Præconium laudis Dei à rebus gestis in specie: item laus Christi à persecutionibus in vita: item triumphus Christi: item precatio contra varias calamitates: item ad malum amouẽdum in genere.

89. *Domine refugium factus es nobis*] Præconium laudis Dei à bonitate ipsius: item precatio contra morbum.

90. *Qui habitat in adiutorio altissimi*] Laus & descriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum.

91. *Bonum est confiteri Domino*] Præconium laudis Dei à rebus conditis: item laus & descriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item obiurgatio malorum, & triumphus de iis.

92. *Dominus regnauit, decorem indutus est*] Idem: item de Christo & Ecclesia in genere.

93. *Deus ultionum Dominus*] Præconium laudis Dei à rebus gestis in specie: item obiurgatio malorum, & triumphus de iis: item precatio pro victoria & triumpho de iis.

94. *Venite exsultemus Domino*] Præconium laudis Dei in se: item à rebus conditis.

95. *Cantate Domino canticum nouum*] Idem: item triumphus Christi.

96. *Dominus regnauit, exsultet terra*] Obiurgatio malorum, & triumphus de iis: item triumphus Christi: item de Christo & Ecclesia in genere.

97. Can-

97. *Cantate Domino canticum nouum*] Præconium laudis Dei in se: item triumphus Christi.

98. *Dominus regnauit, irascantur populi*] Idem: item triumphus Christi.

99. *Iubilate Deo omnis terra*] Idem.

100. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*] Idem: item à bonitate: item laus & descriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item triumphus Christi.

101. *Domine exaudi orationem meam*] Precatio Regis pro populo: item pœnitentialis pro peccato: item contra hostes in genere.

102. *Benedic anima mea Domino, & omnia*] Præconium laudis Dei in se: item à bonitate: item gratiarum actio in genere: item ob beneficentiam.

103. *Benedic anima mea Domino, Domine Deus*] Idem: item à rebus conditis.

104. *Confitemini Domino, & inuocate*] Præconium laudis Dei à rebus gestis in genere.

105. *Confitemini Domino, quoniam bonus*] Idem: item precatio Regis pro populo: item precatio contra varias calamitates: item contra hostes in genere.

106. *Confitemini Domino, quoniam bonus*] Idem.

107. *Paratum cor meum Deus*] Gratiarum actio in genere: item ob victoriam: item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

108. *Deus laudem meam ne tacueris*] Laus Christi à persecutionibus in vita: item à passione & morte illius: item precatio querelosa de hostibus: item pro victoria & triũpho de iis.

109. *Dixit Dominus Domino meo*] Triumphus Christi.

110. *Confitebor tibi Domine*] Præconium laudis Dei à lege & bonitate.

111. *Beatus vir qui timet Dominum*] Præconium laudis Dei à rebus conditis: item laus & descriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum.

112. *Lau-*

112. *Laudate pueri Dominum*] Præconium laudis Dei in ſe: item gratiarum actio in genere.

113. *In exitu Iſraël de Ægypto*] Præconium laudis Dei à rebus geſtis in genere, & in ſpecie: item gratiarum actio in genere.

114. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus*] Idem in ſpecie: item gratiarum actio ob liberationem à malis.

115. *Credidi, propter quod locutus ſum*] Idem quoad gratiarum actionem: item ob beneficentiam.

116. *Laudate Dominum omnes gentes*] Præconium laudis Dei in ſe: item à lege & bonitate: item triumphus Chriſti.

118. *Beati immaculati in via*] Idem à lege & bonitate: item laus & deſcriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item triumphus Chriſti.

119. *Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui*] Precatio ad malum amouendum in genere: item quereloſa de hoſtibus: item pro liberatione ab iis.

120. *Leuaui oculos meos in montes*] Idem.

121. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*] Gratiarum actio in genere.

122. *Ad te leuaui oculos meos*] Precatio ad malum amouendum in genere: item contra hoſtes in genere.

123. *Niſi quia Dominus erat in nobis*] Gratiarum actio in genere: item ob liberationem à malis: item ob beneficentiam.

124. *Qui confidunt in Domino*] Laus & deſcriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item precatio ad malum amouendum in genere.

125. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion*] Gratiarum actio in genere: item ob liberationem à malis.

126. *Niſi Dominus ædificauerit domum*] Præconium laudis Dei à rebus geſtis in ſpecie: item laus & deſcriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum.

127. Beati

127. *Beati omnes qui timent Dominum*] Laus & descriptio viri boni: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item precatio Regis pro populo.

128. *Sæpe expugnauerunt me*] Obiurgatio malorum, & triumphus de iis.

129. *De profundis clamaui ad te Domine*] Precatio pœnitentialis pro peccato.

130. *Domine non est exaltatum cor meum*] Laus & descriptio viri boni.

131. *Memento Domine Dauid*] De Christo & Ecclesia in genere: item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

132. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum*] Laudes bonorum, & vituperationes malorum.

133. *Ecce nunc benedicite Dominum*] Præconium laudis Dei in se: item precatio Regis pro populo.

134. *Laudate nomen Domini*] Idem: item à rebus conditis: item à lege & bonitate: item à rebus gestis in genere: item gratiarum actio in genere: item ob liberationem à malis.

135. *Confitemini Domino, quoniam bonus*] Idem: item à rebus conditis: item à lege & bonitate: item à rebus gestis in genere: item gratiarum actio in genere: item ob liberationem à malis.

136. *Super flumina Babylonis*] Precatio contra hostes in genere: item pro victoria & triumpho de iis.

137. *Confitebor tibi Domine*] Gratiarum actio ob liberationem à malis: item ob beneficentiam.

138. *Domine probasti me*] Præconium laudis Dei à rebus conditis: item laus hominis in genere: item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

139. *Eripe me Domine*] Precatio pro liberatione ab hostibus.

140. *Domine clamaui ad te*] Precatio ad malum amouendum in genere: item pro liberatione ab hostibus.

141. *Voce mea ad Dominum clamaui*] Precatio pro liberatione ab hostibus.

142. *Domine exaudi orationem meam*] Precatio pœnitentialis pro peccato: item pro liberatione ab hostibus.

143. *Benedictus Dominus Deus meus*] Præconium laudis Dei in se: item à lege & bonitate: item laudes bonorum, & vituperationes malorum: item obiurgatio malorũ, & triumphus de iis: item precatio pro victoria & triumpho de hostibus.

144. *Exaltabo te Deus meus*] Idem: item à rebus conditis: item à lege & bonitate.

145. *Lauda anima mea Dominum*] Idem à lege & bonitate.

146. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus*] Præconiũ laudis Dei à rebus conditis: item à lege & bonitate.

147. *Lauda Ierusalem Dominum*] Idem: item à lege & bonitate: item à rebus gestis in specie.


148. *Laudate Dominum de cælis*] Præconium laudis Dei in se: item à rebus gestis in specie.

149. *Cantate Domino canticum nouum*] Gratiarum actio ob liberationem ab hostibus.

150. *Laudate Dominum in sanctis eius*] Præconium laudis Dei in se.

FINIS.

FINIS.



Approbatio.

Haec *in librum Psalmorum Paraphrasis, cum suis argumentis ac summariis, auctore clarissimo viro D. Ioachimo Hoppero, erudita admodum ac pia, clara etiam ac solida, non sine magno fructu, pluribus communicanda, prælo committetur. Datum Antuerpiæ, 16. Calendas Octobris.* 1587.

Siluester Pardo, S. Theologiæ
Licentiatus, Cathedral. Ecclesię Antuerp. Canonicus,
Librorumque Censor.

1-6-2

